This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



[redacted]

Digitized by Google

858
S22
B87

Digitized by Google

Digitized by Google

UM

Digitized by Google



Digitized by Google

Sannazaro, Jacopo

ACTII SINCERI SANNAZARII,

PATRICII NEAPOLITANI,

OPERA,

LATINE SCRIPTA.

EX SECUNDIS CURIS.

JANI BROUKHUSII.


Accedunt.

Gabrielis Altilii, Danielis Cereti, & Fratrum Amaltheorum

Carmina;

Vitae Sannazarianae, & Notae

PETRI VLAMINGII.



AMSTELÆDAMI,

Apud Viduam GERARDI ONDER DE LINDEN,

M. DCC. XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIB. COM.
LIBERMA
SEPTEMBER 1928
17636

VIRO AMPLISSIMO

JANO DE WITT, J.C.

REIP. AMSTELAEDAMENSIS

Judicum Praeſidi, & Senatori, Societatis Indiæ Orientalis Curatori, &c. &c.

PLurima ſunt, Witti Ampliſſime, quæ mihi perſuaſerunt ut hanc Sannazarianam editionem tuo nomini inſcriberem; nam, ut alias, quas in promptu habeo, prudens prætercam rationes, cui nam hæc potius eſt, offerenda quam tibi? qui enim Actii Sinceri Divinam illam carminis majeſtatem, numeros rotundos, veneres non adſcititias, linguæ Latinæ puriſſimum nitorem, Propertianam il-

Digitized by Google

illam felicem, & minime ſervilem imitationem, ſuo merito æſtimare queat, præter te unum, in hac maxima urbe, abſit dictis invidia, vix aliquem reperio; tu etiam ſolus fere, maximos viros, qui, avorum noſtrorum memoria, reip. Batavæ ornamento fuere, Nicolaïos, Honertios, Ratalleros ſecutus, Judex ipſe, & Judicum Præſes, quamvis Juredicundo & moleſtis Jurgiis dijudicandis, componendisve, impeditus & feſſus, malis terror, bonis præſidium, a ſeverioribus illis occupationibus, ad ſacra Muſarum libenter ſoles divertere; ſive elegos contexis, non inani verborum ſtrepitu tumidos, neque languescentes & humi repentes, ſed ætate Sannazariana dignos, terſos & elegantes; ſive eruditis confabulationibus horas, a reip. negotiis liberas, terere deſideras; in qui-

Digitized by Google

quibus, inter alia, ut ſit, diſſerentibus nobis de præſtantia vatum, qui poſt renatas literas floruerunt, ſemper Actius Sincerus Princeps poetarum recentiorum tibi viſus fuit, & cum quo perpauci ex antiquis paria facere audeant aut queant, admirantibus nobis raram illam temporum felicitatem, qua Italia, alma illa præclarorum virorum mater, velut uno & eodem partu protulit, & una in urbe Neapoli tot & tanta ingenia ſurgere vidit & floreſcere, qua ſcilicet ætate Nobiles & Equites, imo qui fræna ipſius imperii tenebant, Grammatici inſignes exſtitere; Juriſconſulti, Medici, Milites, Exercituum ductores, Principes & Duces, ſummi Philoſophi, &, quod rariſſimum eſt, omnes fere Poëtæ, eruditionis, puræque eloquentiæ laude adeo excellentes, ut maxime ſit mirandum, in tanta penuria ſubſidiorum, quæ ad notitiam linguæ Lati-

næ comparandam inſervire poſſunt, quibus nos abundamus, hosce Academiæ Pontanæ ſocios & alumnos adeo eleganter animi ſenſus chartis mandaſſe, ut perpauci ex omni Europa eruditi hodie inveniantur, qui ad tantum ſermonis nitorem ſeſe perventuros ſperare audeant. Accedit & altera non minus juſta cauſa hujus dedicationis, quæ ad me propius pertinet; me enim ſtudiorum ſimilitudine adductus, non admodum notum, Davide Hoogſtratano, tuo quondam & meo amico ſingulari, poëta eximiæ puritatis, & exactarum aurium, candido & aperti pectoris viro, conciliante, amicitia tua honoraſti, ingratus ergo eſſem, quam notam mihi nunquam inuri patiar, niſi publice exſtaret amoris in te mei, officiique monumentum. accipe igitur eodem animo, quo tibi offeruntur, hoc eſt benevolenti (ad quæ edenda me ipſe exhortatus es, & ad quæ ornan-

ornanda Magyri Epinomologicum, a Broukhuſio Adverſariorum loco habitum, quod apud te eſt ex legato Hoogſtratani, uſibus meis conceſſiſti) Actii Sinceri Sannazarii, Gabrielis Altilii, Danielis Cereti, Hieronymi, Joannis Baptiſtæ, & Cornelii, fratrum Amaltheorum, Vatum inſignium, Vates elegantiſſime, reliquias, &, quando oculos conjicies, quos conjicies ſæpiſſime, in obſervationes Broukhuſianas, Sannazariano textui ſubjectas, ſubeat in memoriam eximii illius viri animus in te adeo propenſus, ut nullus dubitem, ſi ipſe ſuperſtes eſſet, te digniorem & acceptiorem ab illo neminem inventum iri, cui hæc dedicarentur. Si quid autem a te publice per me peti deceat, eſt, ut edas Marcum Anthonium Flaminium tuum, lectisſimis obſervationibus ornatum, ut tandem

Digitized by Google

editionem pleniorem, emendatiorem, & intellectu faciliorem carminum Magni illius Viri nanciſcamur. Id tandem te ſerio precor atque obteſtor, ut meas quantulascunque notas, huic farragini additas, boni conſulere ne graveris, vel me, tibi devinctiſſimum, benevolentia tua fovere dedigneris.

PE-

Digitized by Google

PETRVS VLAMINGIVS

LECTORI BENEVOLO

S. P.

EDitionem Sannazarianam, quæ jam prodit, Lector Benevole, nunquam eſſem molitus, niſi vir optimus, & mei amantiſſimus, David Hoogſtratanus, morte præventus, fidem, quam mihi dederat, præſtare haud potuiſſet; illum enim ſæpiſſime hortatus eram, ne uberiores Jani Broukhuſii notas, quæ illi ex legato obtigerant, publico Rei Literariæ bono invideret. Nam Actium Sincerum, ab ineunte ætate, imo pene puer, unice ſemper ſum admiratus, maturiore hac mea, veneror, ſuſpicio, & colo; quis enim poëtica laude, ex iis, qui, a profligata barbarie, Muſarum ſacris ſeſe dedidere, Maximum illum vatem ſuperavit? Hoogſtratano meo fatis functo, exemplar illud ad me devenit, quod ſtatim prelo tradere decrevi, Broukhuſiana editione jam raro in Librariorum tabernis proſtante. Habes hic, qua occaſione me ad hunc laborem accinxerim; audi nunc, quibus ſubſidiis & adminiculis ſuffultus, hanc editionem omnibus prioribus pleniorem & ornatiorem, quod in animo erat, non infeliciter, ut quidem ſpero atque exopto, effecerim. Notas Broukhuſianas omnes textui ſubjeci, quæ novæ acceſſerant, ſuo quæque loco, inſerui, &, editionem Wetſtenianam ſecutus, epigrammata illa admiſi, quæ in nitida, & per-

pulcra

pulcra illa Jo. Ant. Vulpii Patavina deſiderantur, quod acerbiora in Alexandrum VI. Pont. Max, Cæſarem & Lucretiam Borgias, aliosque Pontifices viderentur, & Indice expurgatorio eſſent prohibita. Quæ ſane peſtis truncandi libros & mutilandi omnes Italas editiones, quæ hac ætate excuduntur, invaſit, peſſimo inſtituto, quo Barbaris librorum cenſoribus adeo liceat ſævire in optimos auctores. Teſtimonia, quæ Broukhuſius & Vulpius collegerant, addidi. Si omnia quæ ipſe ſelegi, & alibi congeſta inveni, hic adhibere voluiſſem, in immenſam molem volumen excreviſſet; omnes enim, qui unquam hæc divini vatis monumenta oculis uſurparunt, eruditi, ſumma cum laude Sannazariani nominis meminerunt; unum tantum mihi liceat adſcribere, quod ſuo loco neglectum eſt, Petri nempe Lotichii Secundi, Germanorum poëtarum principis, quod exſtat Elegiarum Lib. I. Eleg. X. ad Chriſtophorum Herdeſianum. vs. 57.

Ventum erat ad Campum, redit hoſtis, & ecce cohortis
Ductor anhelanti nos petit acer equo.
Stamus, & Aoniæ cultores dicimus artis,
Immunes belli nos habuiſſe manus.
Nomen ad Aonidum, Juvenes confidite, dixit:
Nos etiam mites erudiere Deæ.
Quod, ſi forte procul veſtras pervenit ad aures
Sincerus, priſcis Actius ortus avis;
Actius Heſperiis fama bene notus in oris;
Pinguia Sebethi qua rigat arva liquor,
Illi ego me veteri conſanguinitate propinquum
Glorior, & vates, vatis amicus, amo.

Impia

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Impia nec præda me traxit in arma cupido;
Cum populis terras viſere cura fuit.
Sic ait, & nobis, ubi Cæſar agebat, in urbem
Exhibuit tutas ipſe cohorsque vias.

Imo, ne quis credat ipſi viventi hos ingenuæ laudis fructus, æſtimationem & tanti nominis reverentiam defuiſſe, ſufficiat, quod Balthaſar, Comes Caſtilioneus, magnum illud Italiæ lumen, literarum monumentis de eo teſtatum voluit; verſus nempe aliquos recitatos, Sannazario, ſed falſo adſcriptos, & ab omnibus ſummo cum applauſu & admiratione exceptos, ſtatim, ubi reſcitum fuit, alterius poëtæ fœtum eſſe, minus quam mediocres, ut certe erant, viſos fuiſſe.

Sannazariana carmina excipit Gabrielis Altilii, Epiſcopi Polycaſtrenſis, Epithalamium, longe optimum, teſte J. C. Scaligero, ne ſcilicet disjungerem ſcripta eorum, quos amicitiæ & literarum neceſſitudo arcte adeo, dum viverent, conjunxerat, & ut omnia quæ vir doctiſſimus chartis mandavit, ſaltem illa quæ ad nos pervenere, hoc volumine exſtarent, nam epigrammata & epiſtolam ad fratres Sannazarianos, carmine conſcriptam, in ſua editione jam dederat Broukhuſius, literas ejus ad Chariteum notis meis inſerui.

Danielis Cereti (cujas aut quis fuerit, per alium doceri deſidero) Salicis fabulam ſequi juſſimus, propter materiæ ſimilitudinem, & carminis elegantiam; nemo enim inficias ibit comparationem ejusmodi luſuum maximæ utilitati eſſe & delectationi amantibus artis Poëticæ.

Subjunxi deinde Amaltheorum fratrum Carmina

na quæ, curante Jo. Georgio Grævio, viro ſupra omnem laudem, apud eundem Wetſtenium, eadem forma, qua Sannazarius, ſeculo proxime elapſo prodierant, propter eorundem præſtantiam Venetæque editionis, ex qua repetita erant, ipſa in Italia, raritatem, tum quod fere ſemper uno eodemque volumine hiſce in regionibus Sannazariana & Amaltheorum carmina contineri videbam.

Vitam Actii Sinceri, quam Jo. Ant. Vulpius ex Criſpo, qui Italo ſermone, ad Aldum Manutium, hanc telam erat exorſus, & aliis ſcriptoribus, accurate ſane & non ineleganter congeſſit hic lubenter admiſi, quanquam ipſe, ante ſexdecim, & quod excurrit, annos, laborem illum mihi ſumpſeram (quum Arcadiam Sannazarianam Belgice ligato & ſoluto ſermone redderem, quæ brevi lucem adſpiciet) præſertim, quum ex iisdem fontibus hauſtæ forent & inter meam Vulpianamque de Sannazariana Vita commentatiunculam nihil fere eſſet diſcriminis.

Franciſcum Aelium Marcheſium, de Gente Sannazariana, & Actio Sincero, ex Scipionis Mazellæ Regni Neapolitani deſcriptione eruimus, dum editionem Borellianam inſpicere non licuit, licet ubique, ſed fruſtra omnino, quæſitam, ut ex contemporanei teſtimonio Genti nobiliſſimæ ſuus conſtaret honos.

Hunc Elogia, præcipuæ Præfationes & Dedicationes priorum editionum ſubſequuntur, notæ etiam noſtræ, quæ, plerunque currente prelo natæ, operoſiores certe eſſe poſſent ac deberent, ſed varias ob cauſas mihi tam beato

eſſe

Digitized by Google

eſſe non licuit; ad haſce exornandas non raro uſus ſum Antonii Mongitoris, viri eruditiſſimi, Bibliotheca Sicula, præter Neapolitanam Nicolai Toppii, quæ profecto non magni ponderis fuiſſet; niſi accederent optimæ frugis, & multo cum judicio collecta Paralipomena Leonardi Nicodemi, multijugæ lectionis, & acris judicii viri, ad hæc etiam Lectorem interdum ſoleo dimittere, ne, ſemper illorum verbis exſcribendis, mihi ipſi & aliis tædio ſim ac faſtidio. Optandum hercle eſſet Scriptorum Belgicorum Bibliothecam a Valerio Andrea Deſſelio inchoatam, a Broukhuſio inſigniter auctam, quæ apud Ampliſſimum Wittium exſtat, ab erudita manu, eodem conſilio, quo Sicula, Neapolitana, & Hiſpana inſtrui, minime vero tumultuario opere congeri, ut Belgicæ illæ farragines, quæ, quæſtus tantum gratia, indies protruduntur. hanc juſtiſſimam meam querelam & ipſe probaret, ſi viveret, Broukhuſius, qui ex libris, qui prorſus incogniti ſunt ejusmodi, quos nominare nunc nihil attinet, hominibus, & ex Sannazario contemporaneis ſcriptoribus, multa obſcuriora illuſtravit, rerum Italarum & Hiſtoriæ Literariæ ſcientia inſignis, promuscondus omnis elegantiæ poëticæ. Sed, ut hanc præfationem abſolvam, nequid Lectoris uſibus & editionis ornatui deeſſet, geminos indices adjici & a perita manu Sannazarii Monumentum æri incidi curavi, cum ejusdem Numismate ex Muſæo D. Gaſparis Fagelii, Viri Illuſtriſſimi, optimi & ſummi, opere multum elegantiori, quam illud quod a Valetta acceptum in Itinere Italico jam dederat Jo. Mabillo-

nius

Digitized by Google

nius vir doctiſſimus. Titulus effigiem Vatis exhibet ex Icone repetitam, quæ mihi ex omnibus, quæ circumferuntur, veriſſima viſa fuit. Si quæ ſphalmata operarum occurrunt, quæ ſane plura ſunt quam velim, Lector Benevolus ignoſcet, dum hiſce malevolus, quem nihil moror, offendetur, graviora ipſe notavi; ſi cuiquam plenior notitia rerum quæ Broukhuſium & me fugerunt, contingat, gratias agam de hiſce monitus; ſi forte erravi, neque hoc a me alienum puto, errorem agnoſcam libenter; ſin vero aliquam hac editione gratiam inibo apud illos perpaucos, qui de hiſce recte poſſunt judicare, Wittios, Burmanos, Orvilios, animus mihi redibit, ad hæc ſtudia, quæ prope deſerueram, rite & ſerio colenda. Vale.

Digitized by Google

CLEMENTI VII.
PONT. MAX.
ACTIUS SYNCERUS.

Magne parens, cuſtoſque hominum, cui jus datur uni
Claudere cœleſtes, & reſerare fores:
Occurrent ſi qua in noſtris male firma libellis,
Deleat errores æqua litura meos.
Imperiis venerande tuis ſubmittimus illos:
Nam ſine te recta non licet ire via.
Ipſe manu, ſacriſque potens Podalirius herbis
Ulcera Pæonia noſtra levabis ope.
Quippe mihi toto nullus te præter in orbe
Triſte ſalutifera leniet arte malum.
Rarus honos, ſummo ſe præſide poſſe tueri:
Rarior, a ſummo præſide poſſe legi.

DE PARTU VIRGINIS.
LIBER PRIMUS.

Virginei partus, magnoque æquæva parenti
Progenies, ſuperas cœli quæ miſſa per auras
Antiquam generis labem mortalibus ægris
Abluit, obſtructique viam patefecit olympi,
Sit mihi, Cœlicolæ, primus labor: hoc mihi primum 5
Surgat opus. Vos auditas ab origine cauſas,

A Et

Digitized by Google

Et tanti ſeriem (ſi fas) evolvite facti.
Nec minus, o Muſæ, vatum decus, hic ego veſtros
Optârim fonteis, veſtras nemora ardua rupeis:
Quandoquidem genus e cœlo deducitis, & vos
Virginitas, ſanctæque juvat reverentia famæ.
Vos igitur, ſeu cura poli, ſeu Virginis hujus
Tangit honos, monſtrate viam, qua nubila vincam;
Et mecum immenſi portas recludite cœli.
Magna quidem, magna, Aonides, ſed debita poſco,
Nec vobis ignota: etenim potuiſtis & antrum
Adſpicere & choreas: nec vos orientia cœlo
Signa, nec Eoos reges latuiſſe putandum eſt.
Tuque adeo ſpes fida hominum, ſpes fida deorum
Alma parens, quam mille acies, quæque ætheris alti
Militia eſt, totidem currus, tot ſigna, tubæque,
Tot litui comitantur, ovantique agmina gyro
Adglomerant: niveis tibi ſi ſolemnia templis
Serta damus: ſi manſuras tibi ponimus aras
Exciſo in ſcopulo, fluctus unde aurea canos
Deſpiciens celſo ſe culmine Mergilline
Adtollit, nautiſque procul venientibus offert:
Si laudes de more tuas, ſi ſacra, diemque,
Ac cœtus late inſigneis, rituſque dicamus,
Annua felicis colimus dum gaudia partus:
Tu vatem ignarumque viæ, inſuetumque laboris
Diva mone, & pavidis jam læta adlabere cœptis.
Viderat ætherea ſuperûm regnator ab arce
Undique collectas vectari in Tartara prædas:
Tiſiphonenque imo conantem cuncta profundo
Vertere, & immaneis ſtimulantem ad dira ſorores:
Nec jam homini prodeſſe, alto quod ſemina cœlo
Duceret, aut varios animum excoluiſſet ad uſus.
Tantum lethiferæ poterant contagia culpæ!

Tum

Digitized by Google

Tum pectus Pater æterno ſuccenſus amore
Sic ſecum: Ecquis erit finis? tantisne parentum
Priſca luent pœnis ſeri commiſſa nepotes?
Ut quos victuros ſemper, ſuperiſque creâram
Pene pareis, triſti patiar ſuccumbere letho,
Informeiſque domos, obſcuraque regna ſubire?
Non ita: ſed divûm potius revocentur ad oras,
Ut decet, & manuum poſcunt opera alta mearum:
Deſertoſque foros, vacuique ſedilia cœli
Actutum complere parent: legio unde nefandis
Acta *odiis trepidas* ruit exturbata per auras.
Quumque caput fuerit, tantorumque una malorum
Fœmina principium, lacrymaſque, & funera terris
Intulerit: nunc auxilium ferat ipſa, modumque
(Qua licet) afflictis imponat fœmina rebus.
Hæc ait: & celerem ſtellata in veſte miniſtrum,
Qui caſtæ divina ferat mandata puellæ,
Adloquitur, facie inſignem, & fulgentibus alis.
Te, quem certa vocant magnarum exordia rerum,
Fide vigil, pars militiæ fortiſſima noſtræ,
Te decet ire, novumque in ſæcula jungere fœdus:
Nunc animum huc adverte, atque hæc ſub pectore ſer-
Eſt urbeis Phœnicum inter, lateque fluentem (va.
Jordanem, *regio noſtris* ſat cognita ſacris,
Judæam appellant, armiſque & lege potentem.
Hic claris exorta atavis, vatumque ducumque
Antiquum genus, & dignis licet aucta hymenæis,
Pectoris illæſum Virgo mihi caſta pudorem
Servat adhuc, nullos non ſervatura per annos:
(Mirus amor) ſeniumque ſui venerata mariti
Exiguis degit thalamis & paupere tecto,
Digna polo regnare, altoque effulgere divûm
Concilio, & noſtros æternum habitare penates.

Digitized by Google

Hanc mihi virginibus jam pridem ex omnibus unam
Delegi, prudenſque animo interiore locavi:
Ut foret, intacta ſanctum quæ numen in alvo
Conciperet, ferretque pios ſine ſemine partus.
Ergo age, nubivagos molire per aëra greſſus:
Devenienſque locum caſtas hæc juſſus ad aureis
Effare, & pulchris cunctantem hortatibus imple:
Quandoquidem genus e Stygiis mortale tenebris
Eripere eſt animus, ſævoſque arcere labores.
Dixerat, ille altum Zephyris per inane vocatis
Carpit iter, ſcindit nebulas, atque aëra tranat
Ima petens, pronuſque leveis vix commovet alas.
Qualis ubi ex alto notis Mæandria ripis
Proſpexit vada, ſeu placidi ſtagna ampla Cayſtri,
Præcipitem ſeſe candenti corpore cycnus
Mittit agens, jamque implumis, ſegniſque videtur
Ipſe ſibi, donec tandem potiatur amatis
Victor aquis: ſic ille auras, nubeiſque ſecabat.
Aſt ubi palmiferæ tractu ſtetit altus Idumes:
Reginam haud humileis volventem pectore curas
Adſpicit, atque illi veteres de more Sibyllæ
In manibus: tum ſiqua ævo referanda nepotum
Fatidici caſto cecinerunt pectore vates.
Ipſam autem ſecuram animi, lætamque videres
Auctorem ſperare ſuum: namque adfore tempus,
Quo ſacer æthereis delapſus ſpiritus aſtris
Incorrupta piæ compleret viſcera matris,
Audierat. Proh quanta alti reverentia cœli
Virgineo in vultu eſt! oculos dejecta modeſtos
Suſpirat, matremque Dei venientis adorat,
Felicemque illam, humana nec lege creatam
Sæpe vocat: necdum ipſa ſuos jam ſentit honores:
Cum ſubito ex alto juvenis demiſſus olympo
Purpu-

Digitized by Google

Purpureos retigit vultus, numenque profeſſus
Inceſſuque habituque, ingenteis explicat alas,
Ac tectis late inſuetum diffundit odorem.
Mox prior hæc: Oculis ſalve lux debita noſtris,
Jam pridem notum cœlo jubar, optima virgo:
Cui ſeſe tot dona, tot explicuere merenti
Divitiæ ſuperûm: quicquid rectique probique
Æterna de mente fluit: puriſſima quicquid
Ad terras ſummo veniens ſapientia cœlo
Fert ſecum, & plenis exundans gratia rivis.
Te genitor ſtabili firmam ſibi lege ſacravit,
Perpetuos genitor curſus qui dirigit aſtris,
Manſuramque tuo fixit ſub pectore ſedem.
Idcirco cœtus inter veneranda pudicos
Una es, quam lætis cœli in regionibus olim
Tot divûm celebrent voces. Proh, gaudia terris
Quanta dabis! quantis hominum ſuccurrere votis
Incipies! Stupuit confeſtim exterrita Virgo,
Demiſitque oculos, totoſque expalluit artus.
Non ſecus, ac conchis ſi quando intenta legendis
Seu Mycone parva, ſcopulis ſeu forte Seriphi,
Nuda pedem virgo, lætæ nova gloria matris,
Veliferam advertit vicina ad littora puppim
Adventare, timet: nec jam ſubducere veſtem
Audet, nec tuto ad ſocias ſe reddere curſu:
Sed trepidans ſilet, obtutuque immobilis hæret.
Illa Arabum merceis, & fortunata Canopi
Dona ferens, nullis bellum mortalibus infert:
Sed pelago innocuis circumnitet armamentis.
Tum rutilus cœli alipotens, cui lactea fandi
Copia, divinique fluunt à pectore rores
Ambroſiæ, quibus ille acreis mulcere procellas
Poſſit, & iratos pelago depellere ventos:

Digitized by Google

Exue, Dia, metus animo, paritura verendum
Cœlitibus numen, ſperataque gaudia terris,
Æternamque datura venis per ſæcula pacem:
Hæc ego ſiderea miſſus tibi nuntius arce,
Sublimis celeres vexit quem penna per auras,
Vaticinor, non inſidias, non nectere fraudes
Edoctus: longe a noſtris fraus exulat oris.
Quippe tui magnum magna incrementa per orbem
Ipſa olim partus Virgo ſoboliſque beatæ
Adſpicies: vincet proavos: proavitaque longo
Extendet jura imperio, populiſque vocatis
Ad ſolium, late ingentes moderabitur urbeis:
Nec ſceptri jam finis erit, nec terminus ævi,
Quin juſtis paulatim animis pulcherrima ſurget
Relligio. non monſtra, piis ſed numina templis
Placabunt caſtæ diris ſine cædibus aræ.
Dixerat. illa animum ſedato pectore firmans
Subſtitit, & placido breviter ſic ore locuta eſt:
Conceptuſne mihi tandem, partuſque futuros,
Sancte, refers? mene attactus perferre virileis
Poſſe putas? cui vel nitenti matris ab alvo
Protinus inconcuſſum, & ineluctabile votum
Virginitas fuit una: nec eſt cur ſolvere amatæ
Jura pudicitiæ cupiam, aut hæc fœdera rumpam.
Imo iſtas, quod tu minime jam rere, per aureis,
Excipit interpres, fœcundam ſpiritus alvum
Influet, implebitque potenti viſcera partu,
Flammifero veniens cœlo, atque micantibus aſtris.
At tu virgineum mirata tumeſcere ventrem
Hærebis pavitans: demum formidine pulſa
Gaudia ſervati capies inopina pudoris.
Neve hæc vana putes, dictis aut territa noſtris
Indubites: ſeræ dudum conceſſa ſenectæ

Digitized by Google

Dona oculos pone ante tuos. Nam ſanguine avito
Juncta tibi mulier (ſterilis licet illa, gravique
Preſſa ævo) haud quaquam ſperatum hoc tempore pignus
Fert utero, & felix ſexto ſub menſe laborat.
Uſque adeo magno nil non ſuperabile cœlo eſt.
His dictis, Regina oculos ad ſidera tollens,
Cœleſtumque domos ſuperas, atque aurea tecta,
Adnuit, & taleis emiſit pectore voces:
Jam jam vince fides, vince obſequioſa voluntas:
En adſum: accipio venerans tua juſſa, tuumque eſt,
Dulce ſacrum, pater omnipotens: nec fallere veſtrum
Cœlicolæ: noſco crineis, noſco ora manuſque,
Verbaque, & aligerum cœli haud variantis alumnum.
Tantum effata repente nova micuiſſe penateis
Luce videt: nitor ecce domum compleràt: ibi illa,
Ardentum haud patiens radiorum, igniſque coruſci,
Extimuit magis. At venter (mirabile dictu)
(Non ignota cano) ſine vi, ſine labe pudoris,
Arcano intumuit verbo. Vigor actus ab alto
Irradians, Vigor omnipotens, Vigor omnia complens
Deſcendit, Deus ille, Deus: totoſque per artus
Dat ſeſe, miſcetque utero: quo tacta repente
Viſcera contremuere: ſilet natura, pavetque
Adtonitæ ſimilis: confuſaque turbine rerum
Inſolito occultas conatur quærere cauſas.
Sed longe vireis alias majoraque ſentit
Numina. ſuccutitur tellus. lævumque ſereno
Intonuit cœlo, rerum cui ſumma poteſtas,
Adventum nati genitor teſtatus: ut omnes
Audirent late populi, quos maximus ambit
Oceanus, Tethyſque & rauciſona Amphitrite.
Hos inter medios cœli terræque fragores,
Æquatis properans volucer pulcherrimus alis,

Omnia dum trepidant, diſceſſerat, altaque nabat
Per loca, cum virgo celſis in nubibus illum
Alternantem humeros videt, atque immenſa ſecantem
Ventorum ſpatia, & jam verſicolore per auras
Fulgentem pluma, ac cœli convexa petentem.
Quem demum tali adſpectans ſermone ſecuta eſt:
Magne ales, celſi decus ætheris, invia rerum
Qui penetras, longeque & nubila linquis, & Euros
Antevolans, læto ſeu te felicia tractu
Sidera, quæque ſuos volvuntur ſigna per orbeis
Expectant redeuntem: alti ſeu certa repoſcit
Chryſtalli domus, & vitrei plaga lucida regni:
Seu propiora vocant ſupremo tecta Tonanti,
Qua patet in ſummum regio flammantis olympi,
Teque amor, & liquidis flagrans alit ignibus aura:
I precor, i noſtrum teſtis defende pudorem.
Nec plura his: tum vero aciem deflectit, & omneis,
Haud mora, ſollicito percurrit lumine monteis:
Agnatamque animo, conceptaque pignora verſat,
Multa putans: ſerumque uteri miratur honorem.
Interea maneis deſcendit Fama ſub imos,
Pallenteiſque domos veris rumoribus implet:
Optatum adventare diem, quo triſtia linquant
Tartara, & evictis fugiant Acheronta tenebris,
Immanemque ululatum, & non lætabile murmur
Tergemini canis: adverſo qui carceris antro
Excubat inſomnis ſemper, rictuque trifauci
Horrendum, ſtimulante fame, ſub nocte profunda
Perſonat, & morſu venienteis adpetit umbras.
Tum vero heroës lætati, animæque piorum
Ad cœlum erectas cœperunt tendere palmas:
Atque hîc inſignis funda, citharaque decorus,
Inſignis ſceptro ſenior, per opaca locorum

Dum graditur, nectitque ſacros diademate crineis:
Dum legit effœtos Lethæo in gramine flores,
Qua tacitæ labuntur aquæ, mutæque volucres
Ducunt per ſterileis æterna ſilentia ramos:
Attonita ſubitos concepit mente furores,
Divinamque animam; & conſueto numine plenus,
Intorquens oculos, venientia fata recenſet.
Naſcere magne puer, noſtros quem ſolvere nexus,
Et tantos genitor voluit perferre labores.
Magne puer, cui ſe hæc tandem ſpolianda reſervant
Regna, tot heu miſeris hominum ditata ruinis:
Naſcere, venturum ſi te mortalibus olim
Pectore veridico promiſimus: igneus ut nos
Viribus adflatos cœleſtibus ardor agebat
Inſinuans: ſi ſacra peregimus, & tua late
Juſſa per immenſum fama vulgavimus orbem.
En ridet pax alma tibi: ſimul ecce potentes
Impulſi cœlo, diviſque autoribus acti
Orbe alio properant Reges. Salvete beati
Æthiopes, hominum ſanctum genus, aſtra ſecuti:
Scilicet huc veſtris adfertis munera regnis.
Accipe dona puer: tuque ô ſanctiſſima mater,
Sume animos: jam te populiq; duceſq; frequentant
Littore ab extremo, & odoriferis Nabathæis.
Ille autem aurata fulgens in veſte ſacerdos
Jam canus, jam maturo venerabilis ævo,
Quid ſibi vult? ſacras puerum qui ſiſtit ad aras
Sic venerans? lætoque inſpectans æthera vultu?
Seque dehinc facili clauſurum lumina fato
Exclamat: quod ſperatum per ſæcula munus,
Promiſſamque diu pacem, certamque ſalutem
Terrarum exorta liceat ſibi luce tueri
Optanti, ſeniumque ideo, parcaſque trahenti.

Digitized by Google

Sed quid ego (heu) dira conſperſos cæde penateis
Infantum, & ſubito currenteis ſanguine rivos
Adſpicio? triſtiſque meas vagitus ad aureis
Fertur? io, ſcelus eſt partus jugulare recenteis.
Crudelis, quid agis? nihil hi meruere, neque illum,
Quem petis, inſano dabitur tibi perdere ferro.
Nunc nunc o matres ſcelerata abſcedite terra,
Dum licet, inque ſinu pueros abſcondite veſtros:
Nam ferus hoſtis adeſt: propera jam regia virgo,
Inque Paræthonias transfer tua pignora terras:
Admonet hoc magnum genitor qui temperat orbem.
Tuta domus, tutique illic tibi, Dia, receſſus.
Verum ubi bis ſenas hyemes, bis ſenaque nati
Solſtitia, & tantos ſuperaveris anxia caſus:
Ingenteis imo duces de pectore queſtus,
Aureaque aſſiduis pulſabis ſidera votis.
Nam puerum, quamvis per compita ſæpe vocatum,
Sæpe exſpectatum conſuetæ ad gaudia menſæ,
Perquires nequicquam amens: nec chara petentem
Oſcula, nec ſera redeuntem nocte videbis.
Treiſque illum totos mœrenti pectore ſoles,
Et totidem trepidas ſomni ſine munere nocteis,
Omnia luſtrantes, queſtu omnia confundentes
Flebitis, indigno perculſi corda dolore
Tuque ſenexque tuus. Quarto ſed Lucifer ortu
Purpureos tremulo cum tollet ab æquore vultus,
Inventum dabit, & quærentibus offeret ultro.
O quas tunc lachrymas, ô quæ tunc oſcula, mater,
Quos dabis amplexus, miſto inter gaudia fletu:
Cum natum ante aras Patris, & delubra ſedentem,
Mulcentemque ſenes dictis, animoſque trahentem
Adſpicies gaviſa! ipſo admirante ſenatu
Primitias pueri ingentis, nec inane ſagacis

Pectoris

Digitized by Google

Pectoris indicium, natæque ad grandia mentis.
Tu vero quid in arma ruis ſcelerata juventus?
Quid galeas, enſeiſque virûm & fulgentia cerno
Agmina? ſcutataſque procul ſub nocte cohorteis
Obſcura, & crebris radianteis ignibus haſtas?
Totne unum telis petitur caput? heu furor, heu mens
Cæca hominum, ſemperque odiis adcincta nefandis.
Jamque oleas, montemque ſacrum, circumque ſupraque
Cinxere, & longa lucum obſedere corona.
Quo feror? ecce trahunt manibus poſt terga revinctis
Inſontem: modo quem lætas mira illa per urbeis
Edentem, patriſque palam præcepta docentem
Adtoniti ſtupuere, illum regemque Deumque,
Humanæque ducem vitæ, fontemque ſalutis
Haud veriti populo circum plaudente fateri.
Heu facinus: mortemne etiam & crudele minantur
Supplicium? ſævos ſtringunt in vulnera faſceis,
Horrenteiſque parant paliuro intexere dumos,
Tormenti genus: & capiti premere inde coronam
Vulnificam. Viden' alternos ut arundinis ictus
Incutiunt? geminantque truci convicia lingua?
Parte alia ingenteis video de ſtirpibus imis
Everti palmas, altas ad ſidera palmas,
Infelix opus: unde hominum lux illa, decorque
Pendeat, ah trepidis dirum, & miſerabile terris:
Cum patri æthereo moriens liventia pandet
Brachia, turpatoſque atra de morte capillos,
Oraque, demiſſoſque oculos, frontemque cruore
Jam madidam, & lato patefactum pectus hiatu.
At mater, non jam mater, ſed flentis, & orbæ
Infelix ſimulacrum, ægra ac ſine viribus umbra,
Ante crucem demiſſa genas, effuſa capillum
Stat lacrymans, triſtique irrorat pectora fletu.

Digitized by Google

Ac ſi jam comperta mihi licet ore profari
Omnia: defeſſi ſpectans morientia nati
Lumina, crudeleis terras, crudelia dicit
Sidera: crudelem ſeſe, quod talia cernat
Vulnera, ſæpe vocat: tum luctiſono ululatu
Cuncta replens, ſingultanti ſic incipit ore:
Incipit, & duro figit ſimul oſcula ligno
Exclamans: Quis me miſeram, quis culmine tanto
Dejectam ſubitis involvit, nate, procellis?
Nate patris vires, ſanguis meus, unde repente
Hæc fera tempeſtas? quis te mihi fluctus ademit?
Quæ manus indignos fœdavit ſanguine vultus?
Cui tantum in ſuperos licuit? bella impia cœlo
Quis parat? hunc ego te, poſt tot male tuta labores,
Poſtque tot infelix elapſæ incommoda vitæ
Adſpicio? tune illa tuæ lux unica matris?
Tune animæ pax, & requies, ſpeſque ultima noſtræ
Sic raperis? ſic me ſolam, exanimemque relinquis?
O dolor! exſtincto jam te pro fratre ſorores,
Pro natis toties exoravere parentes:
Aſt ego pro nato, pro te dominoque, deoque
Quem miſera exorem? quo triſtia pectora vertam?
Cui querar? o tandem diræ me perdite dextræ:
Me potius (ſi qua eſt pietas) immanibus armis
Obruite: in me omneis effundite pectoris iras.
Vel tu (ſi tanti eſt hominum genus) eripe matrem,
Quæ rogat, & Stygias tecum duc, nate, ſub umbras:
Ipſa ego te per dura locorum, inamœnaque vivis
Regna ſequar. liceat rumpentem cernere portas.
Æratas: liceat pulchro ſudore madentem
Everſorem Erebi materna abſtergere dextra.
Hos illa, & plureis fundet de pectore queſtus.
Quod ſcelus Eois ut primum cernet ab undis

Sol,

Digitized by Google

Sol, *indignanteis* retro convertere currus
Optabit, fruſtraque ſuis luctatus habenis
Quod poterit tandem, auratos ferrugine crineis
Inficiet, mœſtamque diu ſine lumine frontem
Oſtendet terris: ut qui jam ploret ademptum
Auctorem, regemque ſuum. Quin ipſa nigranti
Fratris ab ore timens, & tanto concita caſu
Cynthia, cæruleo vultus obnubet amictu,
Avertetque oculos, lacrymaſque effundet inaneis.
At contra horriſono tellus concuſſa tremore
Cum gemitu fremet: & ruptis excita ſepulcris
Emittet ſimulacra. Quid o, quid abire paratis
Illuſtres animæ? non omnibus hæc data rerum
Conditio, paucis remeare ad lumina vitæ
Conceſſum. Sed tempus erit, cum Martia rauco
Mugitu cœlum quatiet tuba: cumque repente
Corpora per terras omneis late omnia ſurgent.
Nunc autem ſat, Tartarei ſi clauſtra tyranni
Effringat Rex ille, & caligantia pandat
Atria: diffugiant immiſſo lumine diræ
Eumenidum facies jactis in terga colubris:
Quas atro vix in limo Plegethontis aduſtum
Accipiat nemus, & fumanti condat in ulva.
Tum variæ peſtes, & monſtra horrentia Ditis
Ima petant: trepident Briareia turba, Ceraſtæ,
Semiferumque genus Centauri, & Gorgones atræ
Scyllæque Sphingeſque, ardentiſque ora Chimæræ,
Atque Hydræ, atque Canes, & terribiles Harpyæ.
Ipſe catenato feſſus per Tartara collo
Ducetur Pluton: triſti quem murmure circum
Inferni fractis mœrebunt cornibus amneis.
At nos virginea præcincti tempora lauru,
Signa per extentos cœli victricia campos

Tolle-

Tollemus, lætoque ducem clamore ſequemur:
Victor io, bellator io, tu regna profunda,
Tu maneis, Erebumque, poteſtateſque coërces
Aërias, lethumque tuo ſub numine torques.
Ille alto temone ſedens, levibuſque quadrigis
Lora dabit, volucreſque reget placido ore jugaleis,
Non jam cornipedum ductos de ſemine equorum,
Nec qui conſuetas carpant præſepibus herbas.
Primus enim valido ſubnixus eburnea collo
Fert juga formoſi pecoris cuſtodia Taurus,
Stellatus minio Taurus: cui cornua fronti
Aurea, & auratis horrent palearia ſetis:
Perque pedes bifidæ radiant, nova ſidera, gemmæ.
Torva bovi facies: ſed qua non altera cœlo
Dignior, imbriferum quæ cornibus inchoët annum,
Nec quæ tam claris mugitibus aſtra laceſſat.
It juxta nemorum terror, rexque ipſe ferarum
Magnanimus nitet ore Leo: quem fuſa per armos
Conveſtit juba: pectoribus generoſa ſuperbit
Majeſtas, non jam ut cædeis, aut prælia ſævus
Adpetat, (innocuis armantur dentibus ora,
Grataque tranquillo ridet clementia vultu)
Sed cœlo ut ſpatietur, & alta ad ſidera tendat.
Hos poſt inſequitur pulchros pennata per artus
Alituum regina: ſacræ cui vertice plumæ
Adſurgunt: flavoque caput diademate fulget.
Ipſa ingens alis, ingentis fulminis inſtar
Supra hominum tecta, ac monteis, ſupraque volucres
Fertur, & obſtanteis curſu petit obvia nubeis.
Ultimus humana ſociat cervice laborem
Alatus tergo juvenis: cui lutea lævo
Ex humero chlamys Eois inſperſa lapillis
Pendet: eam variant centum longo ordine Reges,

Digitized by Google

Antiquum genus, & Solymæ primordia gentis,
Oſtro intertexti. veros cognoſcere vultus
Eſt illic: veros montes & flumina credas:
Et vera extremo Babylon nitet aurea limbo.
Tali ſidereas curru ſubvectus in auras,
Indutos referens ſpoliis pallentibus axeis
Perveniet, recto qua panditur orbita tractu
Lactea, & ad ſedeis ducit candentis olympi.
Illic auratæ muros mirabimur urbis,
Aurataſque domos, & gemmea tecta, viaſque
Stelliferas, vitreoſque altis cum montibus amneis:
Atque ibi ſeu magni celſum penetrale Tonantis,
Sive alios habitare lareis, & tecta minorum
Cœlicolûm dabitur, ſtellas numerare licebit,
Surgentemque diem pariter, pariterque cadentem
Sub pedibus ſpectare, & longos ducere ſoles
Longaque venturis protendere nomina ſæclis.
Hæc ubi dicta: patres plauſu excepere frequentes
Fatidicum vatem, ſublatumque aggere ripæ
Adtollunt humeris, lætumque per avia ducunt.
Intremuere Erebi ſedes, obſcuraque Ditis
Limina: ſuſpirans imo de corde Megæra
Dat gemitum, & torvas ſpectat ſine mente ſorores.
Tum caudam exululans ſub ventre recondidit atram
Cerberus, & ſonteis latratu terruit umbras:
Commotiſque niger Cocytus inhorruit antris:
Et vaga Siſyphiis hæſerunt ſaxa lacertis.

DE PARTU VIRGINIS

Liber Secundus.

Regina ut ſubitos imo ſub pectore motus
Senſit, & adflatu divini numinis aucta eſt:
Haud mora, digreſſu volucris ſuſpenſa miniſtri,
Exſurgit; monteiſque procul contendit in altos
Feſtinans. ea cura animo vel prima recurſat,
Matronam defeſſam ævo, cui nulla fuiſſent
Dona uteri (mirum dictu) jam ſegnibus annis
Fœcundam, ſextique gravem ſub pondere menſis
Protinus adfari, vocemque audire loquentis,
Et ſpectare oculis ſterili data pignora matri.
Ergo adcincta viæ nullos ſtudioſa paratus
Induitur, nullo diſponit pectora cultu:
Tantum albo crineis injectu veſtis inumbrans:
Qualis ſtella nitet, tardam quæ circuit Arcton
Hyberna ſub nocte: aut matutina reſurgens
Aurora: aut ubi jam Oceano Sol aureus exit.
Quaque pedes movet, hac caſiam terra alma miniſtrat,
Pubenteiſque roſas, nec jam mœſtos hyacinthos,
Narciſſumque, crocumque, & quicquid perpureum ver
Spirat hians, quicquid florum per gramina paſſim
Suggerit immiſcens varios natura colores.
Parte alia celeres ſiſtunt vaga flumina curſus:
Exſultant valleſque cavæ, colleſque ſupini:
Et circumſtantes ſubmittunt culmina pinus:
Crebraque palmiferis erumpunt germina ſylvis.
Omnia lætantur: ceſſant Eurique Notique:
Ceſſat atrox Boreas: tantum per florea rura
Regna tenent Zephyri, cœlumque tepentibus auris

Mul-

Mulcent, quaque datur, gradientem voce ſalutant.
Ut ventum ad ſedeis, vultu longæva verendo
Occurrit conjux juſti ſenis: atque repente
Plena Deo, ſubitoque uteri concuſſa tumultu,
Excipit amplexu venientem, ac talibus infit:
O decus, o laudis mulier dux prævia noſtræ,
Cœlitibus ſola humanum quæ digna reperta es
Conciliare genus, cœtuſque adtollere ad aſtra
Fœmineos: gremium cujus divinus obumbrat
Palmes, inexhauſtis terras qui compleat uvis:
Quis me, quis tanto ſuperûm dignatur honore?
Tune procul viſura humileis Regina penateis
Veniſti? tune illa mei pulcherrima regis
Mater ades? viden' ut noſtra puer excitus alvo,
Cum mihi vix primas vocis ſonus ambiat aureis,
Jam ſalit, & dominum ſeu præcurſurus adorat?
Felix Virgo animi, felix, cui tanta mereri
Credulitas dedit una: in te nam plena videbis
Omnia, quæ magni verax tibi dixit olympi
Aliger, arcano delapſus ab æthere curſu.
Illa ſub hæc: Miranda alti quis facta Tonantis,
O mater, meritas cœlo quæ tollere laudes
Vox queat? exſultant dulci mea pectora motu
Autori tantorum operum: qui me ima tenentem,
Indignamque, humilemque ſuis reſpexit ab aſtris.
Munere quo genteis felix ecce una per omneis
Jam dicar: nec vana fides: ingentia quando
Ipſe mihi ingenti cumulavit munera dextra
Omnipotens, ſanctumque ejus per ſæcula nomen,
Et quæ per magnas clementia didita terras
Exundat, qua paſſim omneis ſua juſſa verenteis
Uſque fovens, nullo neglectos deſerit ævo.
Tum fortem exertans humerum, dextramque coruſcam,

Inſanos longe faſtus, menteiſque ſuperbas
Diſpulit, afflixitque ſuper: ſolioque potenteis
Deturbans dedit in præceps, & ad ima repreſſit:
Extollenſque humileis aliena in ſede locavit:
Pauperiemque famemque fugans implevit egenos
Divitiis: vacuos contra nudoſque reliquit,
Qui nullas opibus metas poſuere parandis.
Poſtremo ſobolem (neque enim dare majus habebat)
Æternam genitor ſobolem, ſæcliſque priorem
Omnibus, æqualemque ſibi de ſanguine fidi
Suſcepit pueri (tantis quod honoribus unum
Deerat adhuc) non ille animi, morumque ſuorum
Oblitus. quippe id meditans promiſerat olim
Sacrificis proavorum atavis, ſtirpique nepotum.
Hæc virgo. At ſenior, nullus cui vocis ademptæ
Uſus erat, ſupplex nunc greſſum obſervat euntis,
Virgineoſque pedes, tactæque dat oſcula terræ:
Nunc lætus tollit dupliceis ad ſidera palmas:
Quoque poteſt ſolo teſtatur gaudia nutu:
Oſtenditque manu vatum tot ſcripta priorum:
Quæ quis agente Deo, quondam, dum vita manebat,
Edidit, & populis liquit celebranda futuris:
Scilicet effuſum tacitis de nubibus imbrem
Lanigerum in tergus: germenque e ſtirpe vetuſtæ
Arboris exſurgens: incombuſtumque ſonoro
Igne rubum: & priſcis ſtellam de patribus ortam.
Quæ dum cuncta gravi, venturi haud inſcia, viſu
Percurrit relegens, alto cum corde volutat
Conceptus Virgo inſolitos, & ab æthere lapſam
Progeniem, pluviæ in morem, quæ vellere molli
Excepta haud ullos ſonitus, nec murmura reddit:
Seque rubum, virgamque, alto ſe denique miſſam
Sidus grande mari prorſum agnoſcitque videtque.

Non

Non tamen auſa loqui, tanto aut ſe dicere dignam
Munere: ſed tacito affectu tibi maxime divûm
Grateis rector agit, mentemque ad ſidera tollit.
Et jam Luna cavum ter luce repleverat orbem:
Ter ſolitas de more intrarat cæca latebras: do
Cum Virgo in patriam reditum parat, omnia quan-
Certa videt: ſubeunt dilectæ grata parentis
Adloquia, adſuetæque piis ſermonibus ædes:
Quæque ſalutantis voces, ac verba miniſtri
Audiit, & primos excepit cella volatus:
Cella choris ſuperûm luſtrata, & cognita cœlo.
Ergo iter incœptum charis digreſſa propinquis
Accelerat, relegitque viam per nota locorum:
Nec mora, nec requies uſquam: nec lumina flectit,
Cœlicolûm quamvis ſacro circumdata cœtu,
Donec ad optatum pervenit ſedula limen:
Atque ibi, dum conſueta ſuo cum pectore verſat
Gaudia, paulatim maturi tempora ventris
Adventare videt. ſcires jam numen in illa
Grande tegi, nullos adeo ſentire dolores
Dat ſuperûm genitor, nullaque ex parte gravari.
Interea terra parta jam pace, marique,
Auguſtus pater æratis bella impia portis
Clauſerat, & validis arctarat vincta catenis:
Dumque ſuas regnator opes vireiſque potentis
Imperii, exhauſtaſque armis civilibus urbeis
Noſſe cupit, magnum cenſeri juſſerat orbem,
Deſcribi populos latè, numerumque referri
Cunctorum ad ſeſe capitum, quæ maxima tellus
Suſtinet, & rapido complectitur æquore Nereus.
Ergo omneis lex una movet, ſua nomina mittunt,
Qui monteis Aurora tuos, regna illa feracis
Armeniæ, qui convalleis, atque alta Niphatæ

Digitized by Google

Saxa tenent, longè pictis gens nota pharetris,
Gens fineis luſtrare ſuos non ſegnis, & arcu,
Qua vagus Euphrates, qua devius exit Araxes,
Felices tractus, & late munere divûm
Conceſſos defendere agros bene olentis amomi.
Cenſetur Tauri paſſim, cenſetur Amani
Incola: prædatorque Cilix: & Iſaurica quiſquis
Rura domat: quicunque tuas, Pamphylia, ſylvas,
Quique Lycaoniam, felicia jugera, quique
Flaventem curvis Lyciam perrumpit aratris.
Jam clari bello Leleges, populique propinqui
Juſſa obeunt: gens quæque ſuo dat nomina ritu.
Qui Ceramon, bimaremque Gnidon, quique alta tuentur
Mœnia, diſpoſitis ubi circum ſepta columnis
Tollit ſe nivei moles operoſa ſepulcri,
Barbara quam rapto poſuit regina marito:
Et quos Mæandri, toties ludente recurſu,
Unda rigat, rigat ipſe ſuo mox amne Cayſter,
Herboſo niveos dum margine paſcit olores:
Quoſque metalliferis veniens Pactolus ab antris
Circuit, & rutila non parcior Hermus arena:
Myſorum manus omnis, Apollineæque Celenæ:
Idaque, Rhœtææque arces, celebrataque Muſis
Pergama, Sigæumque jugum, Priamëia quondam
Regna armis, ducibuſque, ducum nunc nota ſepulcris:
Quæ nauta, anguſtum dum præterit Helleſpontum,
Oſtendens ſociis, Hoc, inquit, littore flentes
Nereïdes ſteterant, paſſis cum mœſta capillis
Ipſa ſuum de more Thetis clamaret Achillem.
His & Bithynæ claſſes, & Pontica latè
Accedit regio, paret ſcopuloſa Carambis,
Parendi ſtudio fervet ſimul alta Sinope: (ctus
Fervet Halys: quique immenſis procul amnibus au-

Cap-

Digitized by Google

Cappadocum medios populos diſcriminat Iris:
Thermodonque, Halybeſque, adtritaque ſaxa Prome-
Præterea qua ſe Thracum Mavortia tellus (theo.
Pandit, & algentem Rhodope procurrit in Æmum,
Qua Macetûm per ſaxa ruit torrentibus undis
Axius, umbroſæque tegunt Halyacmona ripæ:
Quaque jacet diris omen Pharſalia bellis,
Et bis Romana ferales clade Philippi,
Conveniunt populi certatim, & juſſa faceſſunt.
Vos etiam veſtros his adjunxiſtis alumnos
Vicinæ paſſim vacuis jam mœnibus urbes,
Antiquæ Grajorum urbes, gens optima morum
Formatrix, clara ingeniis, & fortibus auſis:
Seu quæ littoreos tractus monteiſque teneris:
Seu quæ per medias diſperſæ exſurgitis undas.
Tum latus Epiri, qua formidabile nautis
Adtullunt ſummo caput Acroceraunia cœlo,
Urget opus; jamque Alcinoi dat regia cenſum,
Illyricæque manus, impacatique Liburni,
Littoraque Ionio paſſim pulſata profundo.
Nec tu, cui latè imperium terræque mariſque
Bellatrix peperit virtus, & Martius ardor,
Non populos, non ipſa tuas terra inclyta genteis
Deſcribis, terra una armis, & fœta triumphis,
Una viris longe pollens, atque æmula cœlo:
Nubiferæ quam præruptis anfractibus Alpes
Præcingunt, mediamque pater ſecat Apenninus,
Et geminum rapido fluctu circumtonat æquor.
Deſcripſere ſuos (quamvis non axe ſub uno,
Hinc Rhenus pater indigenas, hinc latior undis
Danubius, qui ſylvarum per vaſta volutus,
Paſcere non populos, non lambere deſinit urbeis,
Donec ad optatam rapido venit agmine Peucen.

Quin & proceras ſcrutatur Gallia ſylvas,
Gallia Cæſareis Latio dignata triumphis:
Qua Rhodanus, qua findit Arar, qua permeat ingens
Sequana, piſcoſoque interluit amne Garumna.
Tum quas piniferis genteis prærupta Pyrene
Rupibus Herculeas proſpectat ad uſque columnas,
Cogit Anas, cogit ripa formoſus utraque,
Duria, & albenti Bætis præcinctus oliva,
Auratamque Tagus volvens ſub gurgite arenam,
Quique ſuo terras inſignit nomine Iberus.
Parte alia vaſtas circumvocat Africa vireis:
Getuli, Maurique duces rimantur opaci
Atlantis nemora, & diſperſa mapalia ſylvis.
Scribitur & vacuis ut quiſque inventus arenis
Seu paſtor, ſeu ſubcinctis venator in armis
Obſervans ſævos latebroſa ad teſqua leones.
Maſſylum quicunque domos, quicunque repoſtos
Heſperidum lucos, munitaque montibus arva
Incolit, & ramis nativum decutit aurum:
Et qui vertenteis immania ſaxa juvencos
Flectit arans, qua devictæ Carthaginis arces
Procubuere, jacentque infauſto in littore turres
Everſæ. Quantum illa metu, quantum illa laborum
Urbs dedit inſultans Latio, & Laurentibus arvis!
Nunc paſſim vix relliquias, vix nomina ſervans
Obruitur propriis non agnoſcenda ruinis.
Et querimur genus infelix humana labare
Membra ævo: cum regna palam moriantur, & urbes?
Jamque Macas idem ardor habet: venere volentes
Barcæi: venere ſuis Naſamones ab arvis:
Navifragas qui per Syrteis, inſidaque circum
Littora mœrentum ſpoliis onerantur, & altos
Inſiliunt nudi cumulos exſtantis arenæ,

Inque

Inque ſuas vertunt aliena pericula prædas.
Poſtremo Pſylli, Garamanticaque arva tenentes:
Quique Cyrenæas ſuſpendunt vomere glebas,
Laudataſque legunt ſuccis præſtantibus herbas;
Quique Jovis palmeta, Hasbytarumque receſſus:
Marmaricas qui late oras: qui paſcua ſervant
Ægypti, Meroeſque, ſacer quos Nilus inundat,
Nilus ab æthereo ducens cunabula cœlo.
 Nec minus & caſta ſenior cum Virgine cuſtos
Ibat, ut in patria nomen de more, genuſque
Ederet, & juſſum non ſegnis penderet aurum.
Ille domum antiquam, & regnata parentibus arva
Inviſens, ſecum proavos ex ordine reges, (tem
Claraque facta ducum, pulchramque ab origine gen-
Mente recenſebat tacita: numerumque ſuorum,
Quamvis tunc pauper, quamvis incognitus ipſis
Agnatis, longe adveniens explere parabat.
Jam fineis Galilæa tuos emenſus, & imas
Carmeli valleis, quæque altus vertice opacat
Rura Thabor, ſparſamque jugis Samaritida terram
Palmiferis, Solymas à læva liquerat arceis;
Cum ſimul e tumulo muros, ac tecta domorum
Proſpexit, patriæque agnovit mœnia terræ:
Continuo lacrymis urbem veneratur obortis:
Intenditque manus, & ab imo pectore fatur:
 Bethlemiæ turres, & non obſcura meorum
Regna patrum, magnique olim ſalvete penates:
Tuque o terra parens regum, viſuraque regem,
Cui ſol, & gemini famulantur cardinis axes,
Salve iterum: te vana Jovis cunabula Crete
Horreſcet, ponetque ſuos temeraria ſaſtus:
Mœnia te Dircæa trement: ipſamque pudebit
Ortygiam geminos Latonæ extollere partus.

Parva loquor: prono veniet diademate ſupplex
Illa potens rerum, terrarumque inclyta Roma,
Et ſeptemgeminos ſubmittet ad oſcula monteis.
Dixit, & extrema movit veſtigia voce:
Maturatque viam ſenior, tardumque fatigat
Vectorem, & viſas greſſus molitur ad oras.
Et jam prona dies fluctus urgebat Iberos,
Purpureas pelago nubeis aurumque relinquens:
Ecce autem magnis plenam conventibus urbem
Protinus, ut venêre, extremo e limine portæ
Adſpiciunt. Miſtum confluxerat undique vulgus,
Turba ingens. credas longinquo ex æquore vectas
Ad merceis properaſſe: aut devaſtantibus arva
Hoſtibus, in tutum trepidos fugiſſe colonos.
Cernere erat perque anfractus, perque arcta viarum
Cuncta repleſſe viros, confuſoque ordine matres:
Permiſtos pecori agricolas, hos jungere plauſtra:
Hos intendere vela; alios diſcumbere apertis
Porticibus: reſono compleri cuncta tumultu:
Accenſos variis lucere in partibus igneis.
Quæ pater admirans, tacito dum ſingula viſu
Percurrit, circumque domos, & limina luſtrat,
Nec ſupereſſe locum tecto videt. Ibimus, inquit,
Quo Deus, & quo ſancta vocant oracula patrum.
Eſt ſpecus haud ingens parvæ ſub mœnibus urbis;
Incertum, manibusne hominum, genione potentis
Naturæ formatus, ut hæc ſpectacula terris
Præberet, tantoſque diu ſervatus in uſus
Hoſpitio cœlum acciperet; cui plurima dorſo
Incumbit rupes pendentibus undique ſaxis
Aſpera; & exeſæ cingunt latera ardua cautes:
Defunctis operum domus haud ingrata colonis.
Huc heros tandem ſuperata ambage viarum,

Sic

Digitized by Google

Sic monitus ducente Deo, cum conjuge ſancta
Devenit, multaque ſenex ſe nocte recepit.
Ac primum ſiccis ramalibus excitat ignem:
Stramineoque toro comitem locat, ægra cubantis
Membra ſuper veſtem involvens: mox adligat ipſos
Permulcens, jam non duros, jam ſponte ſequenteis
Quadrupedes, ut forte aderat fœnile ſaligna
Subfultum crate, & palmarum vimine tectum.
Nunc age, Caſtaliis quæ nunquam audita ſub antris,
Muſarumve choris celebrata, aut cognita Phœbo,
Expediam. vos ſecretos per devia calleis
Cœlicolæ, vos (ſi merui) monſtrate receſſus
Intactos: ventum ad cunas, & gaudia cœli,
Mirandoſque ortus, & tecta ſonantia ſacro
Vagitu: ſtat ferre pedem, qua nulla priorum
Obvia ſint oculis vatum veſtigia noſtris.
Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis
Nondum ſtelliferi mediam pervenit olympi
Ad metam, & tacito ſcintillant ſidera motu:
Cum ſylvæque urbeſque ſilent: cum feſſa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora ſomnos:
Non fera, non volucris, non picto corpore ſerpens
Dat ſonitum, jamque in cineres conſederat ignis
Ultimus: & ſera perfuſus membra quiete
Scrupoſo ſenior caput adclinaverat antro.
Ecce autem nitor ex alto novus emicat, omnemque
Exſuperat veniens atræ caliginis umbram,
Auditique chori ſuperûm, & cœleſtia curvas
Agmina pulſantum citharas, ac voce canentum.
Agnovit ſonitum, partuſque inſtare propinquos
Haud dubiis Virgo ſenſit lætiſſima ſignis.
Protinus erigitur ſtratis, cœloque nitenteis
Adtollit venerans oculos, ac talia fatur:

Omnipotens genitor, magno qui ſidera nutu,
Aëriosque regis tractus, terraſque fretumque,
Ecquid adeſt tempus, quo ſe ſine labe ſerenam
Efferat in lucem ſoboles tua? quo mihi tellus
Rideat, & teneris depingat floribus arva?
En tibi maturos fructus, en reddimus ingens
Depoſitum: tu, ne qua pio jactura pudori
Obrepat, ſummo defende, & conſule, cœlo.
Ergo ego te gremio reptantem, & nota petentem
Ubera, chare puer, molli ſtudioſa fovebo
Amplexu? tu blanda tuæ dabis oſcula matri
Arridens, colloque manum, & puerilia nectes
Brachia, & optatam capies per membra quietem?
Sic memorat, fruiturque Deo, comitumque micanti
Agmine, diviniſque animum concentibus explet.
Atque olli interea revoluto ſidere felix
Hora propinquabat. Quis me rapit? accipe vatem
Diva tuum, rege diva tuum; feror arduus altas
In nubeis: video totum deſcendere cœlum
Spectandi excitum ſtudio. Da pandere factum
Mirum, indictum, inſuetum, ingens: abſiſtite curæ
Degeneres, dum ſacra cano. Jam læta laborum,
Jam non tacta metu, ſæcli regina futuri
Stabat adhuc, nihil ipſa ſuo cum corde caducum,
Nil mortale putans: illam natuſque, paterque,
Quique prius quam Sol cœlo, quam Luna niteret,
Spiritus obſcuras ibat ſuper igneus undas,
Stant circum, & magnis permulcent pectora curis.
Præterea redeunt animo quæcunque verendus
Dixerat interpres: acti ſine pondere menſes,
Servatuſque pudor clauſa cum protinus alvo
(O noctem ſuperis lætam, & mortalibus ægris!)
Sicut erat foliis ſtipulaque innixa rigenti,

Divinum,

Digitized by Google

Divinum, ſpectante polo, ſpectantibus aſtris,
Edit onus. Qualis rorem cum vere tepenti
Per tacitum matutinus deſudat Eous,
Et paſſim teretes lucent per gramina guttæ:
Terra madet: madet aſperſa ſub veſte viator
Horridus, & pluviæ vim non ſenſiſſe cadentis
Admirans, gelidas udo pede proterit herbas.
Mira fides, puer æthereas jam lucis in auras
Prodierat, fœnoque latus male fultus agreſti
Impulerat primus reſonum vagitibus antrum:
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incurſanteis devexi ponderis ictus
Senſerat: hærebant immotis viſcera clauſtris.
Haud aliter, quam cum purum ſpecularia Solem
Admittunt; lux ipſa quidem pertranſit, & omneis
Irrumpens laxat tenebras, & diſcutit umbras:
Illa manent illæſa, haud ulli pervia vento,
Non hyemi, radiis ſed tantum obnoxia Phœbi.
Tunc puerum tepido genitrix involvit amictu,
Exceptumque ſinu, blandeque ad pectora preſſum
Detulit in præſepe. Hic illum mitia anhelo
Ore fovent jumenta. O rerum occulta poteſtas!
Protinus agnoſcens dominum procumbit humi bos
Cernuus: &, mora nulla, ſimul procumbit aſellus
Submittens caput, & trepidanti poplite adorat.
Fortunati ambo: non vos aut fabula Cretæ
Polluet, antiqui referens mendacia furti,
Sidoniam mare per medium vexiſſe puellam:
Aut ſua dum madidus celebrat portenta Cytheron,
Infameis inter thyrſos, vinoſaque ſacra,
Arguet obſequio ſenis inſudaſſe profani.
Solis quippe Deum vobis, & pignora cœli
Noſſe datum, ſolis cunabula tanta tueri.

Ergo dum refluo ſtabit circundata fluctu
Terra parens: dum præcipiti vertigine cœlum
Volvetur: Romana pius dum templa ſacerdos
Rite colet; veſtri ſemper referentur honores:
Semper veſtra fides noſtris celebrabitur aris.
Quis tibi tunc animus, quæ ſancto in corde voluptas,
O genitrix, cum muta tuis famulantia cunis,
Ac circum de more ſacros referentia ritus
Adſpiceres domino genua inclinare potenti,
Et ſua commotum trahere ad ſpectacula cœlum?
Magne pater, quæ tanta rudeis prudentia ſenſus
Leniit? informi tantos quis pectore motus
Excivit calor, & pecudum in præcordia venit?
Ut quem non reges, non accepere tot urbes,
Non populi, quibus una aras, & ſacra tueri
Cura fuit: jam bos torpens, jam ſegnis aſellus
Autorem late poſſeſſoremque ſalutent?
Vocibus interea ſenſim puerilibus heros
Excitus ſomnum expulerat, noctemque fugarat
Ex oculis: jamque infantem videt, & videt ipſam
Majorem adſpectu, majori & lumine matrem
Fulgentem, nec quoquam oculos, aut ora moventem,
Sublimemque ſolo, ſuperûm cingente caterva
Aligera. Qualis noſtrum cum tendit in orbem,
Purpureis rutilat pennis nitidiſſima Phœnix,
Quam variæ circum volucres comitantur euntem:
Illa volans ſolem nativo provocat auro,
Fulva caput, caudam & roſeis interlita punctis
Cæruleam: ſtupet ipſa cohors, plauſuque ſonoro
Per ſudum ſtrepit innumeris exercitus alis.
Miratur lucem inſolitam: miratur ovanteis
Cœlicolûm cantus ſenior: tum victus, & amens,
Adtonituſque animi, tantiſque ardoribus impar
Corruit,

Corruit, & geminas vultum demiſit in ulnas:
Adfuſuſque diu telluri, immobilis hæſit.
Hic illum ſuperi juxta videre jacentem:
Vidit Dia parens, nec longum paſſa ſenileis
Obduci tenebris oculos, dat ſurgere, & ægrum
Suſtentare genu, tremuliſque inſiſtere plantis,
Divinoſque pati vultus, ſuperique nitorem
Ignis, & æthereas vibrantia lumina flammas.
Ille ubi paulatim vireis, animumque reſumpſit,
Nodoſo incumbens baculo, modulantia primum
Agmina, reginamque Deûm de more ſalutat.
Mox ipſum accedens præſepe, ulvaque paluſtri
Impoſitum ſpectans dominum terræque mariſque,
(O timor, o mentis pietas!) puerilia membra
Non auſus tractare manu, cunctatur. ibi auram,
Inſperatam auram, divino efflantis ab ore
Ore trahens, ſubito correptus numinis hauſtu,
Adflatuſque Deo, ſic tandem voce quieta
Incipit, & lacrymis oculos ſuffundit obortis:
Sancte puer, non te Pariis operoſa columnis
Atria, non variata Phrygum velamina textu
Excepere, (jaces nullo ſpectabilis auro)
Anguſtum ſed vix ſtabulum, male commoda ſedes,
Et fragiles calami, lectæque paludibus herbæ
Fortuitum dant ecce torum. laqueata tyrannos
Tecta, & regifico capiant aulæa paratu:
Te pater æterno ſuperûm ditavit honore
Illuſtrans: tibi ſiderei domus aurea cœli
Plaudit, inexſtinctoſque parat natura triumphos:
Et tamen hanc ſedem reges, hæc undique magni
Antra petent populi: longe quos cærula Calpe
Littore ab occiduo, nigriſque impellet ab Indis
Sol oriens, quos & Boreas, & fervidus Auſter

Diverſo inter ſe certantes cardine mittent.
Tu paſtor, tu diſperſas revocare per agros
Miſſus oveis late, pectuſque offerre periclis,
Prodigus ah nimium vitæ, per tela, per hoſteis
Obſcurum nemus irrumpens, rabida ora luporum
Compeſces, ſaturumque gregem ſub tecta reduces.
O mihi certa fides ſuperûm, decus addite terris,
Nate Deo, Deus ipſe, æterno e lumine lumen;
Te te ego, te circum genitrix, lætique miniſtri
Concinimus, primique tuos celebramus honores,
Longaque perpetuis indicimus orgia faſtis.

DE PARTU VIRGINIS

Liber Tertius.

Auratum interea culmen bipatentis Olympi
Conſcendit genitor, rerum inviolata poteſtas,
Læta fovens tacito ſub pectore: mox jubet omneis
Ad ſeſe acciri ſuperos, quique atria longe
Obſervant, quique arcanis penetralibus adſtant:
Præterea quos Eoos Aurora per ortus,
Et quos occiduæ propior videt Heſperus oræ.
Namque ferunt olim, leges cum conderet æquas
Rex ſuperûm, & valido mundum ſuſpenderet axe.
Diverſas ſtatuiſſe domos, diverſaque divis
Hoſpitia, & dignos meritis tribuiſſe penateis,
Ordine cuique ſuos. Illi data tecta frequentant;
Armaque, & æratis adfigunt nomina valvis.
Haud mora fit: celerant juſſi: volat æthere toto
Cœlicolûm glomerata manus; pars igne coruſco
Tota rubens, pars ſtelliferis innexa coronis.
Ipſe ſedens humeris chlamydem fulgentibus aptat

In-

Digitized by Google

Ingentem, & cœlum pariter, terraſque tegentem.
Quam quondam (ut perhibent) vigilans nocteiſque dieſ-
Ipſa ſuo nevit rerum Natura Tonanti, (que
Adjecitque ſacræ decus admirabile telæ,
Per medium, perque extremas ſubtegminis oras
Immortale aurum intexens, grandeiſque ſmaragdos.
Illic nam varia mundum diſtinxerat arte
Gnara operum mater, certiſque elementa figuris,
Et rerum ſpecies, animaſque, & quicquid ab alta
Fundit mente pater. Generis primordia noſtri
Cernere erat limum informem: jam præpete penna
Deferri volucreis liquidum per inane videres:
Jam ſylvis errare feras, pontumque natari
Piſcibus, & vero credas ſpumeſcere fluctu.
Hic poſtquam aligeros gemmata ſedilia cœtus
Accepere, pater ſolio ſic infit ab alto:
Ætherei proceres, (neque enim ignoratis & auſus
Infandos, dirumque acies ſuper aſtra frementeis)
Si mecum juvat antiquos ab origine motus
Inſpicere, & veterum pariter meminiſſe laborum:
Quandoquidem hæc vobis peperit victoria laudem:
Huc animos, huc pacatas advertite menteis.
Vos, cum omne arderet cœlum ſervilibus armis,
Arctoumque furor pertenderet impius axem
Scandere, & in gelidos regnum transferre Triones:
Fida manus mecum manſiſtis: & ultima tandem
Experti cœlo victricia ſigna tuliſtis:
Æternumque alta fixiſtis in arce tropæum.
Quos ego pro meritis inſigni munere palmæ
Donavi, regnique in partem, operumque recepi,
Præcipuoſque habui, lectoſque ad juſſa miniſtros:
Uſque adeo fixa antiqui ſtat gratia facti.
Nec minus & noſtras audiſtis ſæpe querelas,

Vidiſtiſ-

Vidiſtiſque graveis flammati pectoris æſtus,
Tunc cum prima novas egit dementia genteis
Arboris auricomæ cœleſtia carpere poma:
Poma gravi ſeros guſtu læſura nepotes.
Munere quin ſuperùm indignas ſpoliaſtis & umbra
Sacrorum late nemorum: aſſiduoque labore
Multaſtis miſeras, vitæ & brevioribus annis.
Quid repetam veteri ſumptas de crimine pœnas?
Exiliumque informe Erebi, tenebraſque repoſtas?
Quæ tacito mecum ſpectaſtis lumine: & iidem
Terrarum ſortem mœſti indoluiſtis acerbam.
Aut etiam ut noſtri longo poſt tempore tandem
Pectoris indomitas clementia vicerit iras:
Viſque arcana leveis ſenſim demiſſa per auras
Fœcundam intactæ complerit Virginis alvum?
An temere hoc, nullaque actum ratione putatis?
Quippe ita manſuras decuit me ponere leges:
Quo terræque, poluſque, homines, divique viciſſim
Fœderibus ſtarent certis, & pignore tanto
Servarent memorem cognatæ ſtirpis amorem.
Quare agite, & jam nunc humana capeſſite fata.
Ac primum duris parvi ſub cautibus antri
Gramineos luſtrate toros: luſtrate beatam
Pauperibus ſedem calamis: cunctique recenteis
Submiſſi cunas accedite, dum pia mater
Complexu in molli natum fovet, ubera pernox
Indulgens teneris pueri rorantia labris.
Nec procul in ſtipula demiſſo pectore mutum
Procumbit pecus, & domini veſtigia lambens
Pervigilat; longos fundit dum tibia cantus.
Hîc fauſtos ortus pueri, noctemque verendam
Diſcurſu per inane levi, paſſimque canoris
Laudibus excipite, & plauſu celebrate faventes

Omnia

Omnia felicem ventura in ſæcula pacem;
Certatimque renaſcentis cunabula mundi,
Victum anguem, victumque anguis furiale venenum.
Sic placitum, ſic averſos conjungere terris
Cœlicolas: ſic ferre homines ad ſidera certum eſt.
  Hæc ubi dicta, novum ſuperis inſpirat amorem,
Quo ſubito veteres deponant pectoris iras,
Obliti ſcelerum: patriſque exempla ſecuti,
Terrarum flagrent ſtudio, & mortalia curent.
Nec mora: Lætitiam choreis tum forte vacantem
Advocat: (*hæc magni* motuſque animoſque Tonantis
Temperat, & vultum diſcuſſa nube ſerenat)
Lætitiam, quæ cœlicolûm per limina ſemper
Diſcurſat, raroque imas petit hoſpita terras:
Curarumque expers, lacrymaſque exoſa virago,
Exſultat, totoque abigit ſuſpiria cœlo.
Ut ſtetit ante patrem, terraſque accedere juſſa eſt:
Mobilibus pictas humeris accommodat alas,
Lenimenque viæ comites vocat. Ilicet adſunt
Jucundæ viſu facies Cantuſque, Chorique,
Gaudiaque, Plauſuſque, & honeſtis ignibus ardens
Rectus Amor: quem nuda Fides, Speſque inſcia luctus
Vadentem, mira unanimes pietate ſorores
Obſervant. Sequitur mox inculpata Voluptas,
Gratiaque, & niveam ſuadens Concordia pacem.
Cumque propinquaſſet portæ, quæ maxima cœlo
Dicitur, æternumque micat radiata coruſcis
Aſtrorum ſignis: quando mortalibus ægris
Dant nimbos aliæ, & damnant caligine terras:
Succinctæ occurrunt Horæ properantibus alis,
Inſomnes Horæ: namque his fulgentia divûm
Limina, & ingentis cuſtodia credita cœli.

Protinus æratos impulſo cardine poſteis
Cum ſonitu, magnoque polos quaſſante fragore
Præpandunt obnixæ humeris. Volat illa per auras
Obſcura ſub nocte nitens. gratantur eunti
Sidera. Jam feſtas meditatur Luna choreas:
Exſultant Hyades: gaudet mutata Boötes
Plauſtra auro, totoſque auro fulgere juvencos.
Tunc primum viſa eſt miſeri poſt fata parentis
Riſiſſe Erigone, & longum poſuiſſe dolorem:
Armatoque enſis ſubducitur Orioni.
Ut vero umbroſis poſuit veſtigia ſylvis,
Culmina conſcendit paſtorum, atque omnia late
Perluſtrans tacitis oculis loca, concutit alas
Adplaudens: pictoſque ſinus ſub nocte coruſcans,
Subriſit lætum, puraque in luce refulſit.
Primi illam ſenſere canes: ſenſere jacentes
Hœdorum paſſim per dura cubilia matres:
Balatuque ovium valles ſonuere propinquæ,
Saxaque; & adtoniti caput erexere magiſtri.
Tunc ait: O parvi vigiles gregis, o bona pubes
Sylvarum, ſuperis gratum genus, ite beati
Paſtores, ite, antra novis intendite ſertis.
Reginam ad cunas, poſitumque in ſtramine regem
(Certa fides) alti jam jam moderator olympi
Cernere dat, properate: novique tepentia lactis
Munera, cumque ſuo date condita ſubere mella:
Inſuetum & ſylvis ſtipula deducite carmen
Nec plura effata in nubeis taciturna receſſit,
Et penitus nigra noctis ſe condidit umbra.
Olli inter ſeſe vario ſermone volutant,
Quid ſuperûm mandata velint, quas quærere cunas,
Quos jubeant reges, quæ cingere frondibus antra.

Conti-

Continuo variis innectunt tempora ramis:
Nectitur & lentiſcus, opacæque arbutus umbræ,
Roſque maris,buxuſq;& denſa comam terebinthus:
Cunctaque frondenti redimitur turba corona.
Mox ſylvam exquirunt omnem: ſaltuſque repoſtos
Flammiferis luſtrant tædis. Ardere putares
Arva procul, totumque incendi lumine montem.
Tandem inter dumos feſſi, ſub rupe cavata
Speluncam adſpiciunt: vocemque rudentis aſelli
Auribus accepere: vident ipſamque, bovemque,
Longævumque ſenem, ſtantemque ad lumina matrem
Inſomnem, & preſſis refoventem pignus in ulnis.
Ergo inſperatæ gaviſi munere ſortis,
Ocyus ingentem procero ſtipite laurum,
Avulſamque ſolo palmam ab radicibus imis
Adtollunt humeris: perque intervalla canentes
Cum plauſu choreiſque, & multiſono modulatu
Veſtibuli ante aditum ſtatuunt: omnemq; coronant
Fronde locum: grandeis oleas, cedroſque comanteis
Adfigunt: longiſque advelant limina ſertis:
Et late Idaliam ſpargunt cum baccare myrtum.
Quos bonus ex antro dictis adgreſſus amicis
Compellat ſenior: placidaque hæc voce profatur:
  Dicite paſtores, (neque enim ſine numine, credo,
Tam certum tenuiſtis iter) cui tanta paratis
Munera? cui virideis ramis frondentibus umbras
Texitis? anne aliquis ſuperûm patre miſſus ab alto
Has docuit ſedeis, locaque hæc accedere juſſit?
Sic memorans, ſeſe lætum venientibus offert.
Illi autem: Nova per tenebras, nova lucis imago,
O genitor, media viſa eſt modo lumina ſylva
Spargere, & in noſtras diffundere gaudia menteis

Sive Deus cœlo veniens, ſeu forte deorum
Nuntius,in dubio eſt: nos vultum,habitumq; loquentis
Vidimus, & motas per noctem audivimus alas.
Sic fati, jungunt dextras: mox ordine longo
Antrum introgreſſi, calathis ſylveſtria plenis
Dona ferunt, matrem & læto ſimul ore ſalutant.
Tum puero adſtantes Lycidas, & maximus Ægon,
Ægon, Getulis centum cui paſcua campis,
Centeni per rura greges Maſſyla vagantur:
Ipſe caput late qua Bagrada, qua vagus erat
Triton, Cinyphiæ qua devolvuntur arenæ,
Ingens agricolis, ingens paſtoribus Ægon.
At Lycidas vix urbe ſua, vix colle propinquo
Cognitus, æquoreas carmen deflexit ad undas:
Et tamen hi non voce pares, non viribus æquis,
Inter adorantum choreas, plauſuſque Deorum
Ruſtica ſeptena modulantur carmina canna.
Hoc erat, alme puer, patriis quod noſter in antris
Tityrus adtrita ſprevit rude carmen avena,
Et cecinit dignas Romano Conſule ſylvas.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magna per exactos renovantur ſæcula curſus.
Scilicet hæc virgo eſt, hæc ſunt Saturnia regna:
Hæc nova progenies cœlo deſcendit ab alto?
Progenies, per quam toto gens aurea mundo
Surget, & in mediis palmes florebit ariſtis.
Qua duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras:
Et vetitum magni pandetur limen Olympi:
Occidet & ſerpens, miſeros quæ prima parenteis
Eluſit, portentificis imbuta venenis.
Tune Deûm vitam accipies? Diviſque videbis

Permiſtos

Permiſtos heroas, & ipſe videberis illis?
Pacatumque reges patriis virtutibus orbem?
Adſpice felici diffuſum lumine cœlum,
Campoſque, fluvioſque, ipſaſq; in montibus herbas.
Adſpice, venturo lætentur ut omnia ſæclo.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones:
Agnaque per gladios ibit ſecura nocenteis:
Biſque ſuperfuſos ſervabit tincta rubores.
Interea tibi, parve puer, munuſcula prima
Contingent, hederæque, intermiſtique corymbi.
Ipſa *tibi blandos* fundent cunabula flores:
Et *duræ* quercus ſudabunt roſcida mella:
Mella dabunt quercus: omnis feret omnia tellus.
At poſtquam firmata virum te fecerit ætas,
Et tua jam totum noteſcent facta per orbem:
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella:
Atque ingens Stygias ibis prædator ad undas.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem,
Cara Dei ſoboles, magnum cœli incrementum.
Talia dum referunt paſtores: avia longe
Reſponſant nemora: & voces ad ſidera jactant
Intonſi montes: *ipſæ* per confraga rupes,
Ipſa ſonant arbuſta: *Deus, Deus ille,* Menalca.
Hic ſubito magnum viſi per inane volatus
Cœleſtum, curſuſque alacres, alacreſque recurſus:
Auditæque procul voces, ſonituſque rotarum.
Scilicet innocuis per ſudum exercitus armis
Ibat ovans, diviſæ acies, terna agmina ternis
Inſtructa ordinibus belli ſimulacra ciebant.
Ter clypeis jam cedenteis invadere nubeis

Digitized by Google

Adſpiceres: vacuas ter mittere tela per auras:
Ter clamare ducem: mox diſſita cogere ſigna,
Atque unam latæ faciem præferre phalangis:
Rurſus & aërios percurrere milite campos:
Semotoſque alios conſtanti incedere paſſu
Nubila per, lataſque vias, & jungere nexu
Brachia, perpetuis quatientes motibus alas,
Geſtanteſque manu noſtræ argumenta ſalutis,
Spinaſque, clavoſque, horrenti & vimine faſceis,
Hæſuramque haſtam lateri, medicataque felle
Pocula ſublimemque crucem immanemque columnam.
Ibant, & dulci mulcebant æthera cantu.
Innumeras alii laudes, & magna parentis
Facta canunt: ut prima novi fundaverit orbis
Mœnia, telluremque vagis diſcluſerit undis:
Ut paſſim varios cœlo ſuſpenderit igneis,
Lunamque, ſtellaſque: ut magni lumina Solis,
Jam late extremo tenebris Oriente fugatis,
Protulerit. Tu belligeras, metuende, cohorteis
Dejicis, exturbaſque polo: tu fulmine quaſſas
Cum duce ſigna ſuo, nigroque involvis Averno,
Cocytumque jubes, triſteiſque habitare lacunas.
Te gemini cecinere axes, te maxima tellus
Victorem cecinit vaſtis cum fluctibus æquor.
Nec te hominum fraudes, non avertere nefanda
Crimina: ſed læto ſpectas mortalia vultu;
Dignataſque tuo ſolaris numine terras.
Salve magne opifex cœli, rex maxime divûm,
Terrarumq; hominumque ſalus: quem ſidera, quem ſol,
Quem metuunt reges tenebrarum, & Tartarus ingens;
Cui late humanum ſervit genus: omnia ſolus
Qui regis; omnia amas pariter: tibi nomina mille,

Mille

Mille poteſtatum, regnorum inſignia mille.
Salve autor: ſalve immenſi dominator olympi:
Et nobis felix, terriſque labantibus adſis.
Ingeminant plauſum nubes: lateque per auras
Diſcurſat vox: & cœli convexa reſultant.
Herboſo tum forte toro, undiſoniſque ſub antris
Venturas tacito volvebat pectore forteis
Cæruleus rex, humentum generator aquarum
Jordanes. quem juxta hilari famulantia vultu
Agmina denſantur natæ, pulcherrima Glauce,
Dotoque, Protoque, Galenaque, Lamprothoëque,
Nudæ humeros, nudis diſcinctæ veſte papillis:
Callirhoë, Byroque, Pheruſaque, Dinameneque,
Aſphaltiſque adſueta leveis fluitare per undas:
Ipſaque odoratis perfuſa liquoribus Anthis,
Anthis, qua non ulla novos miſcere colores
Doctior, aut pictis caput exornare coronis.
Mox Hyale, atque Thoë, & vultu nitidiſſima Crene,
Gongiſteque, Rhoëque, & candida Limnoria,
Et Dryope, & virideis Botane reſoluta capillos:
Ore Omnes formoſæ, albis in veſtibus omnes,
Omnes puniceis evinctæ crura cothurnis.
Ipſe antro medius, pronaque acclivis in urna
Fundit aquas. nitet urna novis variata figuris
Cryſtallo ex alba, & puro perlucida vitro,
Egregium decus, & ſuperûm mirabile donum.
Umbroſis hîc ſylva comis, denſiſque virebat
Arboribus: cervi paſſim, capreæque fugaces
Æſtivum viridi captabant frigus in umbra.
In medio auratis effulgens fluctibus amnis
Errabat campo, & curſu læta arva ſecabat.
Hic juvenis fulvis velatus corpora ſetis

Stans celſo in ſcopulo, regem, dominumque Deorum
Vorticibus rapidis, medioque in ſonte lavabat.
At viridi in ripa lecti de more miniſtri
Succincti exſpectant: proniſque in flumina palmis,
Protendunt niveas, cœleſtia lintea, veſteis.
Ipſe pater cœlo late manifeſta ſereno
Signa dabat, natoque levem per inane columbam
Inſignem radiis mittebat, & igne coruſco.
Adtonitæ circum venerantur numina nymphæ:
Et fluvius refugas ad fontem convocat undas.
Talia cælata genitor dum ſpectat in urna
Fatorum ignarus; oculoſque ad ſingula volvit
Admirans: videt inſolitos erumpere fonteis,
Ingentemque undare domum, cavaque antra repleri
Fluctibus, atque novum latices ſumpſiſſe ſaporem.
Dumque hæret, pavitatque ſimul, dum ſublevat undis
Muſcoſum caput, & taurino cornua vultu,
Adſpicit inſuetas late floreſcere ripas:
Claraque per denſas diſcurrere lumina ſylvas
Paſtorum ludo: & lætos ad ſidera cantus
Divinaſque audit voces, & numina paſſim
Adveniſſe Deum teſtantia. Protinus ambas
Ad cœlum palmas hilaris cum voce tetendit:
O maris, ô terræ, divûmque hominumque repertor,
Quis tua vel magno decreta incognita cœlo
Detulit huc audax, mediiſque abſcondit in undis?
Ipſe mihi hæc quondam (memini) dum talia mecum
Sæpe agitat, repetitque volens, narrare ſolebat
Cæruleus Proteus: mendax ſi cætera Proteus,
Non tamen hoc vanas effudit carmine voces.
Adveniet tibi, Jordanes, properantibus annis,
Adveniet, mihi crede, inquit, (certiſſima cœlum

Signa

Digitized by Google

Signa dedit: nec me deluſum oracula fallunt:)
Qui te olim Nili ſupra ſeptemplicis ortus,
Supra Indum & Gangem, fontemque binominis Iſtri
Adtollet fama: qui te Tyberique, Padoque
Præferet, atque tuos aſtris æquabit honores.
Cujus in adventu triſtes diſcedere morbi
Corporibus paſſim incipient. jam victa repente
Ceſſabit, turpeis ſquamas, maculaſque remittet
Dira lues: laceroſque elephas effuſus in artus
Ulcera ſanguineo ſiſtet manantia tabo.
  Quin & lethales (dictu mirabile) febres
Diffugient juſſæ, poſſeſſaque membra relinquent.
Cedet & infeſtæ violentior ira Dianæ:
Ira nocens, quæ fulminea velut acta ruina
Corpora cum gemitu ad terram proſternit, & igni
Interdum, nunc perdere aqua (miſerabile viſu)
Feſtinat. Stygio nimirum armata veneno
Exſuperat vis, & ſpumas agit ore tumenteis.
  Nec jam ultra longo vireis minuente veterno
Tabificus per operta impune vagabitur hydrops,
Exitio obrepens miſerorum, atque omnia late
Viſcera per medios perdet tumefacta dolores.
  Non alias vinctæ tam crebra ſilentia linguæ
Abrumpent: noctem aut toties, tenebraſque priores
Excutient oculi, qui nunquam ſidera, nunquam
Ardentem magni viderunt lampada Solis.
Multa quidem majora fide, ſed vera, ſed ipſos
Quæ teneant ſpectantum oculos, poſſum ore referre:
Sed propero: ventura tamen mirabitur ætas.
Cernere erit, claudos paſſim genua ægra trahenteis
Firmato ſubitos extendere poplite greſſus.
Tum nervis labefacta, diuque trementia membra

(Quis credat, niſi certa meus mihi cantet Apollo?)
Reſtringi, & validas cum robore ſumere vireis:
Atque alius rapto juſſus conſurgere lecto,
Haud mora, proſiliet: paſſuque in templa citato
Contendens, onus ipſe humeris portabit. Ibi ingens
Clamor, & innumeræ circum donaria voces
Spectantis populi, & rerum novitate paventis.
Parte alia extinctam penitus, ſenſuque carentem
Ad ſua jam cernes revocari munera dextram.
Nec minus & tacta compeſci veſte cruorem
Fœmineum: exſangueiſque artus, palantiaque ora
Ilicet obſtructis calefacta rubeſcere venis
Ipſas quin etiam Furias ſub tartara pelli,
Immaneis Erebi Furias: tum feſſa levari
Pectora, vexatoſque malis cruciatibus artus:
Hinc vacuas late impleri ſtridoribus auras
Dirarum fruſtra clamantum, ac ſæva trementum
Verbera, perque cavas conantum evadere nubeis.
Jam deploratis vitam poſt funera reddi
Corporibus video: jam mœſtam incedere pompam,
Feralemque anteire tubam: mox gaudia matrum
Inſperata, patrumque hilareis verſo ordine fletus,
Et circumfuſam populis lætantibus urbem.
Huic tu nutanteis quoties adſurgere monteis,
Et (mirum) inſuetas curvare cacumina ſylvas
Adſpicies? Quoties humenti in gramine ripæ
Aut ſolantem æſtus, aut leneis pectore ſomnos
Carpentem, tenui adſueſces mulcere ſuſurro?
Macte tuis merito ripis, macte omnibus undis.
Ad te depoſito properabunt numina faſtu,
Nudabuntque ſacros artus, & carmina dicent
Ad numerum, cum tu felix jam flumine ſancto
Auto-

Autorem rerum, divûmque hominumque parentem
(Tantus honos, laus tanta tuo, Rex maxime, fonti)
Exutum veſte accipies: atque hoſpite tanto
Adtonitus trepidas hortabere voce Napæas:
Ite citæ, date thura pias adolenda per aras,
Cæruleæ comites, viridique ſedilia muſco
Inſtruite: & vitreis ſuſpendite ſerta columnis:
Purpureas miſcete roſas, miſcete hyacinthos,
Liliaque, & pulchro regem conſpergite nimbo.
Tunc nomen late clarum Jordanis ad auras
Adtollent monteis: Jordanem maxima circum
Æquora, Jordanem ſylvæque amneſque ſonabunt.
Illa autem humanis quamvis latura ruinis
Auxilium, finemque dies gratiſſima quamvis
Urbibus adveniet, totumque optanda per orbem:
Fluminibus tamen, & noſtris felicior undis
(Siqua fides, ſiqua eſt veri prudentia Proteo)
Oſtendet roſeos ſtellis ridentibus ortus.
Quandoquidem non divitias, non quæret honores
Ille patris decus, ac virtus, mortalia poſtquam
Membra ſibi, & fragileis jam ſponte induxerit artus:
Non ſceptrum invadet Cypri: non Caſpia regna
Diripiet: non exuviis Babylona ſuperbam
Eruet: aut alto ſcandet Capitolia curru,
Militibus circum, & læto comitante ſenatu.
Sed maris undiſoni tractus, & littora longè
Curva ſecans, media ſocios ſibi quæret in acta:
Diſperſoſque mari nautas, nudoſque colonos
Undarum, ſinuoſa fretis jactare paranteis
Retia, vexatas aut jam reparare ſagenas
Sollicitos, patris ad ſolium ac ſua tecta vocabit.
Atque ollis jus omne, poteſtatemque medendi

Adjiciet:

Digitized by Google

Adjiciet: pellent morbos, denteiſque retundent
Vipereos, Orcique acies, ac monſtra fugabunt.
Quin & cuſtodes foribus radiantis olympi
Præficiet, ſervare aditus, & clauſtra jubebit
Aurea: queis non ulla queat vis ſæva nocere
Eumenidum, durique umbrarum obſiſtere poſtes.
Tum ſedes paſſim emeritis duodena per aſtra
Inſtituet: diſtincta ſuos de more ſequetur
Turba duces. illi leges, & ſancta vocatis
Jura dabunt, plauſu ſociorum, atque agmine læti.
Felices, qui jam cymba, remiſque relictis
Alta ſerenati conſcendent culmina cœli.
Præterea (ſi certa fides, nec vana futuri
Gaudia) cognatas etiam ſpectabimus undas
Lenæos verti in latices. Ea prima Deûm Rex
Arcana, hos primos per ſigna oſtendet honores
Accepti late imperii. mirabitur auctus
Lympha ſuos, juſſa inſuetum ſpumare capaceis
Per pateras, largeque novum diffundere nectar,
Et menſas hilarare, & feliceis hymenæos.
Nec ſemel ille altum remis evectus in æquor,
Cum jam fruſtrato ſocios rediiſſe labore
Accipiet, præda ingenti ditabit, & udos
Squamigerûm ſtrata cumulos exponet in alga.
Iratos etiam fluctus, tumidaſque procellas,
Miſcenteiſque imo turbatam gurgite arenam,
Jamque ſuperjecto merſuras æquore puppim,
Imperio premet increpitans: cadet arduus undæ
Impetus: atque audiſſe minantis juſſa putares
Euroſque, Zephyroſque, & ovanteis turbine Coros.
Quid loquar, ut gemino numeroſas piſce catervas,
Munere & exiguo Cereris, miſerabile vulgus,

Matres,

Digitized by Google

Matres, atque viros pariter per gramina paſcet?
Et jam bis ſenis redeant fragmenta caniſtris?
Aut intempeſta gradiens ut nocte per altum
Libera ſubſtrato ponet veſtigia ponto:
Vixque undas ſicco tanget pede? ſcilicet olli
Adnabunt blandæ Nereïdes, humida paſſim
Sternent ſe freta: tum fundo Neptunus ab imo
Excitus agnoſcet dominum, poſitoque tridente
Cum Phorco, Glaucoque, & ſemifero comitatu
Proſiliet, trepiduſque ſacris dabit oſcula plantis.
Sed quid ego *exili* vectus ſuper alta phaſelo,
Cuncta ſequor memorans? non ſi Parnaſia Muſæ
Antra mihi, ſacroſque aditus, atque aurea pandant
Limina, ſufficiam. non ſi mihi ferrea centum
Ora ſonent, centumque ærato è gutture linguæ
Vocibus exſpument agitantem pectora Phœbum:
Laudatos valeam venturi principis actus
Enumerare, novoque amplecti ſingula cantu.
Hæc ſenior quondam felici pectore Proteus
Vaticinans (ut forte meo diverterat antro)
Præmonuit: nunc eventus ſtat ſigna futuri
Exſpectare. Nitor roſeo ſed fulſit ab ortu
Clarior, & radiis dux prævia matutinis
Oceani procul extremo ſe littore tollit
Exoriens Aurora, ſinuſque induta rubenteis
Ante diem citat auricomos ad fræna jugaleis,
Et jam conſuetis tempus me currere ripis
Undantem, magnoſque lacus, & prata ſecantem
Vorticibus. Viden' ut noſtros agit impetus amneis?
Jordanemque vocat tumidarum murmur aquarum?
Sic fatus, confeſtim humeris circundat amictus
Inſolitos: quos pulchræ udis nevere ſub antris

Naïades,

Naïades, molli ducentes ſtamina muſco;
Sidonioque rudeis ſaturantes murice telas
Aurea conſperſo variarunt ſidera limbo:
Atque ita ſe tandem currenti reddidit alveo
Spumeus, & motas aſpergine miſcuit undas.
Hactenus, o ſuperi, partus tentaſſe verendos
Sit ſatis. optatum poſcit me dulcis ad umbram
Pauſilypus, poſcunt Neptunia littora, & udi
Tritones, Nereuſque ſenex, Panopeque, Ephyreque,
Et Melite. quæque in primis mihi grata miniſtrat
Ocia, Muſarumque cavas per ſaxa latebras,
Mergillina: novos fundunt ubi citria flores,
Citria Medorum ſacros referentia lucos:
Et mihi non ſolita nectit de fronde coronam.

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* DE MORTE CHRISTI DOMINI AD MORTALES LAMENTATIO.

Si quando magnum mirati ſurgere Solem
Oceano, & toto flammas diffundere cœlo:
Certatimque ſuo terras ambire meatu
Noctivagam Phœben præcinctam cornibus aureis:
Æternoſque aſtrorum igneis, cœlique micanteis
Scintillare oculos: aliquem dare jura putaſtis,
Atque polo regnare, hominum rerumque parentem,
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus æther,
Cuncta ſupercilio qui temperet: hunc ſimul ægri
Mortales, (ſi veſtra dolor præcordia tangit)
Adſpicite immiti trajectum pectora ferro,
Pectora, fœdataſque manus, perfuſaque tabo
Ora, cruentatumque caput, crineiſque revulſos,
Adſpicite, & plenos lacrymarum fundite rivos.
Heu ſcelus, heu crudele nefas: jacet altus olympi
Rector: & amiſſo torpent elementa magiſtro.
Quin etiam vacuum adſueto ſine pondere cœlum
Nutat, & ipſa ſuum quærunt ſolia aurea regem.
Quem diverſa procul ſævo cum crimine tellus

Digitized by Google

Ignotum populis caput, & miſerabile corpus
Suſtinet, exſangueiſque ſinu complectitur artus,
Et tremefacta graveis teſtatur murmure queſtus.
Teſtatur Sol ipſe ſuum ſub nube dolorem
Jam latitans, atraque notans ferrugine frontem.
Tu quoque deformeiſque genas, pallentiaque ora
Contegis, inferiaſque tuo das, Luna, Tonanti,
Auratum flavo tondens de vertice crinem,
Et lacrymas uda fundens in nocte tepenteis.
Nec minus abruptis fama eſt exiſſe ſepulcris,
Perque vias erraſſe novis ſimulacra figuris;
Excitaſque umbras medias ululaſſe per urbeis
Sub noctem, & notos queſtu impleviſſe penateis.
Quid? non & pelagi rabies adtollere fluctus
Immaneis viſa eſt? monteiſque evolvere aquarum,
Dejectura urbeis, terraſque hauſtura profundo?
Cum ſimul & caput undiſonis emerſus ab antris
Cæruleus Triton rauco ſuper æquora cornu
Conſtreperet, nautaſque horrenda voce moneret
Naturæ cecidiſſe patrem, regemque, deumque.
Hæne manus vaſti junxerunt fœdera mundi?
Harum opus eſt quodcunq; jacet, quodcunq; movetur?
Quicquid ubique parens rerum Natura gubernat,
Frugiferens tellus, fœtumque animantibus æquor,
Vitaliſque aër, atque ignibus æthra coruſcis?
Et nunc (proh facinus, quantum potuere nocentum
Flagitia!) immenſis dant pervia vulnera clavis,
Liventeiſque atro fœdant ſquallore lacertos.
Heu caput indignum ſpinis, venerandaque cœlo,
Et toties clara ſtellarum implexa corona
Cæſaries: heu pectus hians, convulſaque dira
Barba manu, tunſique artus, & frigida membra!
Vosne pedes, cœlum premere, & vaga ſidera ſueti,
Fulgen-

Digitized by Google

Fulgenteiſque domos ſuperûm, ſublimia tecta,
Tam ſævæ immaneis perpeſſi cuſpidis ictus,
Et terram, & duras ſparſiſtis ſanguine cauteis?
Nec trepidat mens cæca hominum? Quæ tanta tenaci
Durities in corde riget? num nigra videtis
Tartara tot claris hominum viduata tropæis,
Deſertaſque in nocte domos, & triſtia regna?
Feliceiſque animas lætum Pæana canenteis
Pone ſequi regem, & cœlo inſédiſſe ſereno?
Quid ſi non tantos ſubiiſſet ſponte labores,
Humanamque ſua penſaſſet morte ſalutem
Ille ſator rerum, & ſummi mens certa parentis,
Qui nutu ingenteis mundi moderatur habenas?
Ut tandem intactos picea Phlegethontis ab unda
Poſt obitum æternæ donaret munere lucis,
In partemque ſuorum operum, regnique vocaret.
Tantus amor generis ſervandi, & gloria noſtri!
Quare agite, ex animis mortales pellite veſtris,
Siquid adhuc manet antiqua de ſorde relictum:
Mendaceiſque deos, & deteſtanda priorum
Sacra profanatis tandem detrudite ab aris.
Imbuat effuſo terram nec ſanguine taurus:
Nec miſer ille ſuæ divulſus ab ubere matris
Ignotos agnus balet ſuper hoſtia cultros.
Vivat ovis, vivat quicquid ſub ſole creatum eſt.
Mentem, animumque Deo, non thura, aut exta parate:
Has illi pecudum fibras, hæc reddite dona.
Cernitis, ut pronum flectat caput? ut pia pandat
Brachia? & ingratas vocet ad ſua vulnera genteis?
Oblitaſque viæ moneat meminiſſe relictæ,
Scilicet amplexus non rejecturus amicos?
At vos obtuſas ignari avertitis aureis,
Infelix genus, & ſævæ ludibria mortis;

Nec, quanta a tergo jam inſtent tormenta, videtis.
Tempus erit, cum veſtra illum commiſſa notantem,
Multantemque reos, altaque in nube ſedentem
Adſpicietis & horrenteis tremor opprimet artus.
Nec jam ferre oculos flammarum ardore coruſcos,
Aut tumidos acie vultus contendere contra
Audebit quiſquam ſibi conſcius. Ibit in igneis
Turba nocens, ſonteiſque exſolvet corpore pœnas:
Pallenteiſque æternum amneis, vaſtaſque lacunas
Cocyti colet: & Furias horreſcet hianteis:
Atque animum monitis non intendiſſe pigebit.
Tunc vos exactæ capient mala tædia vitæ,
Experteis cœli, atque auræ, ſub nocte profunda:
Inque caput trifidos nequicquam optabitis igneis:
Et fruſtra erectas tolletis ad æthera palmas.
Quos ſuperûm cœtus, & fortunata piorum
Agmina vix lacrymis poterunt ſpectare retentis,
Invidiæ ſtimulis, diriſque ultricibus actos.
Ergo vitaleis miſeri dum carpitis auras,
Dum compos mens ipſa ſui eſt, dum certa facultas,
Dum ratio, tempuſque ſinunt: ſimul ite frequentes.
Ite pii, veniam factis expoſcite veſtris:
Ite, animos purgate, Orcique inhibete rapinas:
Et tandem patrio mentem convertite cœlo.
Sic rex ille hominum, vacui ſpoliator Averni,
Oblitus ſcelerum cognatæ ſtirpis amore,
Promiſſique memor, menteis intrabit amicas,
Veſtraque poſthabitis recolet præcordia templis.
Poſtque tot exhauſtos vitæque obituſque labores,
Illo quo pluvias, quo pellit nubila vultu,
Ablutos labe excipiet, lætuſque reponet
Sidereos inter proceres, ſanctumque ſenatum,
Sub pedibuſque dabit ſtellantia cernere clauſtra.

ACTII

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII
ECLOGÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTII SYNCERI
SANNAZARII
NEAPOLITANI
ECLOGA PRIMA
PHYLLIS.

LYCIDAS, MYCON.

Mirabar, vicina, Mycon, per littora nuper
Dum vagor, exſpectoque leves ad pabula thynnos,
Quid tantum inſuetus ſtreperet mihi corvus, (& udæ,
Per ſcopulos paſſim fulicæ, perque antra repoſtæ
Triſtia flebilibus complerent ſaxa querelis:
Cum jam nec curvus reſiliret ab æquore delphin,
Nec ſolitos de more choros induceret undis.
Ecce dies aderat, charam qua Phyllida terræ
Condidimus, tumuloque pias deflevimus umbras
Ah miſeri: & poſt hac nec triſtes linquimus auras:
Nec dubitat ſævus ſolatia ferre Pylemon?
My. Scilicet id fuerat, tota quod nocte vaganti
Huc illuc, dum Pauſilypi latus omne pererro,
Piſcoſamque lego celeri Neſida phaſelo:

V. 14. *Piſcoſamque lego celeri* NESIDA *phaſelo.*] *Neſis* Campaniæ parva inſula eſt, inter Neapolim & Puteolos, ante Pauſilypum promontorium. hodie *Niſida*. ejus iterum meminit poëta noſter Ecl. 2. v. 33. quarta vero Ecloga elegantem fabulam commentus eſt de amoribus Pauſilypi & Neſidis. Statius omnem hunc tractum pulcre ob oculos ponit in Surrentino Pollii, Silv.

Neſcio quid queruli gemerent lacrymabile mergi.
Phyllis ad inferias, Phyllis (ſi credimus) illos
Ad gemitum, o Lycida, tumulique ad ſacra vocabat.
Ly. Eheu, chare Mycon, qualis ſpectacula pompæ,
(Nunc recolo quas ipſe manus, quæve ora notavi
His oculis: his, inquam, oculis quæ funera vidi
Infelix! nec me tandem dolor improbus egit
In ſcopulos, in ſaxa, rogove abſumſit eodem
Ignea vis, vel ſaltem aliquis Deus æquore merſit?
My. O Lycida, Lycida: nonne hoc felicius illi
Eveniſſe putas, quam ſi fumoſa Lycotæ
Antra, vel hirſuti tegetem ſubiiſſet Amyntæ?
Et nunc heu viles hamo ſibi quæreret eſcas,
Aut tenui laceras ſarciret vimine naſſas?
Sed tu, ſiquid habes veteres quod lugeat ignes,
Quod manes, cinereſque diu teſtetur amatos:
Incipe: quandoquidem molles tibi littus arenas
Sternit, & inſani poſuerunt murmura fluctus.
Ly. Immo hæc quæ cineri nuper properata parabam
Carmina, ab extremo cum jam cava littora portu
Proſpicerem, & nivei venerarer ſacra ſepulcri,
Incipiam. tu coniferas ad buſta cupreſſus

Sparge

Silv. 2. L. 2.
——— *quid mille revolvam*
Culmina, viſendique vicest ſua cuique voluptas,
Atque omni proprium thalamo mare, tranſque jacentem
Nerea diverſis ſervit ſua terra feneſtris.
Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aſpera paret;
Armiger hac magni patet Hectoris: inde malignum
Aëra reſpiras pelago; circumflua Neſis:
Inde vagis omen felix Euplea carinis,
Quæque ferit curvos exerta Megalia fluctus.

De Neſide videndus Barthius ad Statium. Theb. 1. p. 208. 287. Cluverius L. 4. Ant. Italiæ. C. 4. p. 1167. *La Muſa Sferzavà per lo camino della Babilonia, e della Perſia. & io correva a ſtaffetta, benche ſenza la Mula di Cæſar Caporali. Non penſai mai a ſtampare, ne a ſimili Sciochezze: che ben conoſceva il merito dell' opere: ma ſi bene a recitar, nelle Accademie noſtre di Poſilepo, e di Niſida, ed a rider con gli amici, coronandomi anch' io di cavoli, e di biete. il ſignor della* Valle T. 2. p. 116. V. ibid. 191.

Sparge manu, & viridi tumulum ſuperintege myrtho.
My. En tibi cærulei muſcum æquoris, en tibi conchas
Purpureas: nec non toto quæſita profundo,
Et vix ex imis evulſa corallia ſaxis
Adferimus. tu ſolennes nunc incipe cantus,
Incipe, dum ad ſolem Bajanus retia Mylcon
Explicat, & madidos componit in orbe rudentes.
Ly. Quos mihi nunc, divæ, ſcopulos, quæ panditis
Nereides? quas tu ſecreti littoris herbas, (antra
Glauce pater? quæ monſtriferis mihi gramina ſuccis
Oſtendes nunc, Glauce? quibus tellure relicta,
Ah miſer, & liquidi factus novus incola ponti,
Te ſequar in medios mutato corpore fluctus,
Et feriam bifida ſpumantia marmora cauda.
Nam quid ego heu ſolis vitam ſine Phyllide terris
Exoptem miſer? aut quidnam rapta mihi luce,
Dulce putem? quidve hîc ſperem? quid jam morer ultra
Infelix? an ut hac vili projectus in alga
Arenteis tantum frutices, deſertaque cernam
Littora, & ingrato jactem mea verba ſepulcro?
Scilicet hos thalamos, hos felices hymenæos
Concelebrem? ſic ſperatæ mihi gaudia tædæ
Dat Venus? ambiguos ſic dat Lucina timores?
Quis mihi quis te te rapuit, dulciſſima Phylli?
Phylli mea, quondam requies ſpeſque unica vitæ,
Nunc dolor, æternuſque imo ſub pectore luctus.
Non licuit tecum optatos conjungere ſomnos,
Dulcia nec primæ decerpere dona juventæ,
Aut ſimul extremos vitam producere in annos. (es,
Nunc te (quis credat?) lapis hic habet, & mihi nuſquam
Nuſquam terrarum, Phylli: ſed fabula, & umbræ
Fruſtrantur miſeras per dira inſomnia noctes.
Me miſerum? qua te tandem regione requiram?

Quave ſequar? per te quondam mihi terra placebat,
Et populi, lætæque ſuis cum mœnibus urbes:
Nunc juvat immenſi fines luſtrare profundi,
Perque procelloſas errare licentius undas
Tritonum immiſtum turbis, ſcopuloſaque cete
Inter, & informes horrenti corpore phocas,
Quo nunquam terras videam. Jam jam illa tot annis
Culta mihi tellus, populique, urbeſque valete:
Littora chara valete: vale ſimul optima Phylli.
Nos tibi, nos liquidis ſeptem pro fluctibus aras
Ponemus: ſeptemque tibi de more quotannis
Monſtra maris magni vitulos mactabimus hirtos:
Et tibi ſeptenis pendebunt oſtrea ſertis,
Oſtrea muricibus variata, albiſque lapillis.
Hic tibi Niſæe, & flavos reſoluta capillos
Cymodoce, mitiſque pia cum matre Palæmon,
Et Panope, & Siculi cuſtos Galatea profundi,
Solenneis nectent choreas, & carmina dicent:
Quæ Proteus quondam divino pectore vates
Edocuit, magni cum funera fleret Achillis,
Et Thetidis luctus conſolaretur amaros.
At tu ſive altum felix colis æthera, ſeu jam
Elyſios inter manes, cœtuſque verendos
Lethæos ſequeris per ſtagna liquentia piſces,
Seu legis æternos formoſo pollice flores,
Narciſſumque, crocumque, & vivaceis amaranthos,
Et violis teneras miſces pallentibus algas:
Adſpice nos, mitiſque veni. tu numen aquarum
Semper eris. ſemper lætum piſcantibus omen.
Ut nymphis, Nereoque, ut flavicomæ Amphitritæ,
Sic tibi victrices fundent libamina cymbæ.
Interea tumulo ſupremum hoc accipe carmen,
Carmen, quod tenui dum nectit arundine linum,

Piſcator

Piſcator legat, & ſcopulo ſuſpiret ab alto:
In gremio Phyllis recubat Sirenis amatæ.
Conſurgis gemino felix Sebethe ſepulchro.
My. Dulce ſonant, Lycida, tua carmina: nec mihi
Halcyonum lamenta, aut udo in gramine ripæ (malim
Propter aquam dulces cycnorum audire querelas.
Sed tu: ſic faciles vicina Megeria ſemper
Sufficiat conchas: ſic proxima Mergilline
Oſtrea, ſaxoſæque ferat tibi rupis echinos:
Quandoquidem nox obſcuras jam diſtulit umbras,
Necdum permenſus cœlum Sol: incipe rurſus,
Atque itera mihi carmen. Habent iterata leporem.
Ly. Ne miſerum ne coge, Mycon: ſat lumina, ſat jam
Exhauſtæ maduere genæ. dolor (adſpice) ſiccas
Obduxit fauces: quatit & ſingultibus imum
Pectus: anhelantemque animam vox ægra relinquit.
Et tamen hæc alias tibi nos, & plura canemus,
Fortaſſe & meliora, aderit ſi Muſa canenti.
Quin & veliferis olim hæc ſpectanda carinis
Seu Prochytæ, ſeu Miſeni ſub rupe patenti

 Inſcri-

V. 109. —— *ſic faciles vicina* MEGERIA *ſemper Sufficiat conchas.*] *Megaliam* appellat Statius Silv. L. 2. *Parva* inſula eſt apud Neapolim. Plinius lib. 3. cap. 6. *inter Pauſilypum & Neapolim Megaris.*

Ibid. — *ſic proxima* MERGILLINE, &c. Villa Sannazarii in Pauſilypi radicibus ad mare, in via Puteolana, prope Cryptam Neapolitanam. cujus delicias cum Philibertus Orangius, dux copiarum Caroli Cæſaris, exciſa temere turri deformaſſet, adeo indignanter id tulit Sincerus, ut ex dolore non moderantis ſibi animi letalem atque ſupremum contraxerit morbum. videndus Jovius in elogio Sannazarii. ipſe poëta ſæpe meminit villæ ſuæ. vide L. 2. Epigr. 1. & 42. V. della Valle T. 2. p. 280. 280. Bern. Taſſo I. Lettera 121. p. 100. b. Flaminius III. Carm. 7.

V. 122. *Seu* PROCHYTÆ, *ſeu Miſeni ſub rupe patenti*] *Prochyta*, hodie *Procida*, inſula regni Neapolitani in mari Tyrrheno, inter Ænariam inſulam & Miſenum promontorium. vide Servium ad Virgil. Æneid. IX. v. 714. 715. & Lud. de la Cerda ibid. Domitium ad Statii locum ſupra adductum; Erythræum Indice Virgil. in Prochyta. della Valle T. 4. p. 491.

Digitized by Google

Inſcribam, grandeiſque notas ferrugine ducam:
Præteriens quas nauta mari percurrat ab alto:
Et dicat: Lycidas, Lycidas hæc carmina fecit.
Sed quoniam ſocii paſſim per littus ovantes
Exſpectant, poſcuntque tuas ad retia vires:
Eia age jam ſurgamus. ego hæc ad buſta ſedebo.
Tu ſocios inviſe: eſcas nam quærere tempus:
Et tibi nunc vacuæ fluitant ſine pondere naſſæ.

ECLOGA SECUNDA

GALATEA.

Forte Lycon vacuo feſſus conſederat antro
Piſcator, qua ſe ſcopuli de vertice lato
Oſtentat pelago pulcherrima Mergilline.
Dumque alii notoſque ſinus, piſcoſaque circum
Æquora colluſtrant flammis, aut linea longe
Retia, captivoſque trahunt ad littora piſces:
Ipſe per obſcuram meditatur carmina noctem.
Immitis Galatea: nihil te munera tandem,
Nil noſtræ movêre preces? verba irrita ventis
Fudimus: & vanas ſcopulis impegimus undas.
Adſpice, cuncta ſilent: orcas, & maxima cete
Somnus habet, tacitæ recubant per littora phocæ.
Non Zephyri ſtrepit aura: ſopor ſuus humida mulcet
Æquora: ſopito connivent ſidera cœlo.
Solus ego (hei miſero) dum triſti pectore queſtus
Nocte

V. 5. *Æquora* COLLUSTRANT *flammis.*] In primis hujus Eclogæ exemplaribus, quæ manu deſcripſerant multi, teſte J. C. Scaligero, erat *Æquora rimantur flammis.* unde vides judicium poëtæ. infra quoque, v. 33. erat *totidem virides mihi Neſis echinos ſervat adhuc.* quæ ad pauciora redegit judicioſiſſimus poëta.

Digitized by Google

Nocte itero, ſomnum tota de mente fugavi,
Nec tamen ulla meæ tangit te cura ſalutis.
At non Praxinoë me quondam, non Polybotæ
Filia deſpexit, non divitis uxor Amyntæ,
Quamvis culta ſinu, quamvis foret alba papillis.
Quin etiam Ænaria (ſi quicquam credis) ab alta
Sæpe vocor. ſolet ipſa meas laudare camœnas
In primis formoſa Hyale: cui ſanguis Iberis
Clarus avis: cui tot terræ, tot littora parent:
Quæque vel in mediis Neptunum torreat undis.
Sed mihi quid proſunt hæc omnia, ſi tibi tantum
(Quis credat, Galatea?) tibi ſi denique tantum
Diſplieeo? ſi tu noſtram crudelis avenam
Sola fugis? ſola & noſtros contemnis amores?
Oſtrea Miſeni pendentibus eruta ſaxis
Mille tibi miſi: totidem ſub gurgite vaſto
Pauſilypus, totidem vitreis Euplœa ſub undis
Servat adhuc. plureis Neſis mihi ſervat echinos,
Quos nec vere novo foliis lentiſcus amaris
Inficit, aut vacuæ tenuant diſpendia Lunæ.

Præte-

V. 20. *Quamvis culta ſinu, quamvis forat alba papillis.*] ita editiones omnes. ſuſpicor tamen à Sinceri manu fuiſſe *ſinus*, & *papillas*, quod magis eſt poëticum, nec abhorret à ſolenni ipſius ſcribendi ratione.

V. 21. ÆNARIA.] inſula Campaniæ, quæ & *Inarime*: hodie *Iſchia*: Epiſcopatus ſub Archiepiſcopo Neapol. urbem habet cum arce in excelſo ſcopulo, quam ſibi aſylum elegit Ferdinandus Rex Neapolitanus tempore Caroli VIII. Regis Francorum, qui intra paucos dies totum regnum ſubjugaverat. imo Federicus etiam tempore Ludovici XII. v. il Tomaſi nella vita di Ceſare Borgia p. 317. 339. Fabulam de cæſis iſtic fulmine Gigantibus elegantiſſime deſcripſit Nic. Heinſius L. I. El. 6. vide Delrium comment. ad Senec. Herc. Oet. v. 1154. p. 341. Turneb. L. 20. advers cap. 8. Erythræum Ind. Virgil. *Inarime*. Parhaſium Epiſt. p. 206.

V. 23 *In primis formoſa* HYALE, *cui ſanguis Iberis Clarus avis, &c.*] aut Regis Ferdinandi conjux innuitur, aut aliqua e filiabus Regiis.

V. 32. EUPLOEA.] Inſula parva Campaniæ in ſinu Puteolano, inter Neapolim & Puteolos, juxta Pauſilypum promontorium, hodie *Gajola*. della Valle T. 4. p. 490.

Præterea mihi ſub pelago manus apta legendis
Muricibus: didici Tyrios cognoſcere ſuccos,
Quoque modo plena durent conchilia teſta.
Quid refugis? tingenda tibi jam lana paratur,
Qua niteas, ſupereſque alias Galatea puellas:
Lana maris ſpumis quæ mollior. hanc mihi paſtor
Ipſe olim, dedit hanc paſtor Meliſæus, ab alta
Cum me forte ſenex audiſſet rupe canentem:
Et dixit, Puer iſta tuæ ſint præmia Muſæ,
Quandoquidem noſtra ceciniſti primus in acta.
Ex illo in calathis ſervavi, ut mittere poſſem.
Sed tu (nequa mihi ſuperet ſpes, nequa futuri
Conditio, Galatea) manum mihi dura negaſti.
Hoc eſt, hoc, miſerum quod perdidit. ite Camœnæ,
Ite procul: ſprevit noſtras Galatea querelas.

Scilicet,

V. 44. —— *iſta tua ſint præmia* Musæ,
Quandoquidem noſtra ceciniſti primus in acta.) ita eſt. ante noſtrum poëtam nemo unquam Muſam illam humilem ruſticamque, (ut Fabius loquitur) extra ſilvas eduxerat. oſtenditque nobili illa audacia Actius (id enim ſibi nomen ab *acta* finxit) eſſe in Helicone fontes etiamnum inacceſſos, & vias,

—— Qua nulla priorum
Caſtaliam molli deverterit orbita clivo.

exſtat apud Theocritum Idyllion, in quo duo piſcatores de nocturno ſomnio colloquuntur: ſed id diverſi prorſus eſt characteris. adeo ut non vane inventi gloriam ſibi vindicet noſter L. 3. El. 2.

Nec minus hæc inter piſcandi concitus egit
Ardor in æquoreos mittere lina ſinus,
Fallaceſque cibos vacuis includere naſſis,
Atque hamo undivagos ſollicitare greges.
Quandoquidem ſalſas deſcendi ego primus ad undas,
Auſus inexpertis reddere verba ſenis.

Hinc ſibi exemplum ſumſit divinus Grotius in nobiliſſimo illo nautico Idyllio, cui Myrtilo nomen. de tota hac ſcriptione luculenter diſſeruit Renatus Rapinus in libro erudito de carmine paſtorali; porro Sannazarius videtur has Eclogas ſcripſiſſe poſt editam Arcadiam ſuam: ita enim ad Ferdinandum Frederici Regis filium loquitur Eclog. 4.

—— nunc littoream ne deſpice Muſam,
Quam tibi poſt ſilvas, poſt horrida luſtra Lycei,
(Si quid id eſt) ſalſas deduxi primus ad undas,
Auſus inexperta tentare pericula cymba.

Vide Menagii Anti-Bajuletum T. 1. p. 206. & ſeqq.

Scilicet, exiguæ videor quod navita cymbæ,
Quodque leves hamos, nodoſaque retia tracto,
Deſpicis. an patrio non hoc quoque littore Glaucus
Fecerat? æquoreæ Glaucus ſcrutator arenæ?
Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum.
Sed nec, quæ nimium vel me ſic falſa fatigat,
Fabula te moveat Lydæ, licet illa puellis
Jactet, neſcio quas mihi ſe miſiſſe corollas:
Non me Lyda tamen, non impulit, æquora teſtor,
Nereidaſque omneis. ſi fallo, naufragus illas
Experiar, ſalſoſque bibam ſub gurgite fluctus.
Heu quid agam? externas trans pontum quærere terras
Jam pridem eſt animus: quo nunquam navita, nunquam
Piſcator veniat. fors illic noſtra licebit
Fata queri. Boreæ extremo damnata ſub axe
Stagna petam, & rigidis nunquam non cana pruinis?
An Libyæ rapidas, Auſtrique tepentis arenas,
Et videam nigros populos, Solemque propinquum?
Quid loquor infelix? an non per ſaxa, per ignes,
Quo me cunque pedes ducent, mens ægra ſequetur?
Vitantur venti: pluviæ vitantur, & æſtus:
Non vitatur amor. mecum tumuletur oportet.
Jam ſaxo me me ex illo demittere in undas
Præcipitem jubet ipſe furor. Vos o mihi Nymphæ,
Vos maris undiſoni Nymphæ; præſtate cadenti
Non duros obitus, ſævaſque extinguere flammas.
Scilicet hæc olim, veniens ſeu littore curvo
Cajetæ, ſeu Cumarum navalibus altis,

Dum

V. 77. ——— *ſeu littore curvo* CAJETÆ, *ſeu* CUMARUM *navalibus altis.*] *Cajeta*, hodie *Gaeta*, urbs eſt provinciæ Terræ Laboris, cum duplici arce, & percapaci portu, in ora maris Tyrrheni. nomen habet ab Æneæ nutrice ibi ſepulta. *Cuma*, urbs olim Epiſcopalis in Campaniæ ora littorali, inter Linternum & Miſenum, nunc prorſus everſa.

Dum loca tranſibit, raucus de puppe magiſter
Hortatus ſocios, Dextrum deflectite, dicet,
In latus o ſocii: dextras deflectite in undas:
Vitemus ſcopulos infameis morte Lyconis.
Talia nequicquam ſurdas jactabat ad auras
Infelix piſcator, & irrita vota fovebat:
Cum tandem extremo veniens effulſit ab ortu
Lucifer, & roſeo perfudit lumine pontum.

ECLOGA TERTIA

MOPSUS.

CELADON, MOPSUS, CHROMIS, IOLAS.

Dic mihi (nam Baulis, verum ſi rettulit Ægon,
Bis ſenos vos, Mopſe, dies tenuere procellæ)
Quid tu, quid Chromis interea, quid veſter Iolas,
Dum Notus inſultat pelago, dum murmurat unda?
Ecquid deſertis vacui luſiſtis in antris?
Mop. Quid noſtræ facerent ingrata per ocia muſæ,
O Celadon? neque tum conchas impune licebat
Per ſcopulos, non octipedes tentare paguros.
Jam fragilem in ſicco munibant ſaxa phaſelum:
Raraque per longos pendebant retia remos.
Ante pedes ciſtæque leves, hamique jacebant:
Et calami, naſſæque, & viminei labyrinthi.
Tum Chromis Inarimem ſpectans, his, inquit, ab oris
(Ah dirum exilium) noſtræ ſolvere carinæ:
Cum regem poſt bella ſuum comitata juventus
Ignotis pelagi vitam committeret undis.
Quæ tamen (ut fama eſt) Ligurum per ſaxa, per altas
Stæchadas emicuit: Rhodanique invecta per amnem
(Nam

Digitized by Google

(Nam bene ſi memini, Rhodanum referebat Amilcon)
Oceani madidas vidit refluentis arenas,
Et quæ cæruleos procul adſpicit ora Britannos,
Qua (niſi vana ferunt) quoties maris unda reſedit,
Indigenæ captant nudos per littora piſces
Ne, Chromi, ne luctus renova, reſpondit Iolas:
Sat tuus hæc nobis Lucrini nuper ad undam
Narravit Lycabas: Solem ſe ſcilicet illic
Trans fluctus, trans & nubes vidiſſe cadentem
Haud aliter, quam ſi noſtris e montibus illum
Cajetæ adſpiceret longe poſt littora ferri;
Et ſtrepitum ſenſiſſe ruentis ab æthere currus.

Præterea

V. 25. *Sat tuus hæc nobis* LUCRINI *nuper ad undam Narravit Lycabas.*] erat lacus Lucrinus prope intimum receſſum ſinus Puteolani, abundabatque piſcibus. ſed poſt terribilem terræ motum, qui accidit Ao. 1538. menſe Septembri, ipſo feſto D. Michaëlis, mons hic novus extitit, quem *Cinereum* vocant, nihilque de toto lacu remanſit præter arundinetum & paludem limoſam. vide Leandr. Albertum in deſcriptione Campaniæ felicis, ſive Terræ Laboris. id vero factum eſt poſt mortem noſtri poëtæ, qui Romæ diem ſuum obiit anno 1533. (1532. Mabillon Itin. Ital. p. 112.) natus Neapoli A. 1471. ut auctor eſt in ejus vita Thomas Porcacius. quem à Bailleto non eſſe conſultum, in *Judiciis eruditorum*, merito mireris. v. Mabillon Itiner. Ital. p. 1112. Miſſon voyage d'Italie T. 1. p. 307. Cambdenum Britann. p. 497. Ovid. xv. Met. 296. videatur de hoc terræ motu ac Monte novo Montfaucon T. 1. Diar. Ital. p. 317. ſeqq.

V. 30 *Et ſtrepitum ſenſiſſe ruentis ab æthere curris.*] aptiſſime hic piſcator mera refert miracula de terris longinquis, ſed tamen ex mente antiquorum, poëtarum præſertim. unus Statius inſtar omnium eſto. ita ille in Genethliaco Lucani Silv. L. 2. de Bætica loquens:

Felix heu nimis & beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis.

& hoc quidem in poëta non intolerabile videri poteſt, ſed quid facias philoſophis? Auctor eſt Strabo lib. 3. Poſidonium tradidiſſe, Solem in finitimis Oceano littoribus multo majorem occidere ingenti cum ſtrepitu: perinde atque eo in profundum incidente. in illo reſtinguendo pelagus effervеſcat. Seneca L. 7. de Benef. C. 31. *alius Solem ſaxum aliquod, aut fortuitorum ignium globum, & quidvis potius quam Deum appellat.* puto me legiſſe apud Plinium, veniſſe a Gadibus uſque Romam hominem Hiſpanum, qui ſanctiſſimo jurejurando affirmarit Patribus, audiviſſe ſe ſtridorem occidentis in mari Solis. vide Barthium anim. ad Statium T. 1. p. 250. T. 2.

Digitized by Google

Præterea mores populorum, urbeſque, locoſque
Expoſuit, quarnaſque domos, & lignea tecta.
Addidit & varias (heu barbara nomina) gentes:
Bellovacos, Morinoſque: &, quos quis dicere poſſit?
Tarbellos: latis errare & flumina campis:
Neſcio quem Ligerim tectis ſe innaſſe carinis.
Sed mea nunc aliæ poſcunt ſibi pectora curæ.
Tu modo ſi quid habes (& te quoque Chloridis ardor
Excruciat ſcopulo hoc mecum meditate viciſſim.
Audiet, & gracilem percurret Mopſus avenam.
Sic illi: aſt ego nil contra, ſed quæ mihi collo
Garrula pendebat, manibus tunc ſumpta cicuta eſt.
Scilicet alternos conabar arundine verſus
Excipere. alternis nam dicere uterque parabat.
Nec mora. jam Chromis hos, hos & referebat Iolas.
CHR. Nereïdes, pelagi ſacrum genus, aut mihi veſtris
Munera ferte vadis, duram queis Chlorida placem:
Aut, ſi muneribus flecti nequit, æquore toto
Quærite, quæ noſtrum ſanet medicina furorem.
IOL. Sirenes, mea cura, audite hæc ultima vota.

Aut

2. p. 47. Tollium ad Auſon. p. 654. 655. Tacitum German. c 45. & ibi Lipſium p 450. Florum Lib. 2. C. 17. N. 12. Iſtic Freinshemius & Rupertus. Cleomedem L. 2. p. 200. Delrium Com. in Senec. Thyeſtem v. 819. p. 404. Valerium Flaccum III. 34. II. 37. Juvenal. XIV. 193. *io ſteſſo, io, dell' uſcente carro del ſole ſentii, con queſte orecchi, le ſtrepitanti ruote: ma dal lume acciecato, non potei: con gli occhi, ſoffrir lo ſplendore. il ſignor* della Valle. T. 2. p. 282.

V. 34. 35. BELLOVACOS, MORINOS, TARBELLOS.] *Bellovaci* populi Gallæ, in provincia inſulæ Franciæ, quorum urbs *Beauvais*: regio circumjacens vulgo *le Beauvaiſis*. *Morini* populi Galliæ Belgicæ, in eo tractu ubi nunc pars occidentalis Flandriæ; eorum caput fuit Teruanna, quæ nunc in ruinis jacet. *Tarbelli* populi Galliæ Aquitanicæ, ubi hodie Navarra inferior.

V. 50 SIRENES.] de Sirenibus omnia nota. addam tantum nomina, quia ſæpe earum mentio apud noſtrum poëtam. fuerunt autem hæc, *Aglaope*, *Piſinoë*, *Thelxiopia*: ſecundum Chærilum, *Thelxiope*, *Molpe*, *Aglaophenos*. Clearchus unam illarum *Leucoſiam* nominat, alteram *Ligeam*, tertiam *Parthenopen*: de hujus porro nomine nobiliſſimam Italiæ civitatem Neapolim dictam fuiſſe *Parthenopen*

Digitized by Google

Aut revocet jam Niſa ſuum, nec ſpernat Iolam,
Aut videat morientem. Hæc ſaxa impulſa marinis
Fluctibus, hæc miſero vilis dabit alga ſepulchrum.
Chr. Qualis tranquillo quæ labitur æquore cymba,
Cum Zephyris ſummæ criſpantur leniter undæ,
Tuta volat, luditque hilaris per tranſtra juventus:
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.
Iol: Adſpicis, iratæ feriant ut ſaxa procellæ:
Ut validis imæ Coris turbentur arenæ?
Jam ſcopulis furit unda, tremit jam terra tumultu.
Fallor, an hæc ipſa eſt Niſæ indignantis imago?
Chr. O Proteu paſtor liquidi maris, o pater, o rex,
(Quandoquidem inſanos odiſtis numina faſtus)
Quære Pithecuſas tu, cui licet: atque ſuperbæ

E Dic

nopen auctor eſt Strabo lib. 1. earum pater fuiſſe perhibetur Achelous fluvius, qui Ætoliam atque Acarnaniam interfluit; mater Terpſichore, vel ſecundum Nicandrum Melpomene, juxta alios Calliope. Plinius l. 3. c. 5. *Acherusia palus Cumis vicina: litore autem Neapolis Chalcidenſium, & ipſa Parthenope à tumulo Sirenis appellata.* illud idem Strabo refert l. 5. fabulam Sirenum ad hiſtoriæ veritatem deducere conatur Pontanus ſub finem libri ſexti de bello Neapol. non ſine multa veriſimilitudine. Plurima de Sirenibus congeſſit Barthius ad Claudianum p. 1036. & ſeqq. ſed quæ ad Philoſophiam morum potiſſimum referri voluit. multa quoque Delrius adverſ. ad Senec. Medeam p. 16. Geſnerus L. 3. de avib. p. 735. Calcagninus L. 13. Epiſt. 25. Lambinus ad Horat. L. 1. Epiſt. 2. p. 252. Servius & Cerda ad V. Aen. v. 864.

V. 64. *Quære* Pithecusas.] eadem inſula quæ *Inarime* & *Ænaria.* vide notata ad Eclog. 2. v. 21. Ovidius l. 14. Metam. de adventu Æneæ in Italiam, ita a Cercopibus in ſimias mutatis dictam narrat, quas Græci πιθήκους vocant:

Inarimen, Prochytenque legit, ſteriliquè locatas
Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas.
Quippe Deum genitor, fraudem & perjuria quondam
Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſa,
In deforme viros animal mutavit: ut idem
Diſſimiles homini poſſent, ſimileſque videri.
Membraque contraxit: nareſque à fronte reſimas
Contudit, & rugis peraravit anilibus ora.
Totaque velatos flaventi corpora villo
Miſit in hac ſedes. nec non prius abſtulit uſum
Verborum, & nata dira in perjuria linguæ.
Poſſe queri tantum rauco ſtridore reliquit.

Plinius l. 3. c. 6. in *Puteolano ſinu Pandataria, Prochyta, non ab Æneæ nutrice,*

Dic Hyalæ, falſum te paſcere monſtra per æquor.
Iol. Ille habet, ille meos ſcopulus mihi ſervat amores,
Qui propior terræ eſt. illum pete, Glauce, natatu:
Neve manus duri contemnat Niſa mariti,
Dic te ſquamigeras traxiſſe ad littora prædas.
Chr. Eſt Veneri Cypros gratiſſima, Creta Tonanti,
Junonique Samos, Vulcano maxima Lemnos:
Ænariæ portus Hyale dum pulchra tenebit,
Nec Samos Ænariam vincet, nec maxima Lemnos.
Iol. Gradivus Rhodopen, & Mercurius Cyllenen,
Ortygiam Phœbe, Tritonia jactat Hymetton:
Niſa colit Prochyten: Prochytes ſi commoda norint,
Ortygiam Phœbe, Tritonia linquet Hymetton.
Chr. Hic ſpecus, hic rupes, texendiſque optima naſſis
Vimina ſunt, junci, denſæque per avia myrtus:
Si mihi nunc Pholoë, vel tantum Chloris adeſſet,
Quam bene pugnaces poſſem contemnere ventos.

Iol.

nutrice, *ſed quia profuſa Ænaria erat. Ænearia ipſa à ſtatione navium Æneæ, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecuſa, non à ſimiarum multitudine, (ut aliqui exiſtimavere) ſed à figlinis doliariorum.* non ludet operam qui legere voluerit Ciofano notata ad laudatum Naſonis locum, & contulerit quæ Parrhaſius Epiſt. p. 206. 207. habet de *Pithecuſis* ad tertium Claudiani lib. de Raptu Proſerp. & Erythræus ind. Virgil. in *Inarime* ubi Plinii originationem non ineptis rationibus impugnat. ad eumdem quoque lapidem offenderat Hermolaus Barbarus, caſtigatus a Parrhaſio l. c.

V. 70. Quatuor inſulas hic commemorat poëta, (quarum ſingulæ ſingulis Diis gratæ ac ſacræ) Cyprum Veneris, Cretam Jovis, Samum Junonis, Lemnum Vulcani. Deinde ut Ænariam cuivis earum exæquet, dicit illam habitari ab Hyale, nec, quamdiu iſtic futura ſit Hyale, ceſſuram vel Samo, vel Lemno. vitium eſt in anacephaleoſi: nam cum quatuor nominaverit initio, duas in fine omittit: quod factum non oportuit: & tamen eundem errat errorem in ſequentibus verſibus. opinor à prava Virgilii imitatione, (ignoſcite, eruditi, voci liberæ) qui Ecloga ſeptima bis itidem quatuor arbores nominat, quarum non niſi duas repetit in fine: *Populus Alcidæ gratiſſima*, &c. nam quod interpretes duas reliquas ſubintelligi volunt, id ſane nimis quam acutum eſt. eorum rationes videre qui volet, adeat Nannium lib. 6. Miſcellan. cap. 40. Lud. de la Cerda, Pontanum, alios, ad laudatum Maronis locum.

Digitized by Google

IOL. Nulla mihi ſine te rident loca, diſplicet æquor,
Sordet terra, leves odi cum retibus hamos.
At ſi aderis tu, Niſa, placebunt omnia: lætus
Tunc ego vel Lybicis degam piſcator arenis.
CHR. Dat rhombos Sinueſſa, Dicarchi littora pagros,
Herculeæ mullum rupes, ſynodontas Amalphis:
Parthenope teneris ſcatet ambitioſa puellis:
Quis mihi nunc alias ſcrutari ſuadeat algas?
IOL, In fluviis mugil verſatur, ſargus in herbis,
Polypus in ſcopulis, mediis melanurus in undis:
Ante tuas, mea Niſa, fores ego ſemper oberro:
Quæ mihi det tales jucundior inſula portus?
MOP. Hactenus, o Celadon, reſonis ſub rupibus illos
Inter ſe vario memini contendere cantu,
Horrida ventoſi ridenteis murmura ponti.
Qui tamen & laudes, & munera digna tulere
Carminibus, ſed quæ nequeat contemnere Triton:
Hic, quam Circeio nudus ſub gurgite cepi,

 Nativis

V. 86. *Dat rhombos* SINUESSA, DICARCHI *littora pagros*, HERCULEÆ *mullum rupes*, *ſynodontas* AMALPHIS.] *Sinueſſa* prius Sinope, colonia & urbs Campaniæ, in ora ubi Maſſicus mons deſinit, ubi nunc *Rocca di Mondragone*, oppidum Ducali titulo inſigne. Sinueſſæ obiit Sextus Turpilius comicus, Terentii familiaris. *Dicarchi littora*, *Dicaa*, *Dicæarchia*, Straboni & Plinio; *Dicarchis* Petronio; hodie *Pozzuolo*, oppidum admodum parvum, in colle & in ora littorali provinciæ Terræ Laboris. de Puteolanis balneis, villis, imperatorum deliciis, &c. pleni ſunt veterum libri. de Sinueſſa vide G. Naudæum in Judicio de Aug. Niſpho, haud longe ab initio. *Herculea rupes*, littus Bajanum. Propertius l. 1 El. 11.

Ecquid te mediis ceſſantem, Cynthia, Bajis,
Qua jacet Herculeis ſemita littoribus, &c.

Amalphis, hodie *Malfi* & *Amalfi*, urbs Picentinorum Ducatus titulo inſignis. Eam Pontanus, in Hortis Heſperid. *Magnetida* vocat, quod ejus cives magnetis uſum navigantibus, ut fama eſt, primi monſtravere. Anton. Panormita,

Prima dedit nautis uſum magnetis Amalphis.

id factum ajunt anno 1300, atque inventorem fuiſſe *Flavium Gioiam*, ut auctor eſt Alexander Sardus.

V. 99. —— *quam* CIRCEIO *nudus ſub gurgite cepi.*] Circeium promontorium, *Monte Circello*, in mare Tyrrhenum

Nativis concham maculis, & murice pictam:
Ille recurvato nodoſa coralia trunco.

FERDINANDO FREDERICI

Regis F. Aragonio, Calabriæ Duci,

ECLOGA QUARTA.

PROTEUS.

Nunc primum notas velis majoribus undas
Currimus, o nymphæ Craterides: ordine quando
Suadet amor, charæ primos Telluris honores
Dicere: cærulcæ magni Crateris alumnæ,
Telluris primos charæ dicamus honores,
Dum radiis fervens medium ſol excoquit æquor.
Tu vero patriæ juvenis decus, edite cœlo,
Spes generis tanti: ſeu te nimboſa Pyrene
Pro dulci Latio, pro noſtris detinet arvis:
Seu vagus objecto munimine claudit Iberus:
Rumpe moras: nec te latis Hiſpania regnis
Adliciat, ſtirpisve tuæ primordia, & ille
Gentis honos: licet effuſo Tagus impleat auro,
Et pater Oceanus ſpumanti perluat unda.
Nam mihi, nam tempus veniet, cum reddita ſceptra
Parthenopes, fractoſque tua ſub cuſpide reges

Ipſe

rhenum excurrens, prope Circæi rudera, cum uno aut altero tantum vico, ob cœli vitium & paludes Pomptinas: oſtreorum olim proventu nobile.

V. 2. *Nymphæ* CRATERIDES.] *Crater* dicitur ſinus ille Campaniæ, qui & Puteolanus, inter Miſenum & promontorium Minervæ concluſus, in cujus receſſu intimo Neapolis. *Golfo di Napoli.* videatur Strabo lib. 5.

Ipſe canam: nunc littoream ne deſpice muſam.
Quam tibi poſt ſylvas, poſt horrida luſtra Lycæi,
(Si quid id eſt) ſalſas deduxi primus ad undas,
Auſus inexperta tentare pericula cymba.
Quæ vada non norunt, quis neſcit Protea portus?
Illum olim veteris paſcentem ad ſaxa Minervæ,
Mulcentemque ſuas divino carmine phocas,
E puppi senſere Melanthius & Phraſidamus,
Ut forte à Capreis obſcura nocte redibant:
Senſere & vario delphinas ludere curſu,
Tritonumque choris longe freta pulſa ſonare.
Ipſe autem, haud quaquam mortali digna referri
Verba ſono, vacuas lætus cantabat ad auras:
Terrigena ut quondam matris de ventre Typhoëus
Exſiliens, infanda deos ad bella vocaſſet:
Ut fratrum primus, furiis, & hiantibus hydris
Inſtructus, denſas ductaverit ipſe catervas:
Ut niſu ingenti parteis de monte revulſas

V. 22. *Illum olim veteris paſcentem ad ſaxa* MINERVÆ.] Promontorium Minervæ, contra Capreas inſulam, & inter ſinus Neapolitanum ac Salernitanum, hodie *Capo Campanella. Athenæum* dicitur Straboni lib. 5. Sirenum quondam ſedes, auctore Plinio lib. 3. c. 5.

V. 25. *Ut forte à* CAPREIS *obſcura nocte redibant.*] Capreæ inſula cum urbe Epiſcopali, ſub Archiepiſcopo Amalphitano, Campaniæ adjacens in mari Tyrrheno, contra Minervæ promontorium. *l'Iſle de Capri.* Hanc inſulam in deliciis habuit Tiberius, ut videre eſt apud Tacitum & Suetonium. Barthius ad Stat. l. 3. Silv. 5. v. 100. p. 347.

V. 30. *Terrigena ut quondam*, &c.] Bello Giganteo nihil decantatius. id geſtum eſſe fertur in campo Phlegræo: qui duplex, unus in Theſſalia, vel, ut alii volunt, in Macedonia apud urbem Pallenen; alter in Campania juxta Cumas. Servius ad III. Aen. 578. *Giganteam oram* vocat Propertius lib. I. El. 10. de hoc Strabo l. 5. Plinius l. 3. c. 5. Apollod. l. 1. c. 6. feſtive autem fingit poëta Bajas iſtius victoriæ quaſi tropæum eſſe, atque, ideo calidas & ſulfuratas aquas habere,

Quod gens victa illis laviſſet vulnera lymphis,

de Bajis adi Plinium & Strabonem locis ſupra laudatis, tetigit & locorum deſcriptionem & fabulam eleganti elegia Nic. Heinſius, quæ octava eſt libri ſecundi Italicorum.

Digitized by Google

Ænariam, Prochytenque altis immiſerit aſtris,
Ac totum ſubito cœlum tremefecerit ictu:
Tum pater haud ſegni molitus fulmina dextra
Immaneis acies dejecerit, atque tropæum
Juſſerit ardenteis teſtari ſulfure Baias,
Quod gens victa illis laviſſet vulnera lymphis.
Hinc magni Alcidæ tauros, ſtratumque profundum
Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.
His veteres addit Cumas, loca cognita Phœbo,
Vatis & horrendæ lucos, Triviæque receſſus,
Cimmeriûmque domos, & opaca in vallibus antra.
Te quoque formoſæ captum Neſidos amore,
Pauſilype, irato compellat ab æquore queſtu
Ah miſer, ah male caute, tuæ quid fata puellæ
Adceleras? cupit in medios evadere fluctus

In-

V. 41. *Hinc magni Alcidæ tauros, ſtratumque profundum* AGGERIBUS *memorat*, &c.] Lucrinus ſinus (auctor eſt Strabo lib. 5.) uſque Bajas latitudinem pandit, qui ex exteriori pelago, per aggerem longitudinis ſtadiorum octo, latitudinis autem unius orbitæ, arcetur. illum autem ab Hercule, traducendarum Geryonæ boum cauſa, aggeratum fuiſſe perhibent. qui cum pedibus perambulari, propter fluctus ingruentes, per hiemen vix poſſet, Agrippa exornatum melius conſtruxit Propert. l. 1 El. 11.

Qua jacet Herculeis ſemita litteribus.

& l. 3. El. 16.

Qua jacet & Troja tubicen Miſenus arena,
Et ſonat Herculeo ſtructa labore via.

Cicero Agrar. 2. c. 14. p. 408. hanc *viam* Herculaneam *multarum deliciarum* vocat.

V. 43. *His veteres addit* CUMAS, &c.] de Cumis, Cimmeriis, &c. omnium luculentiſſime Strabo l. 5.

V. 46. *Te quoque formoſæ captum* NESIDOS *amore*, PAUSILYPE.] vide notas de Ecl. 1. v. 14. de ipſo Pauſilypo nihil poteſt elegantius dici, nihil cultius quam quæ dixit nobiliſſima illa elegia Nicol. Heinſius, libri primi quarta. *Io inteſi di compor per lei, e preſuppoſi di cantare in Italia, dopo il mio ritorno ſovra gli ſcogli di Poſilipo, parlando al Zeffiro, che in quel delitioſo mare la ſtate coſi ſpeſſo, e coſi ſoave ſuole ſpirare. Il ſignor della* valle *T. 2. p.* 119. *con che ſo fine, pregando noſtro ſignore che gli conſervi tutti, e che ci dia Gratia, che un giorno ci rivediamo tutti inſieme a Poſilipo, dove, in materia di Luoghi, ſta il mio cuore. Il med. T. 2. p.* 132.

Digitized by Google

Infelix: cupit inſuetum finire dolorem.
At tibi nec curæ eſt, quod eam Neptunia monſtra
Circunſtent, mare nec rapido quod ſorbeat æſtu.
Ah miſer, ah male caute, ultra quid brachia tendis?
Siſte gradum. riget illa jugis adſueta nivoſis
Venatrix: quam mille feræ timuere ſequentem
Per ſaltus. vos hanc Panope, vos candida Drymo,
Cymothoëque, Rhoëque, Pheruſaque, Dinameneque
Accipite, & veſtris ſociam luſtrate choreis.
Tum canit antiquas ſedeis, opulentaque regna
Auricomæ Sirenis, & altum in monte ſepulchrum,
Sacraque, Calcidicoſque deos, magniſque per æquor
Auſpiciis vectas hæc ipſa ad littora claſſeis.
Tum liquidos fonteis ſubter cava mœnia ducit,
Adtollitque arceis, & culmina montibus æquat
Tectorum: vaſtas protendit in æquora moleis,
Eupleamque procul trepidis dat cernere nautis,
Atque Pharon; jungit ſcopulos, præruptaque ſaxa
Theleboûm, Sarnique amneis, & pinguia culta.

V. 59. ——— *opulentaque regna Auricomæ* SIRENIS, *& altum in monte ſepulcrum.*] vide notas ad Eclog. 3. v. 50. & Plinii ac Strabonis locos ibi laudatos.

V. 63. *Tum liquidos fontes ſubter cava mœnia ducit.*] Labullam intellige, rivum, vel potius fluviolum, per cuniculos Neapolim, miro opere inductum. Pontanus Lepidinæ pompa 4.

Eſt inter notas fœcunda prima Labulla,
Nomine Formellis, &c.]

Obſeſſamque intrat Nymphis comitantibus urbem,
Qua per operta vagus labitur antra liquor.

vide Sabellicum Enn. 10. lib. 5. id autem Alphonſo in mentem venit ab exemplo Beliſarii, qui, nongentis quinquaginta annis ante, trajectis per eoſdem ſubterraneos aquæductus quadringentis armatis, urbem itidem ceperat; tentarunt & Hiſpani tumultu Aniellico. eleganter hos ſubterraneos aquarum meatus deſcribit Pontanus in fine libri ſexti de Bello Neapol.

immiſſo per Labullæ arcuatos fornices milite Neapolin cepit Alphonſus Aragonius. v. Pontanus L. 5. de obedient. c. 7. p. 89. noſter l. 2. El. 1.

V. 68 SARNI *amnes.*] Sarnus, hodie *Scafati*, Principatum citeriorem ſeu Picentinos, à Terra Laboris ſeparat, poſtea in ſinum Neapolitanum

Tum canit, ut Corydona ſacro Meliſæus in antro
Viderit, & calamos labris admoverit audax:
Formoſum quibus ille olim cantarat Alexin,
Dixerat & muſam Damonis, & Alpheſibœi:
Queis fretus, dictante Dea, tot ſidera nobis
Prodiderit, tantas cœli patefecerit oras.
Quid referam aut Stabias, aut quæ tenuiſſe canoris
Virginibus fama eſt abeunteis ſaxa carinis?
Aut ut terrifici ſonitus ignemque Veſevi,
Et deſolatas paſſim defleverit urbeis?
Poſtremo reges, regumque ex ordine pugnas
Enumerat: bellique arteis, & præmia narrat.
Addit triſtia fata, & te, quem luget ademptum
Italia infelix (ſive id gravis ira deorum,
Seu ſors dura tulit) trans altas evehit alpeis.
Mox agit Oceani prope littora: denique ſiſtit
Spumantem ad Ligerim, parvaque includit in urna.
Heu ſortem miſerandam, heu pectora cæca futuri.
Hæccine te feſſum tellus extrema manebat
Hoſpitii, poſt tot terræque, mariſque labores?
Pone tamen gemitus: nec te monumenta parentum,
Aut moveant ſperata tuis tibi funera regnis.
Grata quies patriæ: ſed & omnis terra ſepulchrum.
Hæc

num ſe exonerat infra Pompejos, prope Turrim Annunciatæ. urbem alluit cognominem, *Sarno*, Ducatus titulo inſignem, gentis Barberinæ. diligenter eum amnem deſcribit Pontanus lib. 1. de Bello Neapolitano, pag. 482. Statius l. 1. Silv. 2.

Nec ſibi ſulfureis Lucrina Naides antris,
Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.

adde Plinium l. 3. c. 5.

V. 66. ——— *ut* CORYDONA *ſacro* MELISÆUS *in antro Viderit*, &c. de Virgilio loquitur, deque Joanne Joviano Pontano, viro illa ætate harum literarum longe principe.

V. 75. *Quid referam aut* STABIAS.] Urbs eſt parva Terræ Laboris, in ora ſinus Neapolitani, exciſa olim a Lucio Sylla. hodie *Caſtell' a mare di Stabia.*

V. 81. *Addit triſtia fata*, &c.] brevis commemoratio exilii Regis Frederici, qui in Gallia obiit.

Digitized by Google

Hæc ille, & quæ vix audita prioribus annis
Heroum longæva queat meminiſſe vetuſtas,
Commemorat. ſocio reſpondent æquora plauſu:
Luna ſuam donec paulatim fundere lucem
Cœpit, & ad vitreas redierunt numina ſedeis.

CASSANDRÆ MARCHESIÆ,

Mulieri præſtantiſſ.

ECLOGA QUINTA.

HERPYLIS PHARMACEUTRIA.

DORYLAS, THELGON.

Sed jam vulgatos & nos referamus amores:
Quos pariter grata ſcopuli pendentis in umbra
Hinc Dorylas, hinc Theleboi maris adcola Thelgon
Certantes docuere, quibus cava littora, & ipſe

Scripta eſt hæc Ecloga ad Caſſandram Marcheſiam, Neapolitanam, nobiliſſimam atque eruditiſſimam fœminam, cui & rythmos ſuos Italicos dedicavit Sannazarius. Ejus viciſſim Caſſandræ beneficio debemus editionem librorum de Partu Virginis, ut teſtatum reliquit publice Petrus Gravina, homo literatiſſimus, in præfatione editionis Venetæ A. 1570. multa mentio eſt Caſſandræ apud poëtam noſtrum. vide nobilem illam elegiam, quæ ſecunda eſt libri tertii, & Epigr. 64. lib. 2. Epigr. 2. lib. 3. & dedicationem poëmatum vernaculorum, ubi hæc inter alia, *Tu dunque una al noſtro ſecolo, ſe io non m'inganno, delle belle eruditiſſima, delle erudite belliſſima*, &c. duæ eodem titulo cum noſtra eclogæ extant, altera Theocriti, Virgilii altera: quas contuliſſe non injucundum fuerit. imitatus eſt & Bellaqueus, (*Belleau*) poëta Gallus.

V. 3. THELEBOI *maris adcola.*] Theleboës, ſeu Thelebox, populi fuere inſulæ Capreatum, ex Ætolia, aut Acarnania, oriundi. vide Servium ad l. 7. Æneid. v. 735.

Æquoreus Platamon, ſacrumque Serapidis antrum
Cum fonte, & Nymphis adſultavere marinis.
Tu mihi, ſeu doctas percurris Palladis arteis,
Mæoniæque aurum & ſubtegmina vincis Arachnes,
Seu Dryadum choreis, cœtuque immiſta Dianæ
Haud minor incedis, pictaque adcincta pharetra
Venatu Prochyten, maternaque regna fatigas,
Sive Dicarchæis qua molibus adſilit æquor,
Ludenteis ſpectas Nereïdas: en age noſtros,
(Siquis honos pelagi) Caſſandra, en adſpice luſus.
Non ingrata cano, penituſq; injuſſa. Neque unquam
Arguerint ventura meis te ſæcula chartis
Præteritam. faveat modo non invitus Apollo,
Et quæ me facili vexere per æquora remo
Pierides: queis longa dies, & nomina curæ.
Interea Dorylan juvet hic audire canentem.
DOR. Sebethi ad liquidas deſcenderat Herpylis undas,
Herpylis Euboidum non ultima: quam pater Alcon
Erudiit, Muſis & Phœbo cognitus Alcon.

Venerat

V. 9. *Seu Dryadum choreis cœtuque immiſta Diana,*
Haud minor, incedis, &c.] imitatio Virgiliana ex l. 1. Æneid. v. 498.

V. 21. SEBETHI *ad liquidas deſcenderat Herpylis undas.*]
Sebethus fluviolus eſt Campaniæ, vicatim per urbem Neapolim fluens, atque omnibus civibus ſui uſum præſtans. *Fornello* vulgo, ejus pars prope muros urbis labitur, & paulo infra pontem Sanctæ Magdalenæ in ſinum Neapolitanum ſe exonerat, unde *Fiume della Madalena* dicitur. Virgilius l. 7. Æneid. v. 733.

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generaſſe Telon Sebethide Nympha
Fertur, Teleboum Capreis cum regna teneret
Jam ſenior.

Ubi Servius: *Oebalus filius eſt Telonis & Nympha Sebethidis. Hac autem eſt juxta Neapolim. Sed Telon diu regnavit apud Capreas inſulam contra Neapolim ſitam. Filius vero ejus patriis non contentus imperiis, tranſiit ad Campaniam: & multis populis ſubjugatis ſuum dilatavit imperium.* Plurima Sebethi mentio fit apud noſtrum poëtam, neque infrequentior apud Jovianum Pontanum. vide Ludov. de la Cerda ad. Virgil. lib. 7. v. 731.

Digitized by Google

Venerat & ſocii partem ſubitura laboris
Unanimis ſoror, & calathum de more ferebat.
Ipſa comas effuſa, pedemque exuta ſiniſtrum
Cum philtris longum ſubmurmurat: atque ita fatur:
  Pone aram, & vivos hauri de flumine rores,
Canaque vicino decerpe abſinthia campo.
Illum illum magicis conabor adurere ſacris,
Qui miſeram tota ſpoliatam mente reliquit.
  Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Rhombus ad Æmonias revocetur aheneus arteis:
Siſtere *qui pluvias*, qui pellere nubila cœlo,
Qui *potis* eſt trepidos undis abducere piſceis.
  Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Alga tibi hæc primum timidi purgamina ponti
Spargitur & rapidis abſumitur arida flammis:
Sic mihi ſic, Mæon, uraris adusque medullas.
  Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Ter muſcum, Clearista, ter hunc ſine forcipe cancrum
Ure ſimul; cumque his, dic, viſcera Mæonis uro.
  Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Spongia nunc lachrymis perfunditur, heus bona magno
Spongia nata mari, lachrymas bibe ſedula noſtras
Utque rapis ſitiens illas, ſic Mæonis omnem
Mæonis ingrati rapias de pectore ſenſum.
  Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Ut pumex pingueſcit, ut æquoris unda quieſcit,
Quæ ventis agitata huc illuc concita fertur.
Sed quid ego heu triſti pectus concuſſa dolore
Imprecer, & vanis jactem convicia ventis?

Mæon

V. 32. *Volvite precipitem jam nunc, mea licia,* RHOMBUM] Quæ de rhombi uſu in ſacris magicis multa adferri poſſunt, jam collegerunt Torrentius ad v. 7. odæ ultimæ libri quinti, Horat. Raderus ad Martial. libr. 9. Epigr. 30. Paſſeratius ad Propert. lib. 2. El. 20.

Mæon tot mihi damna, ego Mæoni verba rependam?
  Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda,
Sæve trigon, & tu, proprium cui ſiſtere naveis
Veliferas echenæis, adeſte: & Mæonis acreis
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.
  Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Tunde jecur, ſpumamque ſimul torpedinis atræ.
Hæc ego cras illi lethalia pocula mittam:
Ebibat, & ſubito pallenteis torpeat artus.
  Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Scinde manu leporem; leporis penetrabile virus.
Naſcitur Eois hic fluctibus: adtulit Ægle,
Docta Ægle, juſſitque inimicum tangere limen.
Curre age, tange ſimul, ſimul obline. cras mihi pœnas
Perfidus ille dabit: gemet ipſo in limine Mæon.
  Siſtite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Contere & Halcyonis nidum mihi. Pellere ventos
Dicitur, & ſævas pelagi mulcere procellas.
Forſitan hic noſtros ſedabit pectoris æſtus.
  Siſtite præcipitem jam ſiſtite, licia, rhombum.
Hactenus ille. quid huic ſubjunxerit ordine Thelgon,
Accipe. non omneis unus dolor angit amanteis.
THEL. Rupe ſub hac mecum ſedit Galatea: videbam
Et Capreas, & quæ Sirenum nomina ſervant
Rura procul, veteres alia de parte ruinas
Herculis ambuſta ſignabat ab arce Veſevus.
  Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Ipſe meas, Triton, Nereo deferre querelas,
Ipſe potes curva reſonans ſuper æquora concha
Et ſcopulis narrare, & fluctivagis balænis.
  Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.
Hic primos mihi congreſſus dedit illa roganti:

Hic

Digitized by Google

Hic niveam formoſa manum porrexit, & (eheu,
Quid recolo?) tacitos in me deflexit ocellos.
  Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Huc ades o mea cura. quid o quid lenta moraris?
Ipſe ego te propter, ſocios, cymbamque reliqui.
  Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.
Hic tibi conſuetas formoſior explicat umbras
Populus. amplector ſæpe hanc, atque oſcula figo
Corticibus: ſæpe ipſa pedum veſtigia quæro:
Et ſiquid manibus tetigiſti, floribus orno.
  Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Quem mihi nunc præfers? ſi te juga frondea, ſi te
Arbuta, paſcenteſque juvant per rura capellæ:
Nos quoq; non gracileis nunc primum jungere avenas
Diſcimus. inciſas implent mea carmina fagos:
Et mea Mænaliis pendet jam fiſtula ſylvis.
  Exere cæruleos Triton pater exere vultus.
Sin magis adrident hæc littora, ſin magis alti
Divitiæ pelagi: ſparſos quis cogere piſceis
Doctior, aut rigidum dextra jactare tridentem?
  Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Non ego delphinis, te judice, non ego thynnis
Æquore vel medio dubitem certare natando.
Quid tibi me jactem? cui vix numerare vel hamos
Nunc vacat, aut reſtes, onerataque retia plumbo,
Et Sinueſſano textas de vimine naſſas.
  Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.
Me Ligurum duræ rupes, me Gallica norunt
                                        Littora:

V. 99. *Nos quoque non graciles nunc primum jungere avenas Diſcimus*, &c.] de ſe ipſo loquitur poëta, deque eclogis ſuis Italicis, quæ ſunt bucolicæ, has autem piſcatorias non obſcure præfert.

ſparſos quis cogere piſces Doctior, aut agilem dextra jactare tridentem.

Littora: piſcantem pariter me Varus, & ingens
Senſit Arar, ſenſere maris fera monſtra Britanni.
Obrue cæruleos, Triton, ſub gurgite vultus.
Et poſt hæc heu dura fugis. non te mihi tellus
Extera, non venti rapuere. ſed accipe munus,
Accipe. non ultra tecum, Galatea, ſedentem
Adſpicies. I, læta novas meditare choreas.
Obrue cæruleos, Triton pater, obrue vultus.

TRAJANO CABANILIO, TROJÆ *ac Montellæ Domino.*

SALICES.

Si vacat, & blandos etiamnum ventilat igneis
Quæ dea cærulea vehitur ſuper æquora concha,
Turrigeramque Paphon, ditemque Amathuntha tuetur:
Accipe flumineas properatum carmen ad undas,
O mihi non dubia Cabanili cognite fama,

Sed

Scripta videtur hæc Ecloga in gratiam Trajani Cabanilii, Trojæ ac Montellæ domini, qui carmen aliquod operoſius a poëta popoſcerat. vir fuit eruditus, & ſtrenuus, cuique magna cum Sannazario neceſſitudo interceſſit. inter poëtas numeratur lib. 1. El. 11.

Ipſe ſua referat Cabanilius ardua Troja
Mœnia, & antiquos, Appula regna, lares.

& iterum lib. 2. El. 2.

Ipſe autem haud dubitet Cabanilius acta referre
Vel ſua, vel magno juncta parentis avo.

Troja olim urbs Apuliæ Dauniæ, nunc Capitanatæ provinciæ, ad Chilarum fluvium, ad radices Apennini; hodie Principatus titulo inſignis, comitatus vero tempore Leandri Alberti, quem vide in deſcriptione Italiæ.

SALICES.] extat Dan. Cereti Salix. T. 1. Delic. Ital. carmen elegans, rotundum, Venuſtum. quod cum hac Sinceri ecloga compoſuiſſe non minimæ voluptati fuerit.

Digitized by Google

Sed longe varios rerum ſpectate per uſus
Nam tibi me doctæ ſic devinxere ſorores,
Sic mea felici permulcent pectora cura:
Ut vix ulla queam melioris tempora vitæ
Te ſine, vix placidos per noctem ducere ſomnos.
En agedum, Trajane, tuis hæc prævia juſſis
Tractanti, jam jamque animo majora paranti
Da veniam, & tenueis ne dedignare camœnas.
Forte inter virideis (ſi vera eſt fama) geniſtas
Capripedes Satyri, paſſimque agreſtia Panes
Numina cum Faunis, & montivagis Sylvanis,
Exercet dum Sol raucas per rura cicadas,
Vitabant æſtus, qua pinguia culta vadoſus
Irrigat, & placido curſu petit æquora Sarnus.
Grata quies nemorum manantibus undique rivis,
Et zephyris denſas inter crepitantibus alnos.
Dumque leveis aptant calamos, dum ſibila preſſis
Explorant digitis, tenuique foramina cera
Obducunt, vario modulantes carmina cantu:
Auricomæ viridi ſpeculantur ab ilice Nymphæ
Dulcia clariſonis ſolventes ora cachinnis:
Sed prope ferre pedem metuunt. nam ſæpe labores
Audierant, Penëi, tuos; & qualibus olim
Infelix eheu virgo Nonacria fatis,
Infelix virgo (quid enim non illa moveret?)
Pana metu fugiens e vertice Cyllenæo,
Pana deum Arcadiæ, quamvis pulcherrima, quamvis
Dianæ ſacros inter lectiſſima cœtus,
Nodoſa tenerum mutarit arundine pectus.

Quas

V. 18. ——— *qua pinguia culta vadoſus*
Irrigat, & placido curſu petit æquora

Sarnus.] De Sarno jam dictum ad Eclog. 4. v. 68.

Quas ſimul ac nemorum petulans, effrenaque pubes
Semiferi videre per herbida prata vagantes,
Occultamque imis flammam traxere medullis:
Sic timidas blandis hortantur vocibus ultro:
  Huc huc o teneræ, placidiſſima turba, puellæ:
Quid procul adſtatis? potius ſuccedite ripæ,
Et viridi in prato molleis de more choreas
Ducite: quandoquidem calamos inflamus inerteis:
Et fruſtra ad ſurdas jactamus carmina ſylvas.
Illæ nil contra: celeri ſed nuda parabant
Crura fugæ, tutoſque agitabant mente receptus,
Si qua forte viam per ſaxa irrumpere, & altis
Evaſiſſe jugis, deus, aut ſua fata dediſſent.
Tum juvenes, Proculo clamant, procul iſte, puellæ,
Sit timor: ignavas animo depellite curas.
Nullæ hic inſidiæ, nullas per aperta latebræ:
Cuncta patent: nullas abſcondunt hæc loca fraudeis.
Nos quoque non Lernæ monſtris, non igne Chimeræ,
Scyllæiſve lupis geniti, aut latrante Charybdi,
Qui veſtra immani laceremus viſcera morſu;
Sed divûm genus, & qui ſemper rupibus altis
Vobiſcum crebris venatibus inſultemus.
His dictis permulſi animi, ſecuraque triſtem
Corda metum ejiciunt: greſſuque per uda citato
Prata, deis tandem cupidis, ripæque propinquant.
Tum manibus ſimul implicitis per gramina feſtas
Exercent choreas: alioſque, alioſque reflexus
Inter ſe lætæ repetunt: nunc corpora librant
In ſaltus: nunc molle latus, nunc candida jactant
Brachia: & alterna quatiunt veſtigia planta.
Hic Satyri, quanquam voces audire canentum
Crudeles, quanquam niveas ſpectare papillas
Exſultant, oculiſque bibunt ſitientibus ignem:
Tanta

Digitized by Google

Tanta tamen ſævi gliſcit vis effera morbi
Pectoribus, præcepſque amor, & maleſana libido:
Ut calamis ſenſim ejectis, ruptoque repente
Fœdere, ſurgentes ab humo, vento ocyus omnes
Exſiliant: ſpretaque deûm pietate, fideque
Ah pavidas Nymphas, ſubitoque horrore rigenteis
Invadant avidi, ſævorum more luporum,
Qui lætas mediis proturbant luſibus agnas,
Oblitaſque ſui paſſim rapiuntque, trahuntque,
Dum viridi in campo curſant, aut valle ſub alta,
Et cuſtos ignarus abeſt, & amica canum vis.
Sic illi. at miſeræ diſciſſo pectore Nymphæ
Frondiferam mœſtis ſylvam clamoribus implent:
Atque huc, atque illuc fugiunt. non ſaxa, neque altis
Tuta putant loca ſenta rubis. hinc ardua montis
Prærupti juga, diffuſos hinc ſtagna per agros
Adtonitæ circumſpiciunt. via nulla ſalutis:
Et jam ſpes prærepta fugæ: tum denique ad undas
Conſiſtunt trepidæ, flavoſque a vertice crineis
Cum lachrymis, gemituque, & flebilibus lamentis
Abſcindunt, Sarnumque vocant, liquidaſque ſorores:
Dumque vocant, fundo properat chorus omnis ab imo
Naïadum, properat vitreæ rex cærulus undæ
Sarnus, inexhauſtumque vadis ciet agmen aquarum,
Rauca ſonans. ſed quid Sarnusve, aut illa natantum
Agmina Naïadum poſſint, ubi ferrea contra
Stant fata, & duro leges adamante rigeſcunt?
Ergo defectæ cura, auxilioque deorum;
Ac cœlum pariter Nymphæ, lucemque peroſæ,
Unum illud, rebus tandem quod reſtat in arctis,
Finem optant. jamque in fluvium ſe mergere adortæ
Membra reclinabant, & aquas prono ore petebant:
Cum ſubito obriguere pedes: lateque per imos

Exſpatiata ungueis radix, fugientia tardat,
Adfigitque ſolo veſtigia. tum vagus ipſis
Spiritus emoritur venis: indignaque pallor
Occupat ora: tegit trepidantia pectora cortex.
Nec mora: pro digitis ramos exire videres,
Aurataſque comas glauca caneſcere fronde:
Et jam vitalis nuſquam calor: ipſaque cedunt
Viſcera paulatim venienti frigida ligno.
Sed quamvis totos duratæ corporis artus,
Caudicibuſque latus, virgultiſque undique ſeptæ,
Ac penitus Salices: ſenſus tamen unicus illis,
Sylvicolas vitare deos, & margine ripæ
Hærentes, medio procumbere fluminis alveo.

F I N I S.

FRAG-

Digitized by Google

FRAGMENTUM EJUSDEM AUTORIS.

Optatos jam, Euplea, mihi circumſpice portus;
Quo liceat trepidas piſcanti includere prædas,
Et zephyris relevare graves ſpirantibus æſtus,
Si qua movet cupidam velocis gratia cymbæ.
Tuque ades o noſtri merces non parva laboris,
Quem Phœbus mihi, quem doctæ, mea turba, puellæ
Conciliant, dumque ipſe ratem de littore pello,
Da vela inſinuans pelagoque excurre patenti,
Pars animæ, Puderice, meæ. te nam ſua Nereus
Per vada, te medio Doris vocat æmula fluctu,
Dum late horriſonum campus ſtrepit omnis aquarum.
Lucrinæ ad Veneris templum convenerat omnis
Ænariæ, Prochytæque manus: Zephyræus opaca
Scilicet Ænaria, Prochyta venit Euthycus alta,
Inſignes ambo calamis, & verſibus ambo,
Aptus uterque fretis, piſcatibus aptus uterque,
Ille hamos verſare, hic retia ſolvere in æquor.
Tum prior hæc Zephyræus: Adeſte o littore ab omni,
Piſcatorum artes, liquidas exquirite ſedes,

V. 1. *Optatos jam* EUPLEA, &c.] adi notas ad Eclog. 2. v. 32.

V. 9. *Pars animæ* PUDERICE *meæ.*] Franciſcus e nobilitate Neapolitana, Errici F. cui Errico epitaphium ſtatuit Pontanus lib. 1. Tumulorum. noſter l. 2. El. 2.

Adde tuos, Puderice, ſales, adde inclita patris
Eloquia, adde animo tot bona parta tuo.

Franciſco illi Puderico & Triſtano Caracciolo quinque ſuos de Prudentia libros dedicavit Pontanus, & plus uno loco Franciſcum celebrat in Poëmatis, ut Tumulor. lib. 1. Bajarum lib. 2. Eridani lib. 2. &c. eidem quoque librum quartum inſcripſit de Rebus Cœleſtibus. Erycii Puderici Epitaphium legitur apud Swertium Delic. Orb. Chriſt. p. 106.

Digitized by Google

Vertite Tritonum latebras, penetrate receſſus
Nereïdum: nunquam noſtros ſedabitis ignes:
Nunquam me Pholoë, nunquam me Chloris amabit.
Ede tuos mecum tandem, cava buccina, cantus.
Teſtis Cymothoë, teſtis mihi candida Chlotho,
Optavi quoties mediis in fluctibus ægram
Projicere hanc animam, quoties ego gurgite in alto
Occurri monſtris immanibus, horrida cete
Ut ſaltem miſeros lacerarent dentibus artus.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.
Omnia tentavi, terras, mare, nubila, cœlum,
Ventorumque domos, & tempora quattuor anni:
Omnia ſed nocuere ſimul. vos ite puellæ,
Ite Deæ pelagi, furiis arceſſite noſtris
Nunc alios ſuccos, aliaſque Melampodis herbas.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.
Non magicos verſus, ignotaque nomina rerum,
Diſſimileſque Deos, Erebumque, Chaoſque refugi.
Ipſos quin etiam filo convolvere rhombos
Edidici, parteiſque meas de littore echinos,
De ſcopulis muſcum, de fluctibus hauſimus undam.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.

V. 34. *Aliaſque* MELAMPODIS *herbas.*] Inſignis locus. is Melampus dicitur primus rationem potionandi & expurgandi inveniſſe, Proetique filias furentes ſanaſſe. vide Apollodorum Biblioth. l. 2. c. 1. Politian. Miſcell. cap. 50. Servium ad Virgil. Georg. l. 3. v. 550. Beroaldum T. 1. Theſ. Critici p. 233. interpretem Statii veterem ad L. 3. Theb. v. 453. Muretum ad Propert. lib. 2. Eleg. 3. p. 186. imprimis Barthium ad Statium T. 2. p. 834. Vitruvium l. 8. c. 3. extremo. Servium ad VI. Ecl. 48. ad II. Georg. 549. Apollodorus Biblioth. 1, 9, 11. deinde 2, 2, 2. Braſſicanus in Politiani Nutric. v. 235. p. 45. Paſſeratius in Tibull. p. 112. B. a. in Propert. p. 461.

ACT II

ACTII SYNCERI SANNAZARII ELEGIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII
NEAPOLITANI
ELEGIARUM.
LIBER I.
I.
AD LUCIUM CRASSUM.

Te fœcunda tenent ſaxoſi rura Petrini,
Rura olim proavis facta ſuperba meis.
Et Sinueſſanas ſpectas, mea gaudia, nymphas,
Quique novo ſemper ſulfure fumat ager.
Et modo miraris veteres in littore portus,
Nunc, Liris gelida qua fluit amnis aqua.

Ad LUCIUM CRASSUM.] Fuit Lucius Craſſus præceptor noſtri poëtæ, poëta & ipſe, patria Neapolitanus. Pontanus, in dialogo cui Aſino nomen, ita Sannazarium inducit loquentem, cum Joanne Pardo & Gabriele Altilio: ACTIUS: *Clivum hunc Muſarum eſſe volebat noſter Craſſus, imo, pace veſtra dixerim, meus: is enim me inſtituit, is me ſtudiis his dedicavit, illi debentur quæ in me inſunt, ſi quæ laude digna inſunt, omnia,* &c. meminit quoque ejus noſter lib. 2. El. 2.

Craſſus at æterno frondis redimitus honore
Solvat Pieriis ora rigata modis.

mortuo hoc epitaphium poſuit Marullus L. 1. Epigr. 57.

Luſtrabas, dum vita fuit, vagus advena terras;
Scilicet antiquæ, Craſſe, memor patriæ.
Nunc functus vitaque hominumque laboribus agris,
Protinus in veram rurſus abis patriam.

V. 1. *Te fœcunda tenent ſaxoſi rura* PETRINI] Petrinum, *Rocca di monte Dragone*, oppidum eſt Campaniæ cum arce, apud Sinueſſam urbem exciſam. Horatius lib. 1. Epiſt. 5.

Vina bibes iterum Tauro diffuſa, paluſtres
Inter Minturnas Sinueſſanumque Petrinum.

de Sinueſſa dictum ad Eclog. 3. v. 86.

V. 6. LIRIS.] hodie *Garigliano*, Latium à Samnio & Campania ſeparat; ſupra Soram, apud Atinam oritur, & ad Minturnum urbem exciſam in mare Tyrrhenum inter Formias & Sinueſſam deſinit. videndus Leander Albertus. Cicero VI. ad Famil 19. Porphyrio in Horat. L. 1. Epiſt. 5. v. 5. 2. quod autem addit poëta de proavorum ſuorum regnis, commodius explicabitur ad Eleg. 2. L. 2.

Digitized by Google

Cunctaque felici figis veſtigia cura,
  Obſervas Latiæ dum monumenta viæ.
At mihi paganæ dictant ſylveſtria Muſæ
  Carmina, quæ tenui gutture cantat Amor.
Fidaque ſecretis reſpondet ſylva querelis:
  Et percuſſa meis vocibus antra ſonant.
Nec tantum populos, nec tantum horreſcimus urbeis,
  Quantum non juſtæ ſævitiam dominæ.
Hoc vitæ genus, hoc ſtudium mihi fata miniſtrant:
  Hinc opto cineres nomen habere meos.
Me probet umbroſis paſtorum turba ſub antris,
  Dum rogat agreſtem lacte tepente Palem.
Me rudis indocta moduletur arundine Thyrſis:
  Et tam conſtanti laudet amaſſe fide.
Inde ſuper tumulumque meum, maneiſque ſepultos
  Tityrus ex hedera ſerta virente ferat.
Hic mihi ſaltabit Corydon, & pulcher Alexis:
  Damœtas flores ſparget utraque manu:
Fluminibuſque ſacris umbras inducet Iolas,
  Dum coget ſaturas Alpheſibœus oveis.
Non mihi Mæoniden, Luci, non cura Maronem
  Vincere: ſi fiam notus amore, ſat eſt.
Quid feret Æacides nobis, quid cautus Ulyſſes?
  Quid pius Æneas, Aſcaniuſve puer?
Iſta canant alii, quorum ſtipata triumphis
  Muſa vagum e tumulis nomen in aſtra ferat.
At mihi tete avidis liceat vincire lacertis,
  Oſculaque optata ſumere longa mora.
Et liceat poſita mirari membra lucerna,
  Noctis & inſolitas nectere blanditias:
Atque manus, atque ora tuis componere in ulnis,
  Teque meo laſſam ſæpe fovere ſinu.
Sed quid ego, hei miſero, ventoſus inania fingo

Somnia,

Somnia, quæ forſan non feret ulla dies?
Felix, qui potuit duram exorare puellam,
Et capere optati gaudia conjugii.
Ille dies, nocteſque ſuos decantat amores,
Et recolit Veneris dulcia furta ſuæ.
Ille etiam liquido perfuſus odore capillos,
Exercet tenerum nocte juvante latus:
Inque ſinu Dominæ primos reminiſcitur igneis,
Quos leviter pennis aureus afflat Amor.
Nec cupit, Æthiopum quæ canent vellera ſylvis,
Nec, quæ *Sidonio* lana cruore rubet.
Solus habet, fuſcis quicquid portatur ab Indis:
Solus habet ripas, aurifer Herme, tuas,
Et quaſcumque metit ſegetes fragrantibus arvis
Medus, & aſſiduo ſole peruſtus Arabs.
Non auro, aut gemmis miſeri torquemur amantes.
Qui dominam poterit flectere, dives erit.
Dives ero ante alios, ſi te mea vita volentem
Suſtineam ignota pauper, & exul humo.
Nam quid rubra juvant fulgentibus æquora conchis?
Aut quæ multa niger rura Sabæus arat?
Quidve torus prodeſt, pluma ſpectandus, & oſtro,
Si non eſt gremio chara puella meo?
Si trahere infelix inter ſuſpiria noctem
Cogor, & æternos eſſe, negare, *Deos*?
Num me neglectis devovit ſaga ſepulchris?
Num rumpunt ſomnos carmen, & herba meos?
Carmen inacceſſa traducit ab ilice glandeis.
Carmen nocturnæ ſupprimit ora canis.
Carmen & informi pallentem ſanguine Solem
Inficit, & Lunæ ſiſtit euntis equos.
Quid queror infelix? utinam mihi ſola nocerent
Carmina, nec noſtro pectore ineſſet Amor.

Digitized by Google

Ille vel Æææ ſuperat cantamina Circes,
Ille vel Æmoniis nata venena jugis.
Parce puer: non vana queror: tu vulnere noſtro
Creſcis, & exſultas, ſæve, cruore meo.
Quod ſi te noſtræ ceperunt tædia vitæ:
Ne ceſſet, quæſo, funeris atra dies.

II.

AD JOANNEM PARDUM HISPANUM.

Parde decus patriæ, ſpes maxima Parde tuorum,
Atque idem Hiſpani gloria rara ſoli:
Quem juvat immenſi cauſas exquirere mundi,
Primaque conſtanti corpora juncta fide:
An magnum æterno volvatur numine cœlum:
An propria hoc ingens mole laboret opus:
Cur ſalſi fluctus: cur ignibus æſtuet Ætna:
Cur vomat epotas vaſta Charybdis aquas:
Unde nitor ſtellis: cur nox majorve, minorve:
Cur

V. 1. PARDE *decus patriæ.*] Joannes Pardus, Hiſpanus, inſignis ea tempeſtate philoſophus, Pontano Actioque noſtro familiariſſimus. in ſcripſit illi Pontanus librum ſuum de *Conviventia*, ac librum tertium de *Rebus Cœleſtibus*, plurimuſque eſt in ejus commemoratione ac laudibus. Carminum illius haud multæ apparent reliquiæ. elegidion unum extat ad Sannazarium, cujus initium, *Acti, cui ſimplex peperit facundia nomen.* apud Pontanum ſecundo Bajarum libro Hendecaſyllabus eſt,

Pontane optime, ſemper haud vocati
Cui Dii comiter adſident Deæque.

itemque alter in fronte tomi primi operum Pontani non contemnendus. utrum plura ediderit, (plura enim ſcripſiſſe conſtat) haud liquet mihi. meminit ejus noſter iterum libri hujus Elegia undecima, Pontanus lib. 2. Bajar. & lib. 1. Eridani.

Digitized by Google

Cur non ipſa ſuo lumine Luna micet.
Felix, cœleſteis cui fas nunc ſcandere ſedes:
In queis poſt obitum fata manere ſinant.
At nos per ſylvas, & ſordida rura capellas
Verſamus: quando Phyllis amare jubet.
Et teneris noſtros ulmis incidimus igneis,
Quos legat errantum cœtus Hamadryadum.
Et nunc capreolos: & nunc venamur onagros:
Interdum ſævas fallimus arte feras.
Sæpe juvat pictas viſco captare volucres:
Nec Satyris ipſo cedimus aucupio.

Quod

V. 13. *At nos per ſylvas & ſordida rura capellas* VERSAMUS.] imitatio Virgiliana ex decima Ecloga,

Nec ſi, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Æthiopum verſemus oves ſub ſidere Cancri.

in quibus verſibus non probabat Sept. Florens Chriſtianus τὸ *verſemus oves*, legebatque *ſervemus*, non inepta trajectione. atqui ſi prava eſt recepta lectio, mendum eſſe antiquiſſimum oportet. ita enim ibi Servius: *Verſemus. Paſcamus, quoniam qui paſcit huc & illuc agit pecus, quod eſt verſare, ut eſt in Æneide, Tu currum deſerto in gramine verſas.* ubi iterum Servius. apud Ovidium locus eſt non diſſimilis, lib. 2. Artis amatoriæ.

Hic tibi ſervandus tenor eſt, cum libera dantur
Otia.

ſed & ibi *verſandus* legi in optimis membranis & editione principe fidejuſſor eſt Nic. Heinſius.

V. 20. *Nec Satyris ipſo cedimus aucupio.*] Satyros eſſe aucupes haud temere alibi invenias. finxit tamen id erudite poëta noſter. nam cum Satyri inter Deos paſtorales cenſeantur, eorumque omnium præſes & caput ſit Pan, venator atque auceps, non immerito & illi huic ſtudio dediti creduntur. Propertius l. 3. El. 11.

Diique Deæque omnes, quibus eſt tutela per agros,
Præbebant verſis verba ſecunda focis.
Et lepôrem, quicunque venis, venaberis hoſpes,
Et ſi forte meo tramite quæris avem:
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo præmia, ſive cane.

idem de Vertumno l. 4. El. 2.

Caſſibus impoſitis venor; ſed arundine ſumta
Faunus plumoſo ſum Deus aucupio

Ovidius Epiſt. Phædræ, quamquam ibi de venatu ſermo eſt,

Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes:
Et cadat adverſa cuſpide foſſus aper.

atque hæc de Satyrorum aucupio ac venatu,

Quod mihi ſi liceat tenui revocare cicuta
Trinacrii niveas Upilionis oveis :
Rura colam ſemper: populi valeatis, & urbes:
Rura dabunt oculis grata theatra meis.
Illic gramineas, paſtorum bella, palæſtras
Adſpiciam, & celeri præmia parta pede.
Nec me pœniteat ſudibus certare colurnis,
Aut armare cavis pectora corticibus.
Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci:
Victores molli ceſpite ſerta ferent.
Plenaque pellitus luſtrabit ovilia paſtor:
Ponet & agricolis ruſtica liba Deus.
Stabunt capripedes abiegno robore Fauni:
Stabit & indocta falce dolata Pales.
Quorum ſolenneis ictus cadet agnus ad aras,
Ictus ut innumeras expiet agnus oveis.
Tum milium, & niveo ſtatuet fumantia lacte
Pocula, votivas concipietque preces:
Et ter tranſiliet flammanteis potus ariſtas,
Ter quoque non tardo ruſtica turba pede.
Dii facite, inter oveis, interque armenta canendo
Deficiam, & ſylvis me premat atra dies:
Ut me non docta deploret paſtor avena:
Utque ſub umbroſa contumuler platano.
Oſſaque paſcentes venerentur noſtra capellæ:
Nec

venatu. quæ de Satyris in genere confinxerunt antiqui, prorſus ſunt mirifica. vide Pauſaniam in Atticis, Pompon. Melam l. 1. c. 4. 8. & l. 3. c. 9. Plinium l. 7. c. 2. Lud. Cælium l. 19. c. 25. Natal. Comitem Mythol. l. 5. c 7. Nic. Leonicum Thomæum l. 2. de Varia hiſtoria, c. 24. Balth. Bonifacium l. 7. Hiſtor. ludicræ c. 16. 17. 18. & Nic. Tulpium, nuper hujus urbis noſtræ Conſulem, in Obſervationibus medicis. & Camerarium Medit. Hiſtor. Cent. 1. c. 71. v. Aelianus L. 3. V. H. cap. 40. Lambinus ad Horat. L. 2. Od. 19. v. 4. Caſaubonus L. 1. de Satyr. Poëſi cap. 2. p. 34. Mela III. §. 45. Delrius Comm. in Senec. Oedip. v. 429. p. 109.

Nec procul a tumulo candida balet ovis.
Exſultent alii Panchæo munere manes,
Et quærant Pariis marmora cæſa jugis.
Mi ſat erit, veteres recolat ſi Phyllis amores,
Conſerat & vernas ante ſepulchra roſas.

III.

AD AMICAM.

Nulla meos poterit mulier prævertere ſenſus,
Ipſa licet cœlum linquat, & aſtra Venus.
Tu puero teneris ignis mihi primus ab annis:
Ultima tu tremulo flamma futura ſeni.
Jam ſanxere ſemel nos inter fœdera divi,
Fœdera ad extremos non ſolüenda rogos:
Ut ſi noſtra tuo ſupereſſet funere vita,
(Dii tamen in ventos omen abire ſinant)
Ipſe ego compoſito venerarer operta ſepulchro
Oſſa, ferens mœſta thura, merumque manu.
Umbrarumque ſacer cuſtos, tumulique ſacerdos
Concinerem querula triſtia verba lyra.
Nec me complexa quiſquam divelleret urna,
Quin cineri moriens oſcula ſumma darem.
At ſi (quod potius cupio) tibi fata dediſſent,
Lumina formoſa condere noſtra manu:
Tunc, mihi cum charos vultus ſpectare liceret,
Atque anima tecum jam fugiente loqui:
Ipſa meos tumulo manes laniata vocares,
Inque tuo legeres oſſa minuta ſinu:
Flebilis & longos ſcindens ad buſta capillos,
Clamares nomen jam moritura meum.
Tum cineri, & mutæ perſolvens juſta favillæ,

Digitized by Google

Miſta dares rutilis lilia cana roſis.
Illic mœſta dies, illic conſumere nocteis
Optares, nec te vinceret alter Amor:
Sed memor uſque viri, canis veneranda capillis,
Adferres tremula munera chara manu.
O mihi, dum tales tumulo reddantur honores,
Tam lentam Lacheſis ſcindat avara colum.
Non, ut noſtra novos Arabum bibat urna liquores,
Uſtus & Aſſyrio ſpiret odore cinis:
Aut ut clara mei noteſcat fama ſepulchri,
Altaque marmoreus ſydera tangat apex:
Sed magis ut liceat longas audire querelas,
Et gerere e lachrymis ſerta rigata tuis.
Tunc ego Lethææ ſpatiatus in aggere ripæ,
Qua nitet obtuſo lumine falſa dies,
Quaque levis Caſiæ nemus, Ambroſiæque virentis,
Et fortunatos abluit unda greges:
Dulcia præteritæ repetens inſomnia vitæ,
Oſtendam Elyſiis tot mea dona choris.
Feliceſque animas inter felicior ipſe
Excipiam plauſus lata per arva novos.
Atque aliquis comitum, lætuſque hilariſque recenteis
Spar-

V. 38. *Qua nitet obtuſo lumine* FALSA DIES.] Locus e Papinio expreſſus L. 5. Silv. 3.

Ite pii Manes, Grajumque examina vatum,
Illuſtremque animam Lethæis ſpargite ſertis,
Et monſtrate nemus, quo nulla irrumpit Erynnis
In quo falſa dies Cœloque ſimillimus aër.

quamquam ibi Barthius reponit *in quo haud falſa dies* T. 1. p. 495. non perſuadet. vide Servium ad. VI. Aen. 270. 363. 640. tamen Barthii conjecturam ſubfulcit Valerius Flaccus. L. 844.

Donec ſilvas & amœna piorum
Deveniant, campoſque, ubi ſol, totumque per annum
Durat aprica dies thiaſique, chorique virorum,
Carminaque, & quorum populis jam nulla cupido.

V. 39. LEVIS *Caſiæ.*] odoratæ Salluſtius apud Junium Philagyrium ad IV. Georg. 49. *apud Corduenos amomum atque alii leves odores gignuntur.*

Sparget humi flores, & mihi ſerta feret.
Nec contentus eo, fidos extollet amores,
Narrabitque aliis de pietate tua.
Sed quoniam teneræ vernant nunc læta juventæ
Tempora, & amplexus jungere fata ſinunt:
Dulcia laſcivo jungamus gaudia lecto:
Jam properat mortis panda ſenecta comes.
Jam properant rugæque graves, & ſerior ætas:
Nec dabitur molli ludere poſſe toro.
Interea cupidis nectamus colla lacertis:
Ultima jam ſolvet, cum volet, hora duos.
Dii facite, hæc longos maneat ſpes certa per annos:
Candidus & pennis omina firmet Amor.

IV.

AD

LUCINAM, PARTURIENTE CORNELIA PICCOLOMINEA, ANTONII GARLONII ALLIFARUM DOMINI CONJUGE.

Affer opem teneræ tandem Lucina puellæ:
Auxilio, digna eſt, quam tueare tuo.

Te

Antonii Garlonii, Allifarum domini, inter ſui ævi poëtas meminit noſter l. 2. Eleg. 2.

Tuquoque, quem juvenem veneror, dulciſſime Garlon,
Incipe jam docta plectra movere manu:
Allifaſque tuas mihi concine.

lib. 3. Epigr. odarium eſt elegans, quod videtur ad Antonii ſororem ſcriptum. *Allipha* (ita Strabo) urbs fuit Epiſcopalis in Samnio, ſub Archiepiſcopo Beneventano, ad Vulturnum fluvium, in planitie. *Aliſe* nunc in ruinis jacet. Horat. L. II. Sat. 8.

Invertunt Allifanis vinaria tota.

ibi antiquus Cruquii interpres: *calicibus & poculis majoribus.* *eſt autem Allifa-*

Te vocat, & madidis ſolam ſuſpirat ocellis,
  Et roſeo tacitas fundit ab ore preces.
Illa quidem inſueto languet male firma dolore,
  Vixque poteſt longæ tot mala ferre moræ.
At tu Diva veni, tecumque unguenta repoſtæ
  Pixidis, &, ſiqua eſt quæ juvet herba, feras.
Sic flentis miſeros juvenis compeſcere queſtus,
  Sic una poteris ſorte levare duos.
Lucis adeſt Dea magna: metum jam comprime, Garlon:
  Non fruſtra eſt lachrymis illa vocata tuis.
Da coſtum, myrrhamque focis, quæque orbe remoto
  Cinnama per rubras navita vectat aquas.
Ipſe Deam venerare, ſacras projectus ad aras,
  Et genio annoſum ſæpe refunde merum.
Sed trepidi ceſſere metus, ceſſere querelæ:
  Jam parit adventu tacta puella Deæ:
Jam puerum eſt enixa: vides, ut lumine matrem
  Exprimat? en, tenero quantus in ore decor.
Salve parve puer, cui jam felicia rident
  Sæcula; cui pharetram ſponte remittit Amor.
Nam ſive auratis humeros armare ſagittis,
  Seu juvet accenſas ſollicitare faces,
Seu potius jactare leves pueriliter alas,
  Et dare neglectas poſt tua terga comas:
Quis te non Paphiis eductum vallibus, aut quis
  Idaliæ puerum non putet eſſe Deæ?
Vive precor, blandumque oculis ridere parenti
  Aſſueſce, & dulces diſce movere jocos.

AD

Alliſanum dictum ab Alliſe oppido Samnii, ubi majores calices fiebant. alii volunt fuiſſe vicum Campaniæ, ubi fictiles & latiores calices fiebant. vide Leandr. Albertum in deſcriptione Campaniæ Felicis. Ei Garlonio Sannazarii opera Latina a ſe evulgata elegante epiſtola dedicavit Paulus Manutius, quam ego huic noſtræ editioni præfigi juſſi. Videndus Jac. Nicolaus Loenſis L. 7. Epiphyll. Miſcell. c. 6. Alliſanus ſcribitur in Cicerone Orat. pro Plancio. c. 9.

V.

AD JULIUM SENENSEM, EXULEM.

Cum mihi languentes dolor oppugnaret ocellos,
Cogeret & triſti ſolvere verba ſono:
Ingratos inter gemitus, mœſtaſque querelas
Allata eſt manibus littera miſſa tuis.
Inſpexi, agnovique tuas, mea numina, Muſas,
Pierioſque hauſtus, Caſtaliumque decus.
Poſcis, ut iratum placent mea carmina Phœbum,
Et flectant duras ad tua vota Deas.
Non hoc ingenium, non hæc facundia noſtra eſt:
I, precor, atque alio flumine pelle ſitim.
Ille mihi facileis jampridem denegat aures,
Et vetat argutæ tangere fila lyræ.
Nec mihi jam ſolito latices de fonte miniſtrat,
Nec docet optatos Calliopea choros.
Quid petis extinctam dilapſo a torre favillam?
Quid miſer a noſtro vulnere quæris opem?
Jam tibi felici decurrunt carmina vena,
Et rapit ad patrium te tua Muſa decus.
Ipſa mihi viſa eſt, te lamentante, Thalia
Ingemere, & triſti Delius ore queri:
Qualis Strimonias olim cum fleret ad undas
Orpheus indignis vocibus Eurydicen:
Qui cantu Iſmarii gelidis in rupibus Hæmi
Adtonuit quercus, adtonuitque feras:
Saxaque Biſtoniis deduxit montibus: & te
Currentem aſtrictis, Hebre, repreſſit aquis.

Scilicet egregios ſemper Fortuna poëtas
 Tanget, & ancipiti deprimet uſque rota?
Neve ſit extremos tantum ſubmotus ad axeis
 Ille, Tomitana qui jacet exul humo:
Te quoque nunc rigidi premit inclementia fati,
 Longius & patria cogit abeſſe domo.
Sed niſi per magnos quæratur fama labores,
 Omnis in ardenteis eſt abitura rogos.
Sic pius Æneas,* ſic ſtirps Laërtis Ulyſſes
 Majus poſt cineres emeruere decus.
Sic quoque ſublatis Tirynthius undique monſtris
 Viſit ab Oetæa regna paterna pyra.
Et te (crede mihi) tot ſæva incommoda paſſum
 Virtus ſublimi ducet in aſtra via.

VI.

IN FUNERE SARRI BRANCATII LUCRETIA UXOR.

Ergo importunæ ruperunt ſtamina Parcæ,
 Stamina lanifica tam bene ducta colo?
Ergo ego, quæ fueram tali modo nupta marito,
 Frigida nunc triſti conqueror in thalamo?
Quique his dignus erat vitam exhalaſſe labellis,
 Occidit externis advena littoribus?
Felices nimium, fortunatæque ſorores,
 Quæ datis æternis thura Sabæa focis.
O utinam nunquam amplexus, nunquam oſcula noſſem:
 Eſſem pars veſtri nempe ego parva chori.
Chare vir, audaci nimium confiſe juventa,

Et

V. 7. *Felices.*] confer elegantem locum Statii L. 3. Theb. v. 157.

Digitized by Google

Et nimium lachrymis umbra gemenda meis:
Quis te tam denſos immittere corpus in hoſtes
Juſſit? an ad pugnam non ſatis unus erat?
Me miſeram, non ulla tuæ te cura puellæ,
Non ſubiit mœſtæ certa ruina domus.
Tu mihi per ſanctos ſolitus jurare hymenæos,
Per non lædendi fœdera conjugii,
Te non immemorem charæ fore conjugis unquam,
Etſi Lethæus tingeret ora liquor.
Quin ipſa admonui, ne ſic violentus in arma
Irrueres: eheu quo violente ruis?
Quo raperis? quo jam noſtri tibi cura receſſit?
An potes uxoris non meminiſſe tuæ?
Vix equidem credo, quamvis heu credere cogar,
Tam cito pectoribus me cecidiſſe tuis.
Sed cecidi, ſic ſors tulit impia, nullaque pro me
Vota ſalutareis demeruere Deos.
Hectora ſic conjux, ſic conjux flevit Achillem,
Sic miſera extinctum Laodomia virum.
Nunc mea virginitas, quando inlibata remanſit,
Servetur cineri non violanda tuo.

VII.

AD DIVUM JACOBUM PICENUM.

Sancte ſenex, quem nec ſceleris contagia noſtri,
Nec peſſum vitiis ſæcla dedere ſuis,
Æquaſti magnos qui paupertate triumphos,
Tantus amor niveæ ſimplicitatis erat.
Sylva tibi ſedes, viridique e ceſpite lectus;
Explebant menſas amnis, & herba tuas.

Digitized by Google

Talis erat priſcis victus mortalibus olim;
Sed priſcis tantum vivere cura fuit.
At te diverſos naturæ expendere caſus
Juvit, & inſtanteis divûm aperire metus:
Submotumque oculis animo percurrere cœlum:
Quàſque tenes ſedes, mente adiiſſe prius.
Noſcere præterea cunctarum exordia rerum:
Quod vix humanæ conditionis erat.
Magnum opus, ut prima ſurgentis origine mundi,
Omnia ſint ſenis edita luciferis:
Utque pater ſancta demum ceſſare quiete
Perfecto artifices juſſerit orbe manus.
His addis cultuſque pios, rituſque verendos,
Cunctaque legifero tradita ſacra duci:
Quæque ſuis caſtæ ſæclis cecinere Sibyllæ:
Quæque ſacer vatum ſpiritus ore refert:
Sydereos partus, demiſſaque pignora cœlo,
Atque inopes cunas, ſtramineumque torum:
Speratumque diu terris, cœloque probatum
Verum hominem, verum mente, animoque Deum.
Hinc & ſupplicium infandum, atque opprobria mortis.
Claraque de Stygia ducta tropæa domo:
Denique ut ad patrem populo ſpectante ſuorum
Ceſſerit, igniferis præſideatque locis:
Quantaque nos maneant promiſſæ gaudia vitæ:
Quantaque venturæ gloria lucis erit.
Miremur, tibi ſi placidi penetrale Tonantis,
Et patet immenſi regia clara poli:
Cum tantum his ſuperas meritis ſit ſcandere in arces,
Qua plaga ſecurum lactea monſtrat iter?
Scilicet inde datur terras ſpectare jacenteis,
Et circumfuſi brachia curva maris,
Solis & ardentes radios, lunæque recurſus:

Quali-

Digitized by Google

Qualiter & pacta ſtent elementa fide:
Nec minus æternis niteant ut ſydera flammis:
Et peragant varias noxque, dieſque vices.
Felix, qui noſtras potuiſti linquere curas,
Et procul humanas deſpicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem,
Quæque tibi gratos præbuit herba toros:
Quæque arbor, rupeſve ſacra te fovit in umbra:
Et quæ nunc manes continet urna tuos.
Nam licet incultis fuerit tibi vita ſub antris,
Nunc pedibus data ſunt aſtra terenda tuis.
Attamen o dic ſancte pater, dic addite cœlo
Gloria, dic patriæ fama, decuſque tuæ:
Ecquid te ſolitis mulcet ſapientia chartis,
Mollis ubi Elyſium concitat aura nemus?
An juvat aurata meditantem carmina canna,
Nectere purpurea tempora cana roſa?
An mage virgineis ſedet invigilare choreis:
Cum deceat cœlo, quicquid in orbe libet?
An potius, toto ſuperûm ſpectante ſenatu,
Diluis æthereo crimina noſtra foro?
Denique quicquid agis, nitidi novus incola cœli,
Pectoribus noſtris non leve numen eris.

Digitized by Google

VIII.

AD PETRUM DE ROCCAFORTI,

MAXIMUM REGIS GALLIARUM CANCELLARIUM.

Quod pectus tibi forte, quod ardua pectoris arx eſt,
 Quod forti dignum pectore nomen habes:
Quod leges ſua jura tenent te vindice, quodque
 Omnia virtuti pervia facta tuæ:
Autumni ſedem, chelaſque Aſtræa reliqui,
 Advenique tuos, noſter alumne, lares.
In cunis ego te, ſi neſcis, ſedula fovi:
 Reptaſti gremio ſarcina grata meo.
Ipſa tuos finxi mores, animumque, manuſque:
 Ingeniumque ſagax, judiciumque dedi.
Hinc noſtri cultuſque frequens, optandaque rerum
 Cognitio, hinc fidei nomina tanta tuæ.
Ad te igitur duplices ſubnixo poplite palmas
 Inſuetis tendo ſollicitata malis.
Ne patiare meas Latio langueſcere vires:
 Pendet ab auxilio ſpes mea tota tuo.
Deprimor audaceis inter deriſa miniſtros:
 Nec fas ingenuum tollere ad aſtra caput.

Quod

Eleganti inventione ipſam juſtitiam poëta inducit querentem de tyrannide Gallorum in regno Neapolitano. reverſo enim domum Rege Carolo VIII. poſt ſubactum intra unum menſem regnum univerſum, omnia illic in pejus ruere; avaritia magnatum, crudelitate, libidine omnia miſceri; neque ſacra in tuto eſſe, neque profana. nihil autem hic poëtice fingi, præter perſonam Aſtreæ, teſtes ſunt locupletes ipſi ſcriptores Galli, qui illorum temporum hiſtoriam literis conſignarunt. inprimis autem Cominæus, qui unus multorum inſtar eſt. *il Tomaſi nella vita del Valentino.* p. 106.

Digitized by Google

Quodque diu partum eſt virtute, & fortibus armis
  Imperium, fœdæ ſervit avaritiæ.
Nec mirum; veſtro tantum cum diſtet ab orbe,
  Terraque cenſura ſit procul illa tua.
Quis credat? tectis cives pelluntur avitis,
  Adrogat injuſtas dum ſibi fiſcus opes.
Fiſcus opes miſerorum. hoc eſt, heu, parcere victis?
  Hoc eſt Auſonio reddere jura ſolo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
  Nobilitas, patriis exſpoliata bonis:
Culpaturque fides domino ſervata priori,
  Et maris, & terræ non labefacta minis.
Scilicet eſt crimen duram contemnere mortem:
  Scilicet eſt Reges crimen amare ſuos.
O bene fortunæ memores, quicunque ſuperbas
  Gentibus a victis abſtinuere manus.
Nam quamvis ſævos illectet præda tyrannos:
  Magnanimos Reges gloria ſola juvat.
Delentur nullos hominum benefacta per annos;
  Quaque licet, faciunt nos ratione Deos.
At ſiquis ſeræ ſpernit præconia famæ,
  Quercubus alpinis adnumerare potes.
Ergo tu, Regem cui fas lenire potentem,
  Da deſideriis vela ſecunda meis.
Effice, juſtitiæ ſoliti reddantur honores:
  Dignus es, altricem qui tueare tuam:
Sed ſoror ut noſtros æquet Clementia faſces:
  Qua ſine, dura nimis, difficiliſque vocer.
O decus, o lapſi ſpes conſtantiſſima ſæcli,

V. 28. *Nobilitas.*] ipſi homines Nobiles. Marullus inſtitut. princip. p. 103. b.

Aetatis licet opprobrio corrupta reclamet, Nobilitas, choreaſque adſueti plaudere Regis.

O vir fortuna fortior ipſe tua.
Sic tibi contingat Solyma de gente triumphum,
Captaque per noſtros ſigna videre duces.

Sic

V. 49. *Sic tibi contingat, Solyma de gente triumphum*
Captaque per noſtros ſigna videre duces.
In animo habebat Rex Carolus, poſtquam Neapolitanum regnum ſui juris feciſſet, bellum movere Turcarum Imperatori Bajazeti. v. Marullus IV. Epigr. 31. ubi Carolum ad hoc bellum ſuſcipiendum fortiter adhortatur. illud autem quo felicius ſuccederet, conſtituerat in clientelam atque amicitiam ſuam recipere Gemem Bajazetis fratrem, qui ſumtis infelici auſpicio contra Bajazetem armis, exutuſque exercitu & caſtris, neceſſe habuerat aſylum ſibi quærere aqud Rhodios equites, tum temporis autem ſervabatur Romæ. Eum cum Rex ab Alexandro VI. tanquam mutuæ pacis obſidem accepiſſet, & jam Neapolim uſque perduxiſſet, oſtenſurus porro turbatæ ac tumultuanti contra Imperatorem Turciæ, non leve ſane victoriæ momentum futurum: accidit ut Gemes, propinato Romæ a Pontifice & filio Cæſare lento veneno, incideret in diarrhœam incurabilem, unde & miſerabili ſane fato periit in Caſtello Capuano, non autem apud Cajetam, ut perperam prodidit Jovius. amiſſo in hoc principe tam inſigni rei feliciſſime gerendæ momento, obortiſque novis in Italia turbis, ab invadendi Turcas conſilio deſiſtere coactus eſt Carolus. Nefarias exſecrandi Pontificis artes, & pactiones cum barbaro Bajazete ad conturbandam rei Chriſtianæ tranquillitatem, literaſque ipſas ab utroque monſtro ultro citroque ſcriptas, multa cum cura exhibet Thomas Thomaſius in vita Cæſaris Borgiæ p. 108. ſqq. nunc Jovium audiamus libro Hiſtoriarum ſecundo. *Poſt id factum, Valentinus Cardinalis* (is erat Cæſar Borgia, titulo Legati a latere cum Rege Carolo Neapolim profectus) *minus intentis in ejus cuſtodiam Gallis, mutato habitu e Velitris Romam profugit. Nec multo poſt & ipſe Gemes ad Cajetam moritur. Eratque conſtans fama Alexandrum, ut barbarus princeps inimici Regis gloria atque ſpectaculo ſubtraheretur, ipſique obiter propoſita a Bajazete præmia promereret, lethiferum pulverem ſaccaris, quibus Turca poculis omnibus uteretur, miſcuiſſe. Is erat pulvis ad fallendum candore mirabilis, nec injucundo admodum ſapore, qui non acriore vi protinus, ſicuti præſentanea venena, ſpiritus vitales opprimeret: ſed ſenſim venis illabendo, exitiabili tarditate graſſaretur. Quo poſtea Alexander opulentos aliquot ſenatores, & poſtremo ſe ipſum incaute mutata lagena, ſuſtuliſſe ferebatur:* Turcicum porro imperium per ea tempora haud minus prompte ſubjugari potuiſſe, quam ſubjugatæ eſſent res Aragoniorum, non vane colligit prudentiſſimus Cominæus l 7. c 14. ubi & nefarii iſtius veneficii meminit. adde Sabellicum Ennead. 10. lib. 9. *il Tomaſi nella vita del duca Valentino* p. 141. ſqq.

V. 49. *Sic tibi contingat.*] Orientis imperium fato ſervari Carolo VIII. cuncti tum credebant mortales v. *il Tomaſi nella vita di Ceſare Borgia* p. 44. ipſe quoque Carolus hanc cauſam prætendebat bello Neapolitano, cujus Regni Aragonios vocat inſeſſores, culpa Pii ſecundi, apud eundem p. 63. ſqq. 83. 89. 95. 111. 141. 142.

Digitized by Google

Sic Rhodanum Nilo ſpectes dare jura ſubacto:
  Perque Araris ripas plurima laurus eat.
Hoc ego te, mecum hoc Phœbus, doctæque Sorores,
  Hoc pietas, hoc jus, nobilitaſque rogant.

IX.

DE STUDIIS SUIS, ET LIBRIS JOVIANI PONTANI.

Qui primus patrios potuit liquiſſe penates,
  Et maris, & longæ tædia ferre viæ,

Non poterat præclarius laudari Joannes Jovianus Pontanus, neque ejus ſcripta accuratiore cura poſteritati commendari, quam in hac pulcerrima elegia factum eſt a Sincero noſtro, quo autem plenius maximi viri fata ac vitam pernoſcat lector, accedat elogium nobile quod Pontano fecit Paulus Jovius. *Jovianus*, inquit, *Pontanus, vir ad omne genus eloquentiæ natus, Cereto Umbriæ oppido metu profugiens, quod ibi pater a factioſis civibus eſſet interfectus, Neapolim plane juvenis & inops contendit, ibi enim liberali Alfonſi Regis ſtudio, condita bibliotheca, literas in honore eſſe dedicerat. Nec defuit honeſtus virtuti locus, Antonio Panhermita eruditi ingenii viro admirante. is tum erat excellentis doctrinæ nomine Regii ſcrinii magiſter. Aſpiravit demum his captis Fortuna, uſque adeo benigne, ut Ferdinandi Regis caſtra ſecutus, in demortui Panhermitæ locum ſufficeretur. Unde illi mox honeſtæ opes, ſed obſequii fide ac merito, uti ſcripſit, inferiores, niſi ad optimi muneris proventum Ariadnæ uxoris dotalis hæreditas acceſſiſſet. Hac parta dignitate, liberiore veluti ſtudio, Muſas per omnes numeros exercuit, tanta habilis ingenii fœcunditate, ut neque poëtis neque oratoribus, qui tum maxime florerent, dignum ſecunda famæ locum relinqueret. Erat auſtero ſupercilio, & toto oris habitu ſubagreſti: ſed ſtylo, & ſermone perurbanus, cum ſæpiſſime vel in ſeriis multo cum ſale jocaretur. Habitus tamen eſt in omni cenſura, quanquam abſolute pius, ſupra æquum mordax, vel eo quod non homines modo ſibi notos, ſed gentium & urbium quoque omnium mores acerba ſcribendi libertate perſtringeret, ſicuti ex variis Dialogis, Charonteque præſertim, intemperanter oſtendit. Sed in pangendo carmine, quam texenda proſa cultior, atque ſublimior multis videtur: quantoquidem in hiſtoria non ſemper integra graviſſimi inceſſus dignitate, ab ejus muneris diſciplina deflexiſſe exiſtimari poſſit, quum poſtea ab Heſperidum Hortis citriorum ſuaviſſimos odores ſpirans, atque inde divino carmine in altum evectus, ad illa ipſa excelſo ore decantata ſidera propius acceſſerit. Vixit annos ſeptuaginta ſeptem. Fato autem functus eodem menſe, quo Alexander Sextus Pontifex vita exceſſerat: tumulatus eſt in ſacello ab ſe ſepulchri cauſa exſtructo*

Quem non mœſta domus, quem non revocare parentes,
Non potuit fuſis blanda puella comis:
Impius, & ſcopulis, & duro robore natus,
Atque inter Tygres editus ille fuit.
Non mihi circumſtat ſolidum præcordia ferrum:
Nec riget in noſtro pectore dura ſilex:
Ut poſſim dulceſque lares, limenque puellæ
Linquere, & ignoto quærere in orbe domum.
Sed Phœbi ſacros cogor luſtrare receſſus,
Vocalemque undam, Theſpiadumque choros:
Ut fugiam nigras ſupremo in funere flammas,
Et volitem populi docta per ora mei:
Meque inter claros attollat fama poëtas,
Nec rapiat nomen nigra favilla meum:
Et noſtro celebrata ſuperbiat umbra ſepulchro,
Spernat

e regione Davalorum domus, ubi elegium ab ſe compoſitum in marmorea tabula ſpectatur. Hæc Jovius: neque eo inferiora Lilius Gregorius Gyraldus Dial. 1. de Poëtis ſui temporis: *Urania vero, Meteora, Heſperidum Horti, Ecloga, Epigrammata, Elegia, & cætera Joviani Pontani Umbri carmina, & quæ plurima pedeſtri oratione ſcripſit, faciunt ut in his tabularum imaginibus illum inter proceres commemorem, quin & cum omni fere antiquitate conferam, tametſi non idem, ut quibuſdam videtur, in omnibus præſtat, nonnunquam enim nimis laſcivire & vagari videtur, nec plane ubique ſe legibus adſtringit. quod iis minus mirum videri poterit, qui illum ſciverint in magnis Regum & Principum negotiis diu verſatum, & modo bellorum modo pacis conditiones & fœdera tractaſſe, non minus quam Phœbum & Muſas coluiſſe. Quis tamen eo plura? quis doctius? quis elegantius? quis denique abſolutius compoſuit? enucleatius? exquiſitius? & licet ejus quidam hoc tempore gloriæ parum æqui ſint æſtimatores, non illis tamen ipſe concedam, ni meliora vel ipſi fecerint, vel ab aliis facta attulerint, id quod ad hanc ipſe diem non vidiſſe fateor.* Joannes Pierius Valerianus, vir longe eruditiſſimus, elegans Pontano epitaphium ſcripſit, cujus initium

Scriptorum venerabilis Magiſter
Pontanus cubat hic. &c.

éxſtat id libro poëmatum Pierii primo. videndus Buchnerus T. 2. Orat. p. 358. Eſt & Baſilii Zanchii Meliſeus, ſive ecloga in ejus funere, haud ſane contemnenda, poëmat. libro quinto. *Habemus* Italorum hominum elogia & judicia. qui vero his non acquieſcens liberiorem cenſuram deſiderat, adeat ille J. C. Scaligerum in Hypercritico, & Eraſmum noſtrum in Ciceroniano. homo enim fuit Pontanus. nunc ad Sincerum redeamus, & Pontani ſcripta per ſaturam recenſeamus. ſunt autem iſta.

Spernat & e Pariis marmora cæſa jugis:
Non tamen ut magni tumulum tentare Maronis
Audeat, aut tantum ſperet habere decus.
Sed quis tam niveis vellat mea colla lacertis?
Quis vetet optato membra fovere ſinu?
An tanti fuerit ſacro Parnaſus hiatu,
Perque ſuas paſſim templa habitata deas:
Ut tibi ſit nitidos lachrymis corrumpere ocellos,
Diſceſſumque fleas, chara puella, meum?
Ah pereat, quicunque leveis ſectatur honores,
Et ſequitur famæ nomina vana ſuæ.
Tecum ego nocturnis dubitem ceſſare choreis?
Tecum ego conſperſa gaudia inire roſa?
Deductumque levi crinem perfundere amomo?
Et noctem inſolitis ducere blanditiis?
Scilicet & Turcas Pontanus in æquora claſſes,
Alfonſi & fortes ducat in arma manus.
Qui nunc naſcentis canit incunabula mundi,
Aureaque ætherea ſydera fixa domo:
Utque imbres, lapideſque pluant, ut nubibus ignes
Exſiliant, ſalſas ut mare volvat aquas:
Heſperidumque hortos, excuſſaque poma draconi,
Ruſticaque ad primos munera miſſa toros,
Delicias Lepidina tuas, reſonanſque viciſſim
Paſtorum argutis carmen arundinibus:
Qualiter & fulvis radiet Sertorius armis,

Et

V. 35. *Qui nunc naſcentis canit incunabula mundi*, &c.]
Uraniæ libri quinque, ſive de ſtellis; Meteororum liber unus; heroico carmine decantati.

V. 39. *Heſperidumque hortos, excuſſaque poma draconi.*]
de Hortis Heſperidum, ſive de cultura citriorum libri duo, eodem verſu v. Fracaſtorius carm. 3. p. 273.

V. 40. RUSTICAQUE *ad primos munera miſſa toros.*

DELICIAS, LEPIDINA, *tuas*, &c.]
Lepidina, cujus ſeptem paſtorales pompæ, cum tribus diverſi argumenti eclogis.

V. 43. *Qualiter & fulvis radiet* SERTORIUS *armis*,

Et

Et Pompejanus prælia tentet eques:
Audeat arguto neu quis contendere verſu,
Ille vel æterno digna Marone ſonat.
Te pater irriguis audit Sebethus in antris,
Jurgia ad ingratas dum jacis ipſe fores.
Inde vocas ſacrum feſtas Hymenæon ad aras,
Optati referens fœdera conjugii:
Utque tuis primum ſurgens complexibus uxor,
Viſa ſit erepta viginitate queri.
Felix, qui fidos expertus conjugis ignes,
Vidiſti ſobolis pignora certa tuæ:
Næniolaſque rudes ceciniſti, & blanda parentis
Oſcu-

Et POMPEJANUS *prælia tentet eques.* Bellum Sertorianum, quod grandi carmine cecinit. Pontanus in dialogo cui nomen Antonius.

V. 47. *Te* PATER *irriguis audit* SEBETHUS *in antris,*

JURGIA *ad ingratas dum jacis ipſe fores.*] Amorum libri duo, vario numerorum genere ſcripti, & Laurentio Miniato dicati. Sebethi autem vel præcipue hic mentio eſt, eo quod ultimâ libri ſecundi elegiâ, fictione jucunda atque eleganti, memoratur Sebethis converſio in fluvium.

PATER SEBETUS.] recte, fuit enim divinus honoribus cultus. Gruterus inſcript. XCIV. 9.

P. MEVIVS. EVTYCHVS
[EVTNYCVS Manut. Orthogr. p. 705]
AEDICVLAM
RESTITVIT. SEBETHO

Ex tabella marmorea Neapoli in fundamentis murorum eruta. de Sebetho. v. Bern. Taſſo lettera 121. p. 100. b.

V. 49. *Inde vocas ſacrum feſtas* HYMENÆON *ad aras,*

Optati referens gaudia conjugii:

Utque tuis primum ſurgens complexibus uxor

Viſa ſit erepta virginitate queri.] Libi tres de Amore conjugali, quorum tertius filiarum Aureliæ & Eugeniæ epithalamia continet. alluditur autem ad elegiam quartam lib. 1. cujus initium.

Qualis ab Herculeis ſurgens complexibus Hebe

Viſa eſt erepta virginitate queri.

v. Pontanus III. de obedientia 3. p. 40.

V. 55. NÆNIOLASQUE *rudes ceciniſti, & blanda parentis*

OSCULA, *& ad cunas murmura nata ſuas.*] Næniæ ſunt duodecim, quæ vel ipſo nomine quibuſdam perſuadeant quam ſint nugaces & pueriles. ſed vel in his ipſis admirari licet fœcundum non minus quam facundum ſummi viri ingenium, qui enim ita nugari potuerit, & blæſas ac balbas nutricum blanditias referre tanto cum lepore, in hunc uſque diem inventus eſt nemo. de Fannia quæ ſequuntur, deque Cinnama pertinent ad Amores.

Digitized by Google

Oſcula, & ad cunas murmura nata ſuas.
Felix, excultum torſit quæ Fannia vatem,
Quæque illi regnum Cinnama ſubripuit.
Quamvis diſſidii leges patiantur amaras,
Spectabunt cineres nomen habere ſuos.
Eridani poſt hæc ſed te quis credat ad amnem
Populea canas fronde ligaſſe comas?
Et Stellam ceciniſſe, atque impendiſſe querelas,
Spectandos cum jam vix daret illa pedes:
Bajanoſque ſinus, myrtetaque cognita nymphis,
Clauſaque ſulphureis antra recurva jugis:
Tum ſuperûm laudem, mutiſque inciſa ſepulchris
Nomi-

V. 61. ERIDANI *poſthac ſed te quis credat ad amnem*
POPULEA *canas fronde ligaſſe comas*,
Et STELLAM *ceciniſſe?* &c.] Eridani nomen duobus elegiarum libris facit Pontanus, quibus celebravit amores Stellæ, mulieris Ferrarienſis, e qua & filium ſuſtulit cujus tumulus cum epitaphio eleganti hodie quoque viſitur Neapoli. *voyez M. Miſſon, voyage d'Italie* T. I. p. 277. & Sweertium Delic. orb. Chriſt. p. 87. de hoc ſuo ſacello ipſe, ni fallor, Pontanus loquitur præfat. libb. de Prudent. p. 274. ſq. ibidem. I. 31. p. 310. Præfat. Lib. 2. p. 315. Præfat. Lib. 3. p. 338. ſq. L. 5. p. 391. 423. unde apparet ratio nominis ac tituli: eſt enim Ferraria ad ramum Padi minimum ſita, qui dicitur *Po morto*. Hos porro libros, ut & verſus Saphicos, non recipiſſe ultimam auctoris manum jam olim monuit Petrus Summontius, cujus viri candorem nec mirari ſatis, nec commendare poſſum.

V. 65. *Bajanoſque ſinus*, &c] duo Hendecaſyllaborum libri, Bajarum titulo inſignes, lepidi, molles, delicati, & quibus non unus Phaleciorum ſcriptor invidere poſſit. id vero mihi ne credas, audi Scaligerum, cenſorem minime indulgentem, in Hypercrit. *Bajana carmina elegantia & laſciva, provocant ipſa Catulliana. ſunt enim quadam ſupra illius aleam, plane accommodata illius ingenio redundanti*, &c.

V. 67. *Tum* SUPERUM *laudem, mutiſque inciſa ſepulcris.*
Nomina.] Hymnorum liber, ſive, ut Pontanus inſcripſit, de Laudibus Divinis. quod recte reprehenditur à Scaligero, cum non doceat ibi quibus modis laudandus ſit Deus, ſed laudes ipſas canat. Pontanum interim primum fuiſſe uſum elegiaco carmine in canendis hymnis obſervare te velim: cum ab antiquiſſimis non niſi hexametrum, quod & ipſum antiquiſſimum eſt carminis genus, fuerit adhibitum, & ſenſim receſſum ad lyram. Pios & Chriſtianos multorum habemus. Excellunt, poſt veteres, M. Hier. Vida, Joannes Franciſcus Picus, Petrus Bembus, Joannes Aurelius Mutius, noſ-
ter

Nomina, collapſos & reparare rogos:
Denique Pindaricoſque modos, reſonantia plectra,
Et Methymnææ fila novaſſe lyræ:
Cum tamen interea motus, atque agmina Regum,
Bellaque Campanæ diſcutis hiſtoriæ.
Quin & jucundo diſtringis ſæcula morſu,
Dum vafer in Stygio diſputat amne Charon.
Varroniſque tui, Nigidique exempla ſecutus,
Grammaticæ haud ſpretas incipis ire vias.

Carmi-

ter Sannazarius, M. Ant. Muretus, Franciſcus Bencius, Salmonius Macrinus, Hercules Strozza, Georg. Fabricius, Berlicomius, alii. quid autem ſibi voluerit cum quatuor ſuis Hymnorum libris Michaël Marullus, haud facile dixerim. putes illum de novo tentaſſe paganiſmum introducere. nec immerito tam acrem ſuper eo cenſuram inſtituit J. C. Scaliger. ſed hæc ſunt alterius loci. ſequuntur Pontani duo Tumulorum libri, in quibus multa quæ ad iſtius ætatis hiſtoriam faciunt. primus talis argumenti libellum edidit D. Magnus Auſonius, quem ſecuti e recentioribus plurimi, J. C. Scaliger, Joannes Secundus, Georgius Buchananus, Theodorus Beza, Nicolaus Grudius, Eobanus Heſſus, Caſpar Cunradus, Joſephus Scaliger, & qui non?

V. 69. *Denique* PINDARICOSQUE *modos*, &c.] verſus ſunt Sapphici, ſed ab auctore non emendati, ideoque nec inter primos ponendi. dictum ad v. 61. videtur autem Pontanus plures odas ſcripſiſſe, quæ intercideriut. quid enim Pindarus commune habet cum lyra Lesbia?

V. 71. *Cum tamen interea motus, atque agmina* REGUM,
Bellaque CAMPANÆ *diſcutis hiſtoriæ.*]

Scripſit Pontanus hiſtoriam belli Neapolitani, quod Ferdinandus Aragonius cum Joanne Andegavenſi geſſit, ſex libris. ſingula autem rerum eventa non fama collegit, aut hinc illinc emendicavit, ſed omnibus fere interfuit ipſe. edidit, qui reliqua Pontani opera, Petrus Summontius, ſed nondum omnino expolitam, & uti ab ipſo ſcriptore relictam invenerat. quod Paulus Jovius videtur ignoraſſe, dum inclementius paulo judicat de gravitate Pontani.

V. 73. *Dum vafer in Stygio diſputat amne* CHARON.] Tetigit hunc dialogum Jovius, nec immerito. ſed ſi verum fateri volumus, ignoſcendum erit Pontano, ſi quid liberius jocatus fuerit. vivebat ille ſæculo diſſolutiſſimo ac maledicentiſſimo, & ſi conferatur cum æqualibus ſuis, poterit profecto tanquam iſtius temporis Cato ſuſpici. hanc ipſam quoque mordendi libidinem aliis magnis virtutibus redemit.

V. 75. *Varroniſque tui Nigidique exempla ſecutus*
Grammaticæ haud ſpretas incipis ire vias.

alluditur ad duos libros de Aſpiratione, ad Marinum Tomacellum ſcriptos. cæterum quanquam hæc ſit lectio omnium editionum Sannazarii,

Carminis hinc numeros noſtris depromis ab auſis,
Dignatus pueri verba referre ſenex.
Quid loquar, ut ſacros Mariani exhauriat amnes
Ægidius, verum dum canit ore deum?
Aut apta ingratos taxet ſub imagine mores
Qui

rii, nullum tamen commodum ſenſum facit: & palam eſt τὸ *haud* debere tolli. Hoc enim dicit Sincerus; Pontanum, virum in republica inſignem, in literis prope unicum, poſt ſcriptam cum magna prudentiæ laude hiſtoriam, poſt elucubrata non omnis tantum carminis genera, ſed & illa quæ proxime accederent ad majeſtatem Maronianam, tamen non eſſe dedignatum ad has grammaticorum minutas nænias deſcendere, & de Aſpiratione aliquid commentari, &c. non enim poterat ignorare poëta noſter illud Ulpiani apud Athenæum, Grammaticis, ſi medicos excipias, nihil eſſe ſtultius. neque neſciebat quantopere Grammaticos inſectatus ſit poëta Auſonius, ut de Græcis epigrammatum ſcriptoribus nihil dicam.

V. 77. *Carminis hinc numeros noſtris depromis ab auſis,*
Dignatus pueri verba referre ſenex.] *Actius* dialogus eſt Pontani multa eruditione refertus, in quo inducit Actium noſtrum Sincerum de numeris poëticis deque legibus hiſtoriæ politiſſime ac ſcientiſſime diſſerentem.

V. 79. —— *ut ſacros* MARIANI *exhauriat amnes*
ÆGIDIUS, *verum dum canit ore Deum.* refer ad dialogum Pontani, cui titulus *Ægidius*, a celeberrimi tum nominis eremita Auguſtiniano Ægidio, qui poſtea ordinis ſui præfectus a Julio II. creatus eſt, Cardinalis autem a Leone decimo. inſigne & prope invidendum illi elogium poſuit Paulus Jovius, p. 102. mirifice extollens ejus peritiam linguarum, & ſacræ theologiæ ſcientiam rariſſimam, eloquentiam in habendis ad populum concionibus inuſitatam ac pene divinam, quæque ibi plura leguntur. inter poëtas Latinos & Etruſcos numeratur a Lilio Gyraldo, in ſecundo de poëtis ſui temporis dialogo. vide & Pontanum in dedicatione libri de Immanitate ad Hier. Carbonem. Ægidii præceptor fuit Marianus, & ipſe Auguſtinianus eremita, ſed diſcipulo eruditione inferior. Ejus cum laude meminit in epiſtolis ſuis Politianus L. 4. Epiſt. 6. & Præfat. Miſcellan. p. 490. Jovius in Elogiis. Pontanus in Ægidio, & libro primo Tumulorum. ipſi porro Ægidio, quod pene exciderat properanti, librum ſuum de Luna dedicavit Pontanus, cujus tamen, ob hæredum incuriam, non niſi exiguum fragmentum habemus. v. Pontanus III. de Fortuna p. 564. ſqq. Lib. de Immanitate p. 587. 615.

V. 81. *Aut apta ingratos taxet ſub imagine mores,*
Qui ſuper infuſas ſprevit ASELLUS *aquas.*] *Aſinus* dialogus eſt Pontani, in quo fingit ſe quaſi præ ſenio delirantem immodico ac plane cæco cujuſdam aſini ſui amore captum, illi rete e ſerico ad excludendos culices & muſcas, illi ex argento tintinnabula parare, ſudorem illi odorato citriorum liquore abluere, &c. is vero bellulus, ne non ſe aſinum probet, pedere, calcitrare, domini manum mordicus apprehenſam tantum non præſcindere, donec debito fuſtuario admoni-

Qui ſuper infuſas ſpernit Aſellus aquas?
Te juveneſque, ſeneſque colunt præcepta ferentem,
Parthe-

monitus, & ad molas damnatus, bona tandem fidé aſinum ſe eſſe diſcat. invehitur autem Pontanus in cujuſdam noti hominis ingratitudinem; juſtamque indignationem dum mandare literis cupit, eam ſale hujus libelli condiit. Pontani *Aſinum* compilavit Trajanus Boccalinus Cent. 2. Ragguagl. 93. ſed tamen aſini ferocitate alliorſum detorta.

V. 83. *Te juveneſque ſeneſque colunt præcepta ferentem,*
Parthenope ſpreto quæ CICERONE *legit.*]

Huc pertinet inſignis locus Mariangeli Accurſii, quem producit Voſſius L. 3. de Hiſtor. Latinis. Cap. 8. p. 549. Eraſmus Ciceron. p. 272. Ne tam animoſæ ſententiæ veritatem præſtare cogatur Sincerus noſter, operæ pretium erit audire Pontanum ipſum, de conſilio ſcriptionum ſuarum differentem ad Hier. Carbonem, in dedicatione libri de immanitate. ſic igitur ille: *Quo autem ſcribendi conſilium omne meum manifeſtius tibi pateat, ſic habeto: de moribus apud Latinos ſcripſiſſe Ciceronem, qui id ſolum mihi ſecutus videtur, ut actiones quæ & quales eſſe debeant oſtenderet, ſumma cum eloquentia, cujus ipſe facile habendus eſt & magiſter, & princeps. Cæterum definiendis virtutibus, explicandis earum principiis, inumbrandiſque imaginibus, nihil eum prorſus curæ aut ſtudii impendiſſe, ut πρακτικας, hoc eſt, activas tantum res viſus ſit velle edocere ac complecti, ac ſi Senatorii Conſulariſque hoc tantum eſſet viri, muneriſque dignioris, Θεωρητικας autem res exſequi plebeji cujuſpiam hominis, ac tanquam in otio marceſcentis. Apud Græcos vero theoreticam hanc inſtitutionem ita exſecutum eſſe Ariſtotelem, ut ab activa ab diſciplina omnino receſſerit, etſi in illo edocendi genere maxime diligens ac conſummatus appareat. Poſt Ciceronem e noſtris Senecam multa quidem, maximeque vitæ hominum utilia, & commoda ediſſertaſſe: cæterum oratorio magis more exhortari ad virtutem honeſtaſque ad actiones legentem, quam ut quæ dicat contenderit certis ac ſibi conſtantibus rationibus comprobare, aut de principiis ipſis acutius diſputare & quærere, multa tamen admirabiliter loqui, cohortarique acerrime ad bene vivendum auditores, deterreque à vitiis; ut libri ejus, ut præcepta ab eo tradita, ut denique quæ ab illo in medium afferuntur exempla, ſtimuli ſint quidam ad honeſte agendum, civileſque ac domeſticos ad mores, actioneſque vitæ totius ſic adminiſtrandas, ut beate ſimul ac tranquille vitam bene ducentes, felicitate quidem ipſa vel fruamur adepti, vel conſequendam ad eam quam proxime accedamus. Nos igitur ſummos & imitatione dignos viros cum intueremur, ab adoleſcentia uſque id judicavimus, quod poſt exſecuti etiam ſumus, ſingulari eſſe laude dignum, plurimumque humano quoque generi collaturum, ſcriptitandis rebus moralibus tria hæc ſimul complecti, ut cognitio principiorum ac virtutum ipſarum per definitiones ſpecieſque ſuas, ac differentias, quod theoretica eſt contemplationis: ut practica exercitatio, uſuſque ipſe vivendi, id eſt, qui & quales actus ipſi eſſe debeant, oſtenderetur: atque ad confirmandos animos & exempla adjungerentur, & ſententiæ auctoritatis plena, dictaque ac facta clariſſimorum virorum, noſtraque dignorum imitatione atque obſervantia. Quod in libris ubique noſtris, pro virili tamen, conati ſumus aſſequi.* hæc de ſcopo ſuo Pontanus. potuiſſet tamen noſter modeſtius majorique cum veneratione loqui de Cicerone neque hoc, ut puto, ægre latura fuiſſet poſte-

Parthenope ſpreto quæ Cicerone legit:
Ex adytis quicquid divûm ſapientia pandit,
Et, Stagira, tui dogmata firma ſenis:
Quid deceat fortemque virum, quæ Principis artes,
Largificas præſtet quæ dare dona manus:
Parendi leges quæ ſint, legeſque loquendi:
Edat ut argutos lingua diſerta ſales:
Quid fortuna homini, quid det prudentia, quantum
Immanes animos incitus ardor agat:
Magnanimique viri quæ ſint ad ſingula partes,
Sive colat pacem, ſeu fera bella gerat.
Nec fugis aſtrorum cauſas aperire latenteis,
Et Ptolemæi fata repoſta poli.
Salve ſancte ſenex, vatum quem rite parentem
Præfecit terris Delius Auſoniis.
Non te Lethææ carpent oblivia ripæ,

poſteritas. quæ ſequuntur, referenda ſunt ad libros Pontani de Fortitudine, de Principe, de Liberalitate, de Obedientia, de Sermone, de Fortuna, de Prudentia, de Immanitate, de Magnanimitate, de Rebus Cœleſtibus, & in centum Sententias Ptolemæi. atque hæc quidem habui quæ notarem ad nobiliſſimam elegiam. nec tamen omittenda eſt inſignis illa Synceri in Pontani ſcripta pietas, quæ poſt illius obitum ſopita atque neglecta e tenebris primus in lucem, tum Franciſci Ælii conſilio, tum opera Petri Summontii uſum revocavit. magno ſane theſauro rem literariam auxit Sincerus, cui & hoc quoque nomine æternum debebunt Muſæ Romanæ, quod princeps e bibliotaphiorum pulvere in hominum eruditorum manus protraxerit Ovidii fragmentum de piſcibus, Gratii Cynegetica, itemque Aurelii Nemeſiani, & Rutilii Numatiani itinerarium, ne quid dicam de emendatioribus, quam fuerant antea, Martialis, Auſonii, & Solini codicibus. Dignus eſt & ipſe, cujus rationem habeat grata poſteritas, quemque poſt Auguſtæi ſæculi ingenia tanquam ducem ac normam ſibi proponant genuinæ ac generoſæ poëſios ſtudioſi. Vis firmem hoc judicium meum? audi virum undequaque eruditiſſimum, Ludovicum de La Cerda, cujus hæc ſunt ad Virgilii l. 7. v. 734. *inde quoque arrepta occaſio celebrandi hujus fluminis* (de Sebetho loquitur) *Sincero Sannazario, utpote Neapolitano, qui vir poëtica laude floruit præ mortalibus ſui avi. Sed quid ſui avi? Quid ſi Neapoli majorem gloriam Sannazarius attulit, quam Statius Papinius? non erit iniquus cenſor, qui hoc cenſeat.* Vid. eumdem Cerdam. ibid. T. 1. p. 580.

Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebeio ponetur in aggere buſtum.
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices exſpectas, Umbria, palmas?
Mœnibus has patriæ rettulit ille meæ.
Ille ſuis longum ſtudiis, & laude fruatur:
Me juvet in dominæ conſenuiſſe ſinu.

X.

AD JOANNEM SANGRIUM PATRICIUM NEAPOLITANUM, DE SUO IMMATURO OBITU.

Si me ſævus Amor patriis pateretur in oris
Vivere, vel ſaltem matre vidente mori,

Ut

Ad JOANNEM SANGRIUM.] Paulli cujuſdam Sangrii itidem Neapolitani proditionem turpem commemorat Jov. Pontanus Lib. de Immanitate Cap. 8. p. 598.

V. 1. *Si me ſævus* AMOR *patriis pateretur in oris*
Vivere, &c.]
Familiare eſt poëtis, etiam iis qui nunquam amaverunt, amorem aliquem ſibi fingere, unde ſcriptionis petant argumentum. noſter autem Sincerus, ne quid tale hic ſuſpicemur, locuples ſibi ipſe teſtis eſſe poteſt. amaverat a prima infantia (ſi tamen in infantes amor cadit) puellulam ſibi æqualem & ætate, & nobilitate ſanguinis, quacum una educabatur. gliſcebat indies hæc flamma, ſed infelici ſucceſſu; nam, quod de Apolline & Daphne Naſo, *alter amat, fugit altera nomen amantis.* ille vero cum impar eſſet ærumnis ſuis, vitæque tam miſeræ pertæſus, ſtatuit remedium petere ab abſentia. ſed & id peſſime ceſſit, cum relictæ dominæ immemor eſſe neutiquam ſuſtineret incidit itaque in letalem, ut credebatur, morbum, qua ſæviente hanc ſcripſit elegiam, que Sangrium orat ne ſinat interire ingenii ſui diſperſas atque inemendatas reliquias, nihilque adeo acerbe conqueritur quam eripi ſibi vitam juveni, & ſecum extingui ſpem illam ingentem quam de tot & naturæ & Muſarum dotibus conceperant homines eruditi. elegantiſſime hos inauſpicatos amores ſuos deplorat ipſe Syncerus Arcadiæ ſuæ proſa ſeptima

Ut quæ vix uno nunc ſunt ingeſta libello,
  Eſſent illa ſuis continuata locis:
Forſitan immites potuiſſem temnere Parcas,
  Ductaque de pulla triſtia penſa colo:
Nec me plebeio ferret Libitina ſepulchro,
  Aut raperet nomen nigra favilla meum.
Nunc cogor dulceſque lacus, & amœna vireta,
  Pieridumque ſacros deſtituiſſe choros:
Nec pote, quæ primis effudit Muſa ſub annis,
  Emendaturo ſubdere judicio.
Sic heu, ſic teneræ ſulcis reſecantur ariſtæ:
  Implumes nido ſic rapiuntur aves.
Prò ſuperi, tenues ibit Syncerus in auras?
  Nec poterit nigri vincere fata rogi?
At tu, quandoquidem Nemeſis jubet, optime Sangri,
  Nec fas eſt homini vincere poſſe Deam:
Accipe concuſſæ tabulas, atque arma carinæ,
  Naufragiique mei collige relliquias.
Erranteſque cie quocunque in littore manes,

 Talia-

ſeptima. videtur autem hanc elegiam ſcripſiſſe patre jam mortuo, cum matris duntaxat meminerit v. 2. de utroque parente dicam aliquid ſuo loco. interim obſervare te velim epitaphium,

Actius hic jacet? ſpes mecum extincta quieſcit?
Solus de noſtro funere reſtat Amor.

reſpexit procul dubio ad illa Virgilii lib. 6. Æneid.

Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi. ſic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silva tegit. curæ non ipſa in morte relinquunt.

cui loco pro commentario eſſe poteſt Propertii Elegia nonadecima libri primi. ſed fruſtra in placitis poëtarum conſtantiam quæras. vide noſter quam mutaverit l. 2. El. 7.

Actius hic ſitus eſt: cineres gaudete ſepulti:
Jam vaga poſt obitus umbra dolore vacat.

nimirum & Propertius mutaverat mentem. l. 1. El. 17.

Illic ſi qua meum ſepelirent fata dolorem,
Ultimus & poſito ſtaret amore lapis, &c.

Digitized by Google

Taliaque in tumulo carmina cæde meo.
Actius hic jaceo: ſpes mecum exſtincta quieſcit:
Solus de noſtro funere reſtat Amor.

XI.

IN MALEDICOS DETRACTORES.

Quid ruis in ſacros temeraria turba poëtas?
Sævaque mordaci prælia dente moves?
Deſine ſacrilega convicia fundere lingua,
Deſine. pro populo ſtat Deus ipſe ſuo.
Quis novus in furias armat dolor? ite profani,
Ite, nec immeritas conſcelerate Deas.
An monet hoc Stygiis immerſus Scuccha lacunis,
Dum

Ne quis ſolos Iambos, celeres illos & feroces, aut cum Iambis Scazontes, idoneos iræ ac maledicentiæ præcones exiſtimet, jampridem Naſonis Elegi in Ibin obſtiterunt, forſan & Callimachi, a quo titulum mutuatur Naſo,

Non ſoleant quamvis hoc pede bella cani.

oſtendit & hac elegia Sincerus noſter quam fuerit hoſtis formidabilis. quinam vero iſti fuerint, in quos fellis ſui amarulentiam tam liberaliter effundit, fruſtra credo quiſpiam hodie divinaverit. neque ſane tanti eſt. Aliquid haurire eſt ſed tamen per nebulam ex epiſtola Italica ipſius Sannazari quæ exſtat *fra le Lettere Italiane de tredici Autori illuſtri*. p. 621. puto & Marullum huc trahi poſſe II. Epigr. 26. Siculos fuiſſe ex verſu 69. colligas,

Fallor, an hos nobis miſit gravis Ætna Cyclopas?

cave autem id de Petro quoque Gravina interpreteris, nobili eo tempore poëta, ſummoque & Pontani & ipſius Sinceri amico, & ipſo Siculo. cujus viri e tam multis carminibus tam pauca extare, nunquam ſatis deplorari poteſt, niſi Pauli Jovii & Lilii Gyraldi ſubactis auribus nihil plane deferendum putes. Petri Gravinæ Epigramma in Gonſalvum Ferdinandum quem magnum ducem vocabant apud Jovum Legitur L. 4. Elpg p. 141. in Proſperum Columnam. L. 5. p. 165. omiſſa itaque ulteriore in hæc portenta inquiſitione, de iis agamus quos melioribus auſpiciis poſteritati commendatos voluit nobiliſſima Sannazarii Muſa.

Digitized by Google

Dum flens Eumenidum verbera torta timet?
Illum olim tinctæ juverunt felle ſagittæ:
Nunc miſerum facti pœnitet uſque ſui.
Parcite tam chari manes violare parentis,
Per ſtupra, & talos, per cyathoſque rogo.
Ars ſua quenque juvet: non vos Helicona ſubire,
Non fas virginei polluere amnis aquam.
Scilicet hanc ſumpto Joviani Muſa cothurno
Hauriat, & magno digna Marone ſonet.
Cui comes intactæ luſtrans ſacraria ſylvæ

 Alti-

V. 15. Joviani Musa.] de Joanne Joviano Pontano abunde dictum eſt ad nonam hujus libri elegiam.

V. 17. *Cui comes intacta luſtrans ſacraria ſilvæ*

Altilius.] Gabriel Altilius, Lucanus, Junioris Ferdinandi Regis præceptor fuit, poſtea Epiſcopus Policaſtrenſis, (*Buxentum* eam urbem vocant antiqui) vir omnium ejus ſæculi eruditorum judicio & modeſtiſſimus & doctiſſimus. plurima ejus atque honorificentiſſima mentio eſt in ſcriptis Pontani, (qui & librum de Magnificentia ei dedicavit) apud noſtrum Sincerum, Baſilium Zanchium, Alexandrum ab Alexandro, Paulum Jovium, Lilium Gregorium Gyraldum, &c. exſtat illius epithalamium Iſabellæ Aragoniæ cantatum, quod multis laudibus effert ipſe Cæſar Scaliger, haud mitis alioqui judex, legitur id in tomo primo poëtarum Italorum. neque ego memini ullum aliud Altilii carmen typis editum vidiſſe, præter unam elègiam (Bælius hic legit epigramma p. 216 lit. non bene oculis uſus.) unde colligo non parvam ejus verſuum jacturam factam fuiſſe. Auctor enim eſt Paulus Jovius, Altilium uſque adeo molliter, atque admirande, in elegis, & heroico carmine excelluiſſe, ut Pontani atque Actii teſtimonio antiquis vatibus æquaretur. neque multum ab illo abit Lilius Gyraldus. ubi autem elegi iſti? de odis Altilii audi noſtrum l. 2. El. 2.

Altiliuſque novos Superis laturus honores
Pindarica feriat carmina docta lyra.

Ubi vero & odæ? hoc damnum ut aliquo modo reſarciatur, rem me non ingratam facturum confido Muſicarum lautitiarum ſtudioſis, ſi verſus quoſdam Altilii publicavero hinc illinc e diſperſis ſchedis collectos, inque unum quaſi faſcem coëgero, ſunt autem iſti.

IN CHRISTUM SEPULTUM.

Tene ego, magne pater, tene alti rector Olympi,
Tene ego ſic lacerum indignos crudeliter artus,
Sic poſitum aſpicio? quem non vaſta atria cœli,
Non mundus cepit: tegit heu brevis urna ſepultum.
Nec miſeri aſſiduos lacbrymarum fundimus amnes?
Tanta nec æterno deflemus funera luctu?

At

Altilius, docto pectore carmen hiet.

Nec

At tellus tremefacta, latenſque in nubibus aër,
Cunctaque turbatis flerunt elementa figuris:
Flevit Sol nigra tingens ferrugine cœlum,
Ipſaque lugubri crines velavit amictu
Auctorem miſerata ſuum mœſtiſſima Phœbe:
Atque averſa novus ſtupefecit ſidera mundus,
Heu dolor, heu pietas! heu qua manus impia tantum
Auſa nefas? neque enim diris illa excidit auſis.
Anne parum fuerat, patrium modo linquere cœlum?
Nec dedignatum miſera commercia terra?
Quodque Deum miſcens homini (mirabile dictu)
Induere humanos non faſtidiveris artus?
Triſtia quin dira paſſus ludibria gentis,
Ferre necem, & noſtro voluiſti occumbere leto.
Sic quondam cara divulſus ab ubere matris,
Mitis ubi exſtructas agnus mactatur ad aras,
Noſtra luis commiſſa, tuo nos ſanguine ſervas,
Dulciaque æterna das noſcere præmia vita.
Quo jam, ſumme Pater, (nam ſupra quicquid, & infra eſt,
Te venerata tuos obſervant omnia nutus)
Da, ſeu te infirma tangunt contagia partis
Terra, Prometheumque lutum, primordia noſtra;
Seu dolor, & faſſa ſpes non indebita venti,
Nec tua difficilis noſtræ clementia culpa;
Ut qui mœſta pii repetentes orgia ſacri
Annua ſolenni colimus myſteria luctu,
Per te pacata defunctis munere vita,
Supremus tenues cum ſpiritus ibit in auras,
Elyſii læta arva poli, ſedeſque beata,
Pollicitique tui pateant non irrita dona.

Ejuſdem.

Hanc faciem, & niveatam rarum frontis honorem,
Hiſve roſis hac quis lilia miſcet? Amor.
Quis gemina aut illic ſuccendit ſidera? quiſve
Arcum illic, illic ſpicula condit? Amor.
Rubra quis in teneris polit hac corallia labris?
Aut hoc intus ebur finxit ab arte? Venus.
Quis decus effingit morum? quis verba loquenti?
Clamve decor qui te ſubſequitur? Charites.
Quis formam ſine labe dedit? digitoſque manuſque?
Quis format nullo crimine membra? Venus.
Quis mihi perpetuos hos nutrit in oſſibus ignes?
Frons, oculi, facies, verba, labella, decor.

Ejuſdem.

Junius ut primum materna eſt editus alvo,
Mirata puerum circuiere Dea.
Dum certant, optatque ſuum dum qualibet: inter
Certantes rapuit Cypria baſiolum,
Atque ait: Hac noſtrum defendant pignora. at illi
Preſſa rubet tenui nunc quoque mala nota.

Ejuſdem.

Sive furor, ſeu ſit ratio, contemnere vitam,
Alterius vitam perdere dum properas:
Inde mones, juvenum confidentiſſime, quam ſit
Et fragile, & fallax, & breve vita bonum.

Quædam ſuper ætate Altilii, quæ huc adjici poſſent habet Bælius T. 1. Dict. Crit. p. 215. 216. quædam mihi debet.

¶. 18. ALTILIUS *docto pectore carmen hiet.*]

illud

Nec minus & Muſæ repetens monimenta jocoſæ
Compater, argutos ingerat ore ſales.
Elyſiuſque hedera comptus florente capillos

illud *carmen hiare* iterum occurrit apud noſtrum lib. 2. El. 1.

Hic mihi puniceo Pontani Muſa cothurno
Incipiet poſito carmen hiare mero.

quod an ſatis Latine dicatur, non auſim affirmare. decepit, puto, virum eruditiſſimum locus Propertii, qui eſt l. 2. El. 22. ubi loquitur de ſignis & ſtatuis in porticu Apollinis Palatini,

Hic equidem Phœbo viſus mihi pulchior ipſo
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.

qui idem locus Janum quoque Lernutium (liceat ita loqui) in fraudem pellexit præfatione Baſiorum:

Nunc olim miſſos juvat inſtaurare calores,
Et teſtudinea carmen hiare lyra.

Propertius ut vides imaginem marmoream deſcribit, tam affabre factam ut canere videatur, ac ſimul lyram pulſare: iſti ad homines vivos tranſtulerunt, etiam Paullus Meliſſus Schediaſm.

V. 19. —— MUSÆ *repetens monumenta jocoſæ*
COMPATER *argutos ingerat ore ſales.*] Petrus Compater, (Pœtum vocat Sincerus) Neapolitanus vir fuit inter primos ſuæ ætatis eruditus, hilaris, ac feſtivi ingenii, &, ut ferunt, poëta lepidus, quanquam illius nihil, quod quidem ſciam, extat. Laudat eum ab officioſitate Pontanus Lib. de beneficentia c 7 p. 225. Crebræ ejus ſunt partes in dialogis Pontani, qui & primum Tumulorum librum Comparti inſcripſit, & in Amoribus ac Bajanis ludit cum eo non ſemel. obiit Neapoli cum poëta noſter exularet in Gallia, a quo defletur cultiſſimis terſiſſimiſque hendecaſyllabis, qui extant libro Epigrammat. ſecundo. mire ſemper abhorruit à nuptiis, quod & teſtatum voluit in ſepulchri ſui inſcriptione, quam mecum olim communicatam memini a præceptore meo Hadriano Juno, viro præſtantiſſimo,

QUID AGAM QUÆRIS?
QUIESCO.
QUI SIM SCIRE CUPIS?
FUI
VITÆ QUÆ FUERINT CONDIMENTA ROGAS?
DOLOR, LABOR, LUCTUS;
SERVIRE SUPERBIS DOMINIS;
PATRIÆ VIDERE EXCIDIUM;
QUOS CAROS HABES SEPELIRE:
NAM UXORIS QUIDEM MOLESTIAS NUNQUAM SENSI.

Paullo aliter legitur ap Sweertium delic. orb. Chriſt. p. 89. Wolfium. T. 2. Memorab. p. 872. Apianum. p cxv.

UXORIS.] v. Pontanus III. de Obedient 3. p. 39. ſq.

V. 21. ELYSIUSQUE *hedera comptus florente capillos*, &c.] Is eſt Elyſius Calentius, Appulus, ex Amphracta oppido, familiaritate Pontani, Sannazarii, atque Altilii nobilis, ſed admodum pauper, quod eſſet vagis multiſque amoribus implicitus. Extant illius Elegiæ, quas vivens Angelo Colotio Epiſcopo Nucerino dedicavit, & Epiſtolæ ſoluta oratione ſcriptæ. inter infelices literatos numeratur a Joanne

Digitized by Google

Rara, ſed Aoniis concinat apta choris.
Extendatque armis titulos Aquivivus avitos,
Et doceat noſtras cernere caſtra Deas.
Ipſe ſuæ referat Cabanilius ardua Trojæ
Mœnia, & antiquos, Appula regna, lares.
Quique velut tenera ſurgit novus arbore ramus
Corvi-

Pierio Valeriano. parum benigne de eo judicat Echo apud Douzam F.

Cujus iners tibi viſus amor, neque digna puella
Cui campi pateant Elyſii? Elyſii.

V. 23. *Extendatque armis titulos* AQUIVIVUS *avitos,*
Et doceat noſtras cernere caſtra DEAS] Andreas*Matthæus Aquivivus, Hadriæ, ſive Adriæ, Dux, (ea eſt Aprutii urbs, in colle ſita, hodie *Atri*, nunc quoque ducatus domus Aquivivæ) vir fuit inter primos ſuæ ætatis memorandus, & literarum & armorum gloria longe nobiliſſimus. Jovius Elog. p. 88. hujus frater erat Beliſarius, Neritinorum dux, auctor librorum de Venatione. de aucupio. de re militari, de ſingulari certamine. v. Simlerus Bibl. p 93. horum primum Laudat Camerarius Cent. 1. Medit. c. 22 p 113. c. 23. p. 122. c. 24. p. 127. errorem meum notavit Bælius l. c. p. 323. Lit. B. ſed ego jam ipſe videram ante Bælium & notaveram p. 231 ad Epigr. 44. quo hæc ſunt referenda. v. Jov. Pontanus præfat. Libri de Magnanimitate p. 426. quanti eum fecerit noſter Sincerus, multis e locis colligas, e fine egregiæ iſtius elegiæ quæ ultima eſt libri ſecundi, & nobili illo epigrammate ſecundo libri ſecundi. addi iis poteſt maſcula plane elegia Michaëlis Marulli in funere Julii Aquivivi, hujus Andreæ patris, qui periit in prælio contra Turcas, *Nuncia fama patris ad nos pervenit ademti*, lib. 1. Pontanus libros ſuos de Rebus Cœleſtibus poſt viginti annorum intervallum Aquivivi hortatu non tam reſumſit, quam ex integro ſcribendos ſuſcepit, eorumque primum Aquivivo nomini dedicavit. neqne id profecto ſine grata mercede. nam cum Pontani ſcripta ab auctoris obitu in tenebris jacerent, primus eos quos dixi libros, una cum libris de Fortuna ac de Immanitate, in lucem publicam beneficio ſuo pertraxit eruditiſſimus Hadrienſium princeps proprii quoque ingenii fœtus, ut auctor eſt Jovius, edidit illuſtres ac præſtanti ſua eruditione dignos, librum nempe nobilem cui *Encyclopædia* nomen, itemque commentarium in Plutarchum de Virtute Morali. non placent hæc P. Bælio Dict. Crit. Lit A v. Jovius Elog doct p. 88 noſter L 2. Elog. 2 v 35. vixit in jucundo ſplendidoque otio, ſed Muſis dicato, totos quatuor ac viginti annos, obiitque ſeptuaginta ac duorum annorum ſenex. de Cabanilio, qui proxime ſequitur, dictum eſt nonnihil ad Eclogam ſextam de Corvino nihil mihi adhuc compertum. Matthæi Albini meminit Joan Pierius Valerianus Epigr. lib. 1. neque alium eſſe puto ab hoc noſtro: nihil tamen habeo quod de eo adferam, niſi quod a Pontano memoretur lib. 1. Bajarum carmine ultimo.

V. 25. CABANILIUS.] V. Sweertius Delic. p. 84.

Digitized by Google

Corvinus, quavis aure probanda canat.
Et qui Pieriis reſonat non ultimus antris
Albinus, referat Principis acta ſui.
Tu quoque quid ceſſas doctis deflere querelis

H 5 Excidium

V. 31. *Tu quoque quid ceſſas doctis deflere querelis*
Excidium patriæ, culte MARULLE, *tuæ.*]
Michael Marullus Tarchaniota Conſtantinopolitanus, ſecd in Italia e nutritus, etiam natus ni fallor v. II. Epigr 34. p. 25. b. (craſſiſſimus eſt Bælii error p. 574.) ubi & inter alarios equites meruit. extant ejus Epigrammata & Hymni, centies cuſa & recuſa, miro vel favore ſæculi, vel judicio doctorum. apud ſui certe ævi homines tanto fuit in pretio, ut etiam antiquis compararetur, dignuſque judicaretur, cui poſthaberent elegantiſſimum Politanum, nulli fortaſſe veterum in his literis quæ ab humanitate nomen ſortiuntur poſt habendum nec tamen defuerunt e poſterioribus qui Marullum, tantum abeſt ut cum ſummis conferrent, infra infimum quoque deprimerent. in Hymnis adjutum fuiſſe a Joan. Franciſco Pico erant qui aſſererent Lilii Gyraldi ætate. quod tamen mihi neutiquam veriſimile ſit, cum conſtet Picum tanto ſtudio incubuiſſe Chriſtianæ theologiæ, ut omnem prorſus ſtyli atque elocutionis ornatum neglexiſſe merito videri poſſit. Marullum vero ſi legas, nec volam nec veſtigium hominis Chriſtiani invenias. niſi in oda ad Carolum VIII. quæ legitur L. 4. Ep. 31. Hymnus in Jovem Opt. Max complectitur Creationis Hiſtoriam, ſed miris modis a Chriſtiana fide detortam agnoſcit tamen unigenam Jovis filium, cui a patre commiſſa ſit rerum omnium cuſtodia &c. quæ tamen in Pallada deinde confert Hymno inſequente L. 2. Hymno 3. dicit Jovem ridere mortalium preces & querelas, ſemel enim lege quadam æterna conſtituiſſe fatum, quo omnia agantur; fatum vero nihil eſſe aliud, quamvis vim illam præpotentem ab influxu aſtrorum; hinc ingenia hominum ac fortunas, totamque adeo univerſi machinam aliter atque aliter temperari diis quieſcentibus. verum ac ſerio fuiſſe paganum liquet ex II. Hymno 8. & ex initio Inſtitutionis Principum. neque ego ſane conjectare poſſum, unde tumidum inſolentis Græculi ſpiritum tanta dignati ſint humanitate viri eruditiſſimi, niſi quod inuſitatum hactenus eſſet videre hominem Byzantinum qui magna volubilitate verſus faceret Latinos. Acris eſt J C. Scaligeri cenſura in Hypercritico; ea tamen multo acrius in Marullum invehitur Franciſcus Floridus Sabinus integro libro, cui titulus Defenſio pro Linguæ Latinæ auctoribus, idque occaſione hujus Marulliani epigrammatis, quo cenſuram agebat poëtarum Latinorum,

Amor Tibullo, Mars tibi, Maro, debet;
Terentio ſoccus levis:
Cothurnus olim nemini ſatis multum;
Horatio Satyra, & Chelys:
Natura magni verſibus Lucretii
Lepore Muſeo illitis:
Epigramma cultum, teſte Rhallo, adhuc nulli:
Docto Catullo ſyllaba.
Nos ſi quis inter cæteros locat vates,
Onerat quam honorat verius.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

&

Excidium patriæ, culte Marulle, tuæ?

Quique

& tamen hoc præclarum, ſi Muſis placet, judicium miris in cœlum laudibus effert inſignis ſuo ſæculo nugator Petrus Crinitus lib 22. de Honeſta Diſcipl. c. 7. cui ego longe præfero quæ caſtigationibus ſuis in Catullum non uno loco de Marullo immiſcuit Joſ.' Scaligor. ſatis feſtive Steph. Paſchaſius Lib. 1 Icon. 129 Admirabilis ingenii virum elegantiſſimumque Poëtam vocat Victorius in Cicer. XI. ad famil, 20. p. 184. a. vocemus & ad partes Joan. Matthæum Toſcanum, Italorum poëtarum collectorem ante Gruterum. Sic ille de ſuis epigrammatis ad lectorem:

Carmina ſi tantum laudas facunda Catulli,
Aut perfuſa pari ſi qua lepore madent:
Et ſi faſtidis vatem quem protulit alta
Bilbilis, Heſperiæ proxima terra freto:
Pone, precor, chartas (levis eſt jactura) jocoſas.
Non mea ſubducti eſt Muſa ſupercilii.
Sed ſi Borbonios, ſi volvis, amice, Marullos;
Non adeo ſunt hac deteriora; lege.

non diffiteor eſſe apud Marullum quod laudes: ſed multo ſunt plura quæ carpas. neque ullum Poëtam umquam vidi, qui in Syllabarum modulis & pedum permutatione inſolente, tantum ſibi voluerit licere, credas ἄρες ἄρες ſemper ante oculos habuiſſe. neque admirabile illud Ingenium, quod ei Victorius tribuit ſemper reperire poſſum. quocirca non poſſum non iraſci Secundo noſtro tam magnifice de Marullo ſentienti Epigrammate 32. cum vel unum Secundi Baſium præſtet trecentis Marulli paginis Ego vero quod tumidum dixerim, aderem & praeferocem & inſulſe jactabundum, habeo quo me defendam: etiamſi à militia non abimus, a qua ille ſibi tantopere placet, audi Sannazarium noſtrum, qui & ipſe militavit non ſine gloria. l. 2. El. 1. ad Alfonſum Regem:

Ipſe ego quæ vidi, referam: ſcit Tuſcula tellus,
Quaque cadit ſublimo lympha Aniena jugo:
Nam duce te, Latias ferro dum ſubruis agros,
Tempora militiæ prima fuere mea, &c.

Hæc de ſe ipſo: quid de Andrea Matthæo Aquivivo, non tantum milite, ſed militiæ duce?

Macte animo, rigidum Muſas qui ſtringere ferrum,
Qui Martem doctos cogis amare choros.

agnoſcis, opinor, virum bonum, id eſt, ut Galli hodie loquuntur, honeſtum hominem, nunc Marullum audiamus Laurentio Medici librum ſuum offerentem:

Inter mille neces, durique incommoda Martis,
Quis putet Aonias poſſe juvare Deas?
Hic quoque, Laure, juvant: perque arma enſeſque ſequuntur:
Militiæ comites nec pudet eſſe meæ.
Quaque manus ferrum, poſito fert enſe libellos:
Et placet, & Muſis eſt ſine dulce nihil.
Sed tamen his ſtudiis debetur laſſa ſenectus:
Interea certe ſudor uterque decet:
Tu modo, diverſo gladios dum ſtringimus orbe,
Hoc tibi ſinceri pignus amoris habe.

Ejuſdem commatis ſunt iſta:

Hoſtibus eveniant funera lenta meis.

Hoſti-

Quique tot egregias animas, tot clara virorum
Ingenia

Hoſtibus eveniat molli tabeſcere lecto,
Amplexus inter fœmineoſque mori.
Arma viros, cadeſque decent, &c.

ne quid dicam de epiſtola ad Neæram, his talibus exceptis ſatis bona. placent iſta quidem prima fronte, & fortem oſtentare animum videntur: ſed, ſi verum amamus, Thraſoni alicui Scenico melius conveniunt, quam viro cordato. & hæc quidem hactenus. Uxorem Marullus duxit Alexandram Scalam, Bartholomæi filiam, Græce ac Latine haud mediocriter eruditam, ad quam extant aliquot Græca Politiani epigrammata. hæc eſt ejus Neæra v. II. Epigr. 34. quam minime formoſam fuiſſe oſtendit Fierenzola apud Caſſandram fidelem p. 220. eam epiſtolam Marullus quum ſcriberet nondum ei deſponſa erat Alexandra quod Iſtic clare liquet. Ipſe autem ſuffocatus eſt in Tuſciæ amne Cecina, fallente equum veſtigio v. il Lancelotti L. I. *chi l'Indovina è Savio* p. 64. cui pugnantia tradit Volaterranus Paralip. p. 1462. B. miſerabile id leti genus multis annis ante ipſi prædictum fuiſſe, indeque ſemper aquas timuiſſe, auctor eſt Pierius Valerianus in Dialogis de literatorum infelicitate, qui rei veritatem ignorare non poterat, ipſumque adeo carmine quodam ſuo, multo ante Marulli mortem, poſteritati palam fecerat. hæc oppugnat Bælius p. 575. b. Lit. H.

Multa Marullæ gentis epitaphia Anconæ leguntur quæ exſcripſit Sweertius Delic. orbis Chriſt. p 123. ſeqq Ipſe Michael multos commemorat hic illic. ecce Janus frater I. Epigr. 22. II. 34. Michael Tarchaniota, avus Maternus. I. 27. Euphroſyne Tarchaniota mater I. 52 II. 34. Philippus Marullus avus paternus I. 39. ejus filius Manilius I. 89. — filia — uxor Thomæ —— I. 39. Paullus Tarchaniota, Euphroſynæ frater I. 5. IV. 28. Manilius Marullus pater II. 37. Nicolaus Tarchaniotes memoratur Fr. Philelpho XII. Epiſt. 57. 58. 76. *Marulli pauca legi tolerabilia, ſi minus haberent paganitatis.* D. Eraſmus Ciceron. p. 148. confer Beati Rhenani parænesin poëmatis præfixam edit. Argentor. 1500. 4. in Polonia aliquanto tempore fuiſſe videtur v. I. Epigr 22. II. 34 III. 37. II. hymn. 8. Natus videtur in Italia v. II. Epigr. 34. Gyraldus Dial. I. de Poët. ſui temporis. p. 384. imo Raguſæ v. IV. Epigr. 16. Villam a Medicæis habuit v. II. Hymnum. 2.

Bælius graviſſime peccavit in rebus Marulli. ponam Notas, quibus ille uti ſolet. Dicit. Conſtantinopoli, ubi natus eſt, exceſſiſſe, corroborata jam ætate. A. cum Politiano lites maledicentiſſimis literis exercuiſſe adſerit, idque probare vult teſtimonio Jovii † in marg. cujus Jovii verba ſatis clare agunt de Barthel. Scala (exſtant iſtæ epiſtolæ apud Politianum L. 5) de transferendi munere contento F. nihil opus erat teſte Varillaſio: locupletior erat Jovius. Lit. h. in margine confundit diem, quo captus eſt Ludovicus Sfortia, cum die quo in ulteriorem Galliam eſt perductus. Lancelotti quoque & Volaterrani loca inter ſe pugnantia erant diſcutienda. Quod ſi Bælii calculus recte procedit, jam Marullus fuerit fere ſeptuagenarius quum aquis ſuffocaretur. capta eſt enim Conſtantinopolis A. 1453. die 29. Maji. v. Bucholcer. Chronolog. p. 411. Calviſius Chronolog. p. 795. at Marullus patria excedens, ſi Bælio ſtamus, tantum in ſenſu religionis atque honoris profecerat, ut vicennario minor eſſe vix potuerit. nunc

tu

Ingenia enixu format, alitque ſuo,
Nectat honorata Majus ſua dicta corona,
Tamque pias ferulas regia ſceptra vocet.
Quin & rite ſuos genio Chariteus honores
Præbeat, & feſtas concinat ante dapes.
Ælius at blandæ fretus dulcedine linguæ,
Facunda totos conterat arte dies.
Nec te jam pudeat venturo oſtendere ſæclo

Eloquii

tu ipſum Marullum vide II. epigr. 34 IV. 16. Gyrald. l. c. p. 384.

V. 35. & ſeqq. *Nectat honorata* MAJUS *ſua dicta corona.*]
Junius Junianus Majus vir fuit ea tempeſtate inſigniter eruditus, multorumque illuſtrinm ingeniorum formator, inter quos & noſter Sincerus fuit. Scripſit librum *de priſcorum verborum ſignificatione:* editum Tarviſii typ. Bart. Confalonerii 1480. fol. illum autem, ut obſervat alicubi G J. Voſſius, ex reliquiis Nonii Marcelli, Feſtique Pompeji, cæteriſque Grammaticorum priſcorum fragmentis, tum temporis nondum editis, compilaverat. libro ſecundo elegia eſt poëtæ noſtri ad Junianum Majum multo elegantiſſima. ſcripſit & epitaphium illi Jovianus Pontanus, quod legitur primo tumulorum libro

V. 37. *Quin & rite ſuas Genio* CHARITEUS *honores Præbeat.*]
Fuit & hic ex alumnis Academiæ Pontanæ, vir ſplendidus & elegans, tam ingenio, quam cultu ac vita familiari: cuique hoc nomine librum ſuum de Splendore inſcripſit Pontanus. nec minus in gratiam amici ſui elegantem confingit de Limonibus fabulam, quas Charites primum inventas Veneri donum tuliſſe longe gratiſſimum refert, lib. 2. de Hortis Heſperidum:

Et Citri juvet umbra, juvent Limonides auræ,
Heſperidum & veteres cantu renovemus honores.
In manibus nemus auricomum, Chariteiaque arva:
Veſtrum opus, o Charites, veſtro nam munere quondam
Itala Limonem noverunt littora, &c.

V. 39. ÆLIUS *at blanda fretus dulcedine lingua.*]
Franciſcus Ælius, vir mire facundus, ſed de cujus ſcriptis nhil unquam inaudivi. vide lepidum de eo carmen Pontani Bajarum lib. 1. & epitaphium Tumulor. l. 1.

V. 41. *Nec te jam pudeat venturo oſtendere ſæclo*
Eloquii vires, SCALA *diſerte, tui.*]
Bartholomæus Scala, Florentinus, patriæ ſuæ ſcriba publicus, ſive, ut nunc loquuntur, ſecretarius, multa ſcripſit, quæ utrum edita ſint, necne, ignoro. Jac. Gronovius Epiſt. ad P. Francium pridie Kal. April. A. 1684. *Significare potes* (Broukhuſio) *Bartholomæi Scalæ Hiſtoriam Florentinam editam eſſe Romæ anno hujus ſæculi* LXXVI. *ab Oitiero Jacobæo Dano cui eam dederat Magliabecius.* Videri debet Voſſius Lib. 3. de Hiſtor. Lat. cap 8. p. 556.

Eraſmus Ciceroniano p. 281. *non exprimam quorundam nomina quibus fortaſſe in votis ſit vel ſic innoteſcere. de Bartholomæo Scala dicam cui Her-*

molaus

Digitized by Google

Eloquii vires, Scala diſerte, tui.
Certent Socraticis Zenonis ſcripta libellis,

Cujus

molaus & Politianus viſi ſunt parum Ciceroniani, ipſe ſibi Tullianus eſt viſus, utrumque diſſimulat, At ego malim ſomnia Politani, quam quæ Scala febrius ſummoque ſtudio elaboravit.

Politianus L. 12. Epiſt. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14 15. 16. 17. 18. 19. amœbeæ ſunt: oſtendunt autem omnes & ſingulæ Scalam fuiſſe mordaci ac virulento ingenio hominem; inepto tamen & futili; quod ipſum de eo homine ſenſit Joſephus Scaliger Epiſt. 21. p. 120. *Nam de Scala illo nihil dicam aliud quam totius Latinitatis hominem ignarum fuiſſe itaque de eo* ὀυδεὶς λογος: *non magis quam Megarenſibus, quos ἐν ὀυδενὶ ἀριθμῷ ponit oraculum.* is ſibi Ciceronianus videbatur, Politiano ne Latinus quidem, cujus hæc ſunt, Epiſt. 3. lib. 5. *Quod vereris ne te inter Ciceronianos numeremus; ſuſpicione iſta falſa te libero. Nec eſt cur Theodorum ob id deſideres aliquem: tale nihil de te (crede mihi) homines exſtimant. Nec vero ego id unquam dixi: non ſum tam temerarius, nec audax, nec mendacia qui loquar libenter. Nam quod Livium modo, & Salluſtium probas; Quintilianum, Senecam, Plinios ambos rejicis; cauſa eſt, opinor, quod otium tibi nondum fuerit hiſtoriam ſcriptitanti, etiam horum virtutes inſpicere. Sed & affectatam videri tibi orationem meam facile patior, quoniam dictandis epiſtolis ſcriba publicus aſſuetus probare eum ſtylum maxime debes, qui a vulgari conſuetudine minus abhorreat. Nec in eo tu reprehendendus tamen, quoniam plerumque ad indoctos epiſtolæ iſta veſtra mitti ſolent: nos contra, qui juventuti veterum ſcripta prælegimus, delectum habere verborum ſententiarumque didicimus*, &c. & alibi, *Multa tu quidem, credo, ſcripſiſti, non multa adeo tamen edidiſti, quæ vulgo ferantur. Sed hiſtoriam certe componis, longum opinor opus, & arduum. Quod ergo in te ſtatuis exemplum, ſi nec bonorum quidem auctorum vocibus utemur tuto?* quid igitur, an hæc potuit ignorare Sannazarius, tam tereti aure homo, atque perpurgata? non potuit: ſed Scalæ in lucrum ceſſit quod Marullo filiam ſuam Alexandram in matrimonium collocaſſet, quodque Marullum inter ac Politianum lites eſſent æternæ, & plus quam capitales, de quibus ſuo loco. Scalam illum vexilliferatus honore in urbe ſua functum didici e Paulo Jovio. Elog. p. 35. ipſe apud Politianum. L. 12. Ep. 16. p. 343. Nunc Marullum audi, ad ſocerum ſuum,

Cum Muſæ tibi debeant Latinæ
Tot juncto pede ſcripta, tot ſoluto,
Tot ſales Latio lepore tinctos,
Tot cultis documenta ſub figuris,
Tot volumina patriæ dicata,
Quæ nulli taceant diu minores,
Tot prætoria jura, tot curules,
Tot faſces proprio labore partos:
Plus multo tamen, o beate amice, eſt
Quod Scalam Latio pater dediſti,
Aucturam numerum novem ſororum
Caſto carmine, caſtiore vita.

v. Marull. III. Epigr. 4. 41. IV. 4. 13. 17.

V. 43. *Certent Socraticis* ZENONIS *ſcripta libellis.*]

Rutilii Zenonis, Epiſcopi Sancti Marci, nulla, ut opinor, ad poſteritatem ſcripta pervenerunt: neque incredibile videtur, quicquid horum fuerit periiſſe in communi illa clade regni Neapolitani. Virum fuiſſe eruditum, probum, ac pium apparet ex præfatione Pontani in librum ſuum de Beneficentia, quem Zenoni

Digitized by Google

Cujus apis vernos intulit ore favos.
At tu Caſtaliis non inficiande choreis,
Caſtalidos, Carbo, nunc cane regna tuæ.
Te quoque, quem gemina mulcet ſapientia lingua,
Parde, juvet ſtudiis invigilare tuis.
Atque alii, quorum doctas it fama per aures,
Extremo properent vincere fata die.
Nos quoque, ſi magnus non averſatur Apollo,
Cante-

ni inſcripſit, e qua hæc mihi notanda videbantur: *Neque inutiliter igitur, neque ab re de Beneficentia ipſa præcepta libro hoc tradidimus, te præſertim hortante, beneficentiſſime Rutili, qui tenui quamvis in re perexiguoque ſacerdotio conſtitutus, nullam tamen beneficentiæ partem aut omittis, aut non minus etiam libenter, quam frequenter exerces. Quamobrem noſtra hæc legens, actionesque ipſas tuas paſſim recognoſcens, ſat ſcio, non tam excitabere ad beneficia in plurimis, quod quidem facis, collocanda, quam ad conſcientiæ tuæ bonarumque actionum fructum, & quidem quotidianum, de lectione percipiendum, eaque pergendum via, per quam & antiquis & noſtris item temporibus incedentes non pauci inter divos relati ſunt, atque in Deorum immortalium numero habiti.*

V. 45. *At tu Caſtaliis non inficiande choreis*
Caſtalidos, CARBO, *nunc cane regna tuæ.*]

Hieronymus Carbo, patricius Neapolitanus, cariſſimus ut noſtro poëtæ ita & Pontano fuit. *Doctiſſimis ingenii ſui monimentis eruditorum de ſe omnium exſpectationem exæquarat.* Pier. Valerianus Lib. 1 de Literat. Infelic. p. 29. v. Jov. Pontanus Lib. de Immanitate, quem Carboni inſcripſit p. 586. ſq. luſit etiam non nulla, ut teſtatur Lilius Gyraldus Dial. 1. de poëtis ſui temporis: *eſt & adhuc Hieronymus Carbo ex eadem Academia*, (Pontana) *nobilis Neapolitanus, cujus etiam viventis pauca leguntur.* ſed & iſta pauca perierunt. Exceptis, inſigni elegia ad Aug. Niphum, præfixa Libro Niphi de Vera vivendi Libertate & epigrammate, in editionem operum Pontani a Summontio, quod ut hic legatur non eſt indignum:

Pontani manes, & ſacri Muſa poëtæ,
Cui nunc Elyſium concinit omne nemus:
En tua jam volitat doctas poſt fata per aureis
Fama, nec a longa poſteritate timet.
Te manus omnis habet, ſenior, juveneſque, puerque
Obſervans cupido detinet uſque ſinu.
Hoc tibi poſt obitum præſtat Summontius, uni
Dum cura eſt, cineri te ſupereſſe tuo.
Ut quæ ſæva duces vicit mors, ſæva tyrannos,
In te unam doleat juris habere nihil.
Ipſa licet gelido conſumſerit oſſa ſepulchro,
Non terere ingenii tot monumenta poteſt.
Quæ non longa dies, rapidus non læſerit ignis,
Nullaque ab irato fulmina miſſa Jove.
Nec ſatis hoc: majus nomen tibi creſcit in horas,
Aſtraque ſublimi vertice ſumma ferit.

illud porro *Caſtalidos regna*, videtur denotaſſe majus aliquod opus, de quo meum non eſt quicquam divinare.

Digitized by Google

Cantemus Nymphas, capripedeſque Deos.
Nam bene Theſpiacas, livor licet audiat, undas
Novimus, & dextro preſſimus antra pede.
At vos incautis ſociis aconita parate,
Et furtis miſeras exſtimulate domos:
Oedipodique modo, thalamos fœdate paternos,
Si modo dat certum vulgus habere patrem:
Nocturniſque dolis agitate, & cædibus urbem,
Perque fora infeſtam reddite, perque vias.
Hæc ſtudia, has artes primis didiciſtis ab annis,
Non Aganippææ tangere fila lyræ.
Nam neque Calliope vobis, nec dexter Apollo
Permeſſi ſanctos exhibuere lacus:
Dira ſed Alecto gemina comitata ſorore
Pocula cœnoſo de Phlegetonte tulit.
Nimirum hinc nigro mores, & carmina tabo
Pallent, & fœdo livor in ore ſedet.
Fallor, an hos nobis miſit gravis Ætna Cyclopas:
Mitis & hanc ſentis tu quoque terra luem?
Heu mea Parthenope, quæ te contagia lædunt?
Talia tu nunquam gignere monſtra ſoles.
Dii patrii, quorum monitis huc advena claſſis
Appulit, Euboicas conſtituitque domos:
Littoribus talem noſtris avertite peſtem
Mœnia felici ſi poſuiſtis ave.
Voſque umbræ inſontes, quas jam lethale venenum
Ante diem Stygias ire coëgit aquas:
Ultrices huc ferte faces, fumoque ſequaci
Authores veſtræ ſollicitate necis.
Et vos o vatum certiſſima numina, Muſæ,
Numina carminibus non violanda meis,
Parcite, ſi veſtras nunc primum læſimus aures:
Juſta laceſſita ſumpſimus arma manu.

ACTII

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* ELEGIARUM.

LIBER II.

I.

AD ALFONSUM FERDINANDI FILIUM ARAGONIUM SICILIÆ REGEM.

Alfonſe, invicto laus acceſſure parenti,
  Heſperios inter non leve nomen avos:
Quid me laudatos Parnaſſi mittis ad amnes?
  Obruitur largo flumine noſtra ſitis.
Gloria Virgilio eſt, currus, atque arma referre:
  Naſonis medio fata in amore mori.
Battiaden docti ſectatur Muſa Properti.
  Flaccus Pindaricos dividit aure modos.
Paſſeris exequias fracto canit ore Catullus.

Tu

Ad Alfonsum.] v. Pontanus L. 5. de Prudent. p. 391. ſq.

Digitized by Google

Tu Nemeſim laudas, culte Tibulle, tuam.
Omnia non uno deſudant eſſeda campo:
Noſter in exiguo tramite currit equus.
Si me Caſtalia docuiſſet Phœbus in umbra,
Oraque Gorgonea noſtra rigaſſet aqua,
Meque vel Æſchyleo donaſſet Muſa cothurno,
Et foret in noſtro grandior ore ſonus:
Non ego Phaſiacæ canerem certamina pubis,
Æquora non prima ſollicitata rate,
Non conjuratos ſubvertere Pergama Reges,
Non Trojæ profugos poſt duo luſtra deos,
Thebanaſve acies, fratrumque immitia bella,
Sævaque diſcordi funera rapta pyra:
Teque, tuoſque meo celebrarem carmine: nec me
Pignore tam grato dulce gravaret onus.
Nam canerem victoſque duces, Hiſpanaque regna,
Horridaque a proavis bella peracta tuis.
Demiſſumque genus antiqua ab origine Regum,
Quantaque magnanimi geſta feruntur avi,
Dum Libyæ tractus, veteres Carthaginis arces,
Lotophagum dites & populatur agros,
Reginæ accitu mox Itala regna ſecutus,
Chalcidicaſque arces, Parthenopenque ſubit.

I Sed

V. 30. LOTOPHAGUM *dites & populatur agros.*
Lotophagites, } (*Gerbi* Italis, *l'Iſle des Gerbes* Gallis) parva Africæ inſula eſt, regni Tripolitani, in mari mediterraneo, oræ litorali adjacens, olim ponte juncta continenti, cum duabus urbibus. nunc tantum ſupereſt caſtrum munitum cum aliquot pagis. fuit quondam Hiſpanicæ ditionis: ſed illi non una clade attriti, tandem inſulam deſerere coacti ſunt. Plinius l. 2. cap. 7. *Inſulas non ita multas complectuntur hæc maria. clariſſima eſt Meninx, ab Eratoſthene Lotophagitis appellata; oppida habet duo, Meningem ab Africa latere, & altero Thear, ipſa a dextro Syrtis minoris promontorio paſſibus ducentis ſita.* de Ulyſſis ſociis, qui guſtata Loto, quæ illic frequens erat, redire noluerunt, omnia nota ex Homeri Odyſſ. lib. 9. ſed videri debet Strabo lib. 3. Ben. Curtius Hort. L. 1. c. 6. Mela. L. 1. c. 7. inibi Schottus p. 21. Vadianus p. 12.

Sed quoniam inſtabiles animos muliebria verſant
Pectora, ſuſpectos deſerit ille lares,
Ac patriæ petit arva ſuæ, nec longa moratus
Ultores rurſum ducit in arma Deos;
Obſeſſamque intrat Nymphis comitantibus urbem,
Qua per operta vagus labitur antra liquor.
Aurea quin illo dicunt ſub Rege fuiſſe
Sæcula. felices, qui meruere frui.
Quid patris invictas acies, quid concita dicam
Claſſica per campos, Daunia terra, tuos:
Disjectoſque duces, populataque caſtra, neque ullis
Clara magis Regum prælia temporibus?
O mihi ſupremos ſi Parca indulſerit annos,
Quanta canam, quantus vox mea plauſus erit!
Tunc ego Mœonios auſim perrumpere fonteis,
Savæque terribili bella tonare tuba.
Utque alios ſileam, tua fortia facta referrem,
Proveherentque animos tot monumenta meos:
Ut puer extremas regni percurreris oras,
Luſtratis referens præmia littoribus:
Et male pacatos ſedaveris ante tumultus,
Quam patriis hoſtes finibus expuleris.
Primus honos, forti defenſos milite Locros
Servaſſe,

V. 37. *Obſeſſamque intrat*, &c. vide notas ad Eclog. 4. v. 63.

V. 41. ——— *quid concita dicam Claſſica per campos*, DAUNIA *terra, tuos?*]

Daunia eſt *la Puglia piana*, ab ingenti camporum planitie hodie ita dicta, ſive *la Capitanata*. ab Appulis Pencetiis dividitur Aufido flumine. Horatius lib. 4. od. 14.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli.

ita dictam volunt a Dauno Rege Diomedis ſocero; alii a Dauno fluvio; alii a Dauno Turni vel avo, vel patre, cognomines enim fuerunt. Apuliam vero omnem a Græcis Dauniam appellari teſtatur Strabo lib. 5. vide Plinium lib. 3. cap. 11. Leandrum Albertum in deſcriptione undecimæ regionis Italiæ.

V. 55. *Primus honos, forti defenſos milite* LOCROS
Servaſſe., & muros, urbs MELIBOEA, *tuos.*

Locri, ſeu Locri Epizephyrii, urbs fuit

Servaſſe, & muros, urbs Meliboea, tuos.
Nec[illegible]n marte pari ſummas Caulonis in arces
Veniſſe, inque ſuo templa ſacrata jugo,
Templa Deæ, vaſtis late quæ præſidet undis,
Una Jovis conjux fida, ſororque Jovis.
Teſtis Crathis erit, teſtes Sybaritides undæ,

fuit ampla in magna Græcia, in finibus Brutiorum, prope Zephyrium promontorium, poſtea vero tranſlata ad montem Eſopin, ut refert Strabo lib. 6. ſed cum fuiſſet deſtructa, ex ejus ruinis crevit Hieracium, *Gieraci* Italis, urbs Calabriæ ulterioris, in colle ſedens. vide Servium ad lib. 8. Æneid. v. 399. & ad lib. 11. v. 265. Nic. Heinſium not. ad Ovidii Remedia Amoris, v. 264. & ante omnes diligentiſſimum Leandr. Albertum in deſcriptione Magnæ Græciæ. urbs Meliboea eſt Petilia; hodie Policaſtro; caſtrum haud magnum in ulteriori Calabria. Virgil. L. 3. Aen. v. 401.

—— hic illa Ducis Meliboei
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

ad quem locum omnino videri debet Servius: & Delrius Com. in Senecæ Trag. v. 821. p. 466. ſunt enim longiora quæ iſtic habet quam ut hic adſcribantur: Ortelius contendit *Peteliam* ſcribendum eſſe, non *Petiliam*. de *Petilia* videndus Dauſquejus ad Silium. p. 505. de ſcriptione idem T. 2. Orthogr. p. 240. Mela. II. 3. 12. II. 4. 55.

V. 57. —— *ſummas* CAULONIS *in arces Veniſſe.*] *Caulon*, *Caulonia* Straboni, oppidum magnæ Græciæ in monte cognomine, (qui & hodie *Caulo* dicitur) non procul ab Hieracio. hodie *Caſtel vetere*. *Aulon* Horatio dicitur lib. 2. od. 6. ab Achæis conditum quidam volunt. Virgilius l. 3. Æneid.

—— attollit ſe diva Lacinia contra,
Cauloniſque arces, & navifragum Scylaceum.

ubi Servius: *Caulon mons eſt Calabriæ, in quo oppidum fuit a Locris conditum, quod ſecundum Hyginum, qui ſcripſit de ſitu urbium Italicarum, olim non eſt. alii a Caulo Clitæ Amazonis filio conditum tradunt.*

V. 61. *Teſtis* CRATHIS *erit, teſtes* SYBARITIDES *undæ.*] Crathis, vulgo *Cratte*, fluvius eſt Calabriæ citerioris, in Brutiis ortus, & prope Thurios in ſinum Tarentinum deſinens. ejus aqua dicebatur capillos albos & flavos reddere. Ovidius lib. 15. Metamorph.

Crathis, & huic Sybaris veſtris conterminus oris,
Electro ſimiles faciunt auroque capillos.

eſt & alius Crathis, Peloponneſi fluvius, & mons Arcadiæ ejuſdem nominis, ex quo amnis hic profluit, atque in ſinum Corinthiacum juxta Ægas influit. Sybaris itidem fluvius magnæ Græciæ, *Cochile* hodie. in ſinum Tarentinum ſe exonerat non longe a Crathi. Sybaris autem urbs in ruinis jacet. ſita fuit illa in ora ſinus Tarentini, inter oſtia Sybaris & Crathis. ab indigenis reparata dicta eſt *Thurii.*

Oraque, quæ fluctus proſpicit Ionios.
Adde, quod Hetruſcos oppleveris agmine campos,
Et tibi captivis fluxerit Arnus aquis:
Totque pharetratas, Turcarum corpora, turmas
Auſoniis dederis manibus inferias.
Gratia diis Italis, prærupta Ceraunia, & arces
Butroti, noſtras pertimuere minas:
Captivumque ducem, fractoſque aſpeximus arcus,
Detulit huc domita quos tua claſſis aqua.
Hinc Ligurum furias, compreſſaque jurgia ferro,
Gallicaque in partes oppida verſa duas.
Ipſe ego quæ vidi, referam: ſcit Thuſcula tellus,
Quæque

V. 65. *Totque* PHARETRATAS.] v. Pontanus Præfatione in libb. de Fortitudine. p. 92. ſq.

V. 67. ——— *Prærupta* CERAUNIA, *& arces*
BUTROTI *noſtras pertimuere minas.*] Ceraunia, ſive Acroceraunia, ſic dicta quod ſæpe fulmine percellantur, montes ſunt Epiri, in Chaonia regione, verſus Oeneum ſinum. nunc a *Chimera* oppido dicuntur *Monti di Chimera*, incolæ autem *Chimerioti*. Butrotos oppidum Albaniæ, *Bottronto* hodie, contra inſulam Corcyram in ortum.

V. 73. ——— *ſcit* THUSCULA *tellus*,
Quaque cadit ſummo lympha ANIENA *jugo.*] Tuſculum olim urbs Latii, nunc Campaniæ Romanæ *Fraſcati* hodie dicitur, eſtque delicium & ſeceſſus æſtivus principum Romanorum. conditam volunt a Telegono Ulyſſis & Circes filio. Propertius lib. 2. El. 22.

Nam quid Prœneſtis dubias, o Cynthia, ſortes?
Quid petis Æœi mœnia Telegoni?

Horatius l. 3. od. 29.

——— *eripe te moræ:*
Ne ſemper udum Tibur, & Æſulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.

Anio autem fluvius eſt Sabinorum, ex Trebanis montibus oriens, atque in Tiberim tribus paſſuum millibus ab Urbe prolabens, Latio a Sabinis ſeparato. hodie *il Teverone.* Nomen habere tradunt ab Anio Rege Etruſcorum in eo ſubmerſo. ſed nobilius nomen habet ab ingeniis clariſſimorum poëtarum Latinorum. ad ejus ripam Cynthiam ſuam humavit Propertius meus. (Iliam quoque ibi ſepultam volunt v. Acro ad Horat. L. Od. 2.) vide nobiliſſimam illam elegiam quæ libri quarti ſeptima eſt, quanquam non ſuo loco poſita. ubi hæc Cynthiæ verba, epitaphium ſibi condentis:

Ramoſis Anio qua pomifer incubat arvis,
Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media, dignum me, ſcribe columna,

Sed

Quæque cadit ſummo lympha Aniena jugo.
Nam duce te, Latios ferro dum ſubruis agros,
Tempora militiæ prima fuere meæ.
Bis Nomentanas, bis magni Tyburis arces
Vidimus ad noſtros projicere arma pedes:
Cum jam ſit media trepidatum pene Subura,
Et Capitolino vota parata Jovi.
Nec ſemel (ut fatear) Collinæ ad limina portæ
Fregimus armatos reppulimuſque duces.
Parce tamen, veneranda parens, ſi juſta ſecutus
Signa ſub Alfonſo: Rex erat ille meus.
Lanuvium infelix, fatis contraria noſtris
Terra, potes certas tu variaſſe vices.
Nam quod ad hoſtileis flexit victoria partes:
Fortunæ magis hoc, quam fuit artis, opus.
Ille ſed Eridani ripas non fractus in altas
Contendens, charæ regna ſororis adit:
Metatuſque locum caſtris, Inſubria paſſim
Fudit, & Euganeis agmina miſſa jugis.
Dicite io, populi: turmas ſpectaſtis ovanteis,
Et per victrices fœdera juncta manus.
Ipſe quoque haud ſileat quos cedere Farfarus hoſtes

Sed breve, quod currens vector ab Urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra:
Acceſſit ripæ laus, Aniene, tua.

V. 77. *Bis* NOMENTANAS, *bis magni* TIBURIS *arces*, &c.] Nomentum, hodie *Nomento*, urbs olim epiſcopalis, nunc exciſa & in pagum redacta, in Sabinis ad Anienem fluvium, ſupra Tibur: ipſum autem Tibur, nunc *Tivoli*, urbs olim Latii, jam Campaniæ Romanæ, in colle ſita, ubi cataractæ Anienis, & ſuperbiſſimum palatium Cardinalis Hippolyti Eſtenſis, de quo exſtant duo nobiliſſima M. A. Mureti carmina lib. 1. juxta recenſionem Jac. Thomaſii.

V. 85. LANUVIUM *infelix.*] Lanuvium urbs olim, nunc pagus, ſive oppidulum Latii, *Indovina* & *città Indovina*, via Appia inter Albam, Ariciam, Ardeam, & Velitras, in agro Laurenti. vide Paſſeratium ad Propert. l. 4. El. 8. p. 655.

V. 95. ——— *quos cedere* FARFARUS *hoſtes Riſit.*] alio nomine *Fabaris* dicitur, nunc *Farfa*, fluvius eſt Sabinorum

propa

Riſit, & exutum vertere terga ducem.
Heus ubi nunc, Roberte, tuæ voceſque, minæque,
Campani peteres cum tibi jura ſoli?
Jam noſtros Reges, jam ſternere cuncta parabas:
Nunc fuga degeneres arguit ecce metus.
Hortariſque tuos dimittere ſigna maniplos.
Heu pudor, & longæ præmia militiæ.
Hos tamen ille pius, quamvis diverſa ſecutos,
Alfonſus miti fovit, & auxit ope.
Macte animo cuſtoſque hominum, macte optime Regum,
Auſoniæ tu ſol, tu pater unus ades.
Quid memorem paciſque artes, bellique labores,
Perpetuumque animi tempus in omne decus?
Sed me formoſæ deterrent juſſa puellæ,
Ne poſſim tantis invigilare choris:
Et vetat aſper Amor dulces contemnere curas,
Cogit & inviſo ſubdere colla jugo.
Nec proſunt lachrymæ, nec verba precantia mortem:
Ille ſuas in me concutit uſque faces.
Quare ſi noſtri veniet tibi nuncia lethi
Fama, triumphales jam prope ſiſte rotas:
Atque hæc ad cineres mœrens effare ſepultos:
Sævitia dominæ rapte Poëta jaces.

IN

prope Mompeum ortus in eo loco qui dicitur *Capo Farfa*, in Tiberim labitur inter caſtra Felicianum & Fianum.

V. 97. *Heus ubi nunc* ROBERTE.] is erat Robertus Malateſta, copiarum Pontificiarum imperator contra Aragonſos, ut teſtatur in Hiſtoria ſua Mediolanenſi Bernardinus Corius, qui inſtar optimi commentarii haberi poteſt in hanc elegiam. multa quoque hic illic reperire eſt apud Sabellicum in Hiſtoriarum Enneadibus, adde Paulli Ramuſii epiſtolam, libris Roberti Valturii de Re Militari præmiſſam; unde intelliges v. 85. *Lanuvium infelix*, &c. cogitandum an hæ *mina* potius ſint Roberti Severinatis. v. Volaterranus L. 22. p. 821. A· illum tamen pro Marte aliquo extulit Marullus. II. Epigr. 2. & ab hiſtoriarum ac Philoſophiæ eximia peritia ſupra omnes ſui temporis principes commendat Pontanus dedicatione Librorum de Obedientia: & ſingulis pœne præfationibus operis ejuſdem. tum L. 5. de Prudentia. p. 392.

Digitized by Google

II.

IN FESTO DIE DIVI NAZARII MARTYRIS, QUI POETÆ NATALIS EST.

Ecce mihi totum lux exſpectata per annum
  Jam redit, Aoniæ ſerta novate Deæ.
Hæc me vitales genitum produxit in auras,
  Juſſit & erectum tollere ad aſtra caput.
Nunc mihi purpureis aram cumulate Hyacinthis:
  Cingite & intexta limina noſtra roſa.
Sic etenim coluiſſe decet geniumque, lareſque;
  Ferte coronato thura, merumque foco.
Tuque apio innexos dudum acceptura poëtas,
  Splendida ſolemneis inſtrue menſa dapes.
Hic mihi puniceo Pontani Muſa cothurno
  Incipiet poſito carmen hiare mero:
Naturæque vias, tenerique exordia mundi
  Proferet, & certa cuncta obitura die.
Craſſus at æterno frondis redimitus honore,
  Solvat Pieriis ora rigata modis:
Et mihi Linternumque vetus, placidumque Petrinum,

 Oſten-

In natalem ſuum hanc elegiam ſcripſit poëta noſter. addere te velim ejuſdem argumenti oden in exilio ſcriptam, quæ eſt lib. 2. Epigram. 58. & 43. epigramma ejuſdem libri. de poëtis, quos ſibi convivas deſtinat, dixi alibi quæ dicenda erant. ſi quid reſtet, id nunc exhaurietur.

V. 17. *Et mihi* LINTERNUMQUE *vetus, *placidumque* PETRINUM, *Oſtendatque* ATAVI *regna opulenta meis Regna male ad ſeros hos perventura nepotes*, &c.]

Gentem

Oſtendatque atavi regna opulenta mei:
Regna male ad ſeros heu perventura nepotes,
Dum

Gentem ſuam ex ultima Hiſpania oriundam in Gallia Ciſalpina conſediſſe, multaſque ibi terras atque opima patrimonia poſſediſſe, ipſe narrat Sannazarius in Arcadia: additque atavum ſuum Regi Carolo tertio in ſubjugando regno Neapolitano inſignem operam navaſſe, quapropter a grato ac memore Rege mactum fuiſſe ingentibus præmiis ac luculenta rei familiaris acceſſione, Sinueſſa nempe, Linterno, campi Falerni & montis Maſſici magna parte, &c. atque hæc quidem vivente Rege Ladiſlao rata fuiſſe habita, ac firma: Joannam vero, Ladiſlai ſororem, in more habuiſſe, ut ſi quid cuiquam eſſet gratificatus vel pater vel frater, id quaſi jure ſuo per ſummum nefas continuo ereptum iret, hic quoque non receſſiſſe ab ingenio ſuo, itaque pene ad incitas redactum eſſe patrem ſuum, omnemque domum, & quæ plura in hanc rem queritur. tangit Joannam elegia ſuperiore non leviter v. 31. & ſeqq. nec immerito. ſed volupe erit audire ipſum Sannazarium, cum quo ego Latine paria facere non experiar. *Era tra gli altri miei coetanei giovani forſe non il minimo riputato; e lo avolo del mio padre dalla Ciſalpina Gallia, (ben che ſe a i principii ſi riguarda dalla eſtrema Hiſpagna prendendo origine, ne i quali due luoghi ancor hoggi le reliquie della mia famiglia fioriſcono) fu oltra alta nobiltà de i maggiori per ſuoi propri geſti notabiliſſimo. Il quale capo di molta gente con la lodevole impreſa del terzo Carlo nell' Auſonico regno venendo, meritò per ſua virtu di poſſedere la antica Sinueſſa, con gran parte de' campi Falerni, e monti Maſſici inſieme con la picciola terra ſopraposta al lito, ove il torbolento Volturno prerumpe nel mare; e Linterno, ben che ſolitario, nientedimeno famoſo per la memoria delle ſacrate ceneri del divino Africano; ſenza che nella fertile Lucania haveva ſotto honorato titolo molte terre, e caſtella, delle quali ſolo haurebbe potuto (ſecondo che alla ſua conditione ſi richiedeva) vivere abondantiſſimamente Ma la fortuna, via piu liberale in donare, che ſollecita in conſervare le mondane proſperità, volſe, che in diſcorſo di tempo, morto il Re Carlo, e'l ſuo leggitimo ſucceſſore Lanzilao, rimaneſſe il vedovo regno in man di femina. La quale, dalla naturale inconſtantia e mobilità d'animo incitata, a gli altri ſuoi peſſimi fatti aggiunſe, che coloro, i quali erano ſtati dal padre e dal fratello con ſommo honore magnificati, ella eſterminando e humiliando annullò, e quaſi ad eſtrema perditione riconduſſe. Oltra di ciò, quante, e quali foſſero le neceſſitadi, e gli infortunii, que lo avolo e'l padre mio ſofferſono, lungo ſarebbe a racontare.* Hactenus noſter Arcadiæ proſa ſeptima. *Linternum* autem, ſive *Liternum*, ut ſcribunt Plinius l. 3. c. 5. & Livius l. 34. c. 45. urbs fuit Campaniæ, inter Vulturnum & Cumas, ubi mortem obiit Scipio Africanus, cum Roma ob civium ingratitudinem ſeceſſiſſet: hodie tenuiſſimus vicus, ubi una turris, & pauculæ piſcatorum caſæ, vocaturque *Torre di patria.* illic oſtendi ſolere ſepulchrum Scipionis Africani auctor eſt Strabo lib. 5. unde certum eſt errare eos, qui Scipionem extra portam Capenam ſepultum fuiſſe contendunt. v. Manutius in Cicer. Orat. T. 2. p. 2. p. 53. Valerius Maximus lib. 5. cap. 3. *Priore adhuc querela vibrante, alia deinceps exſurgit, Africanus ſuperior, non ſolum contuſam & confractam belli Punici armis*

Remp.

Dum verſat varias ſors inimica vices.
Altiliuſque novos ſuperis laturus honores,
Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sfortiadem mox dicat, Aragonioſque hymenæos:
Jure quibus cantus æquet, Homere, tuos.
Nec gemat exilium Spartani Muſa Marulli,

Remp. ſed pene jam exſanguem, atque morientem, Africæ dominam reddidit. Cujus clariſſima opera injuriis penſando cives, vici eum ignobilis, ac deſertæ paludis accolam fecerunt: ejuſque voluntarii exilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, ſepulchro ſuo inſcribi jubendo, INGRATA. PATRIA. NE. OSSA QUIDEM. MEA. HABES. omnino videndus Seneca Epiſt. 86. ubi multa pulcra de Scipionis exilio. *Linternum* ardentiſſime videre deſideravit Petrarcha ut loca tanto habitatore nobilia præſens ſpectaret. vide illum L. 5. Epiſt. 4. v. Sweertius Delic. orbis Chriſtiani. p. 133. de Sinueſſa dixi ad Eclog. 3. v. 86. de Petrino ad Eleg. 1. lib. 1. v. 1. ubi & de Craſſo leges quæ reperire potui poſt tot annorum intervallum.

V. 25. *Nec gemat exilium Spartani Muſa* MARULLI;
Verba ſed antiqui reddat numeroſque Lucreti.

de Marullo egimus alibi: ſed & hic nonnihil eſt dicendum. Ejus Epigrammatum libris *Apollinem pereleganter arriſiſſe* fidejuſſorem habemus Jovium, cui utrum hoc e tripode dictum fuerit, nolim dejerare. multo ſanius judicium eſt Lilii Gyraldi Dial. 1. de poëtis ſui temp. qui tamen dicit Marullum aſſecutum eſſe quod volebat, nimirum ut exacte effingeret Lucretium. concederem, ſi dixiſſet, moroſe. Lucretium certe Marullus una cum Virgilio, ut Crinitus refert, ediſcendum eſſe contendebat; reliquos poëtas legendos duntaxat. Cumque tanto flagraret Lucretii amore, auſus eſt homo ad corrigendos bonos auctores haud quaquam factus novam orbi literato Lucretii editionem procudere. audiſſis Scaligerum ad hunc Catulli verſum, *Proximus Hydochroi fulgeret Orion*, diſputatio ibi eſt de correctione Politiani: *Sed omnium maxime ridiculus Marullus, qui cum nullum aut admodum exiguum ſenſum harum literarum haberet, videt Politianum, virum non ſolum ſe majorem, ſed & cum nullo noſtræ ætatis comparandum, qui non hæc commentus eſt, ſed veterem lectionem, quam a magiſtellis depravari videbat, ab illorum audacia vindicare conabatur. At Græculus ille putavit ſibi licere in bonis auctoribus, quod ipſe ſibi in ſuis verſibus voluit licere. Auſus eſt præterea annotationem doctiſſimi Politiani ineptiſſimo epigrammate exagitare. Sane quibus ille vir tantus videtur, tantique ſit, debebant aliquid de pertinacia remittere, ſi ejus editionem Lucretianam diligenter perpenderent. Nullus enim veterum auctorum ita male ab ullo correctorum acceptus eſt, ut Lucretius ab illo audace Græculo. Rapidum quidem Marulli ingenium fuit, & torrens, ſed quod verſibus nunc bonis nunc malis ex tempore effutiendis potius, quam bonis auctoribus emendandis natum videtur.* Hæc Scaliger. Certe ſi nihil aliud e lectione Lucretiana Marullus, atheiſmum perfectiſſime didicit. quem ut hodie magna cum ſapientiæ oſtentatione tueamur, nulla opus eſt poëtarum lectione.

Ventura ad noſtras ingenioſa dapes:
Verba ſed antiqui reddat, numeroſque Lucreti:
Dum magnis divos laudibus accumulat.
Adde tuos Puderice ſales, adde inclyta patris
Eloquia, adde animo tot bona parta tuo.
Jamque Panhormitæ luſus, & ſcripta recenſe,

Et

V. 29. *Adde tuos* PUDERICE *ſales.*] Franciſcus Pudericus. v. Pontanus Præfat. Lib. 1. de Prudentia. p. 274. Lib. 2. p. 315. Lib. 2. de Fortun. cap. 24. p. 550. III. de Obedient. 3. p. 39. & Lib. de Beneficent. c. 7. p. 225. de Errico Franciſci patre v. l. 2. de Prudent. p. 319.

V. 31. *Jamque* PANHORMITÆ *luſus ac ſcripta recenſe.*

Antonius Panhormita Siculus fuit, ſed Bononia ex nobili familia oriundus: imo ipſe genus ſuum referebat ad ultimos Britannos. Vocabatur Antonius Bononia Beccatellus v. Bibliotheca Geſneri. p. 54. B. Philelphus Antonium Bononium Panhormitam appellat XIII. Epiſt 29. valde in ejus laudes effunditur idem Philelphus dec. 5. Sat. 7. feſtivi ingenii fuiſſe oſtendit Pontanus III. de Obedient. 2. p. 33. & v. 6. p. 84. & I. de Fortun. 27. p. 522. Philippo Mediolanenſium principi cum ingenii ſui induſtriam obtuliſſet, tanta liberalitate ſuſceptus eſt, ut principem noſcendæ hiſtoriæ cupidum familiariter doceret Adhæſit deinde Alfonſo Aragonio, ſecretioris ſcrinii magiſter, expeditionumque omnium terra marique perpetuus comes. de ejus Regis dictis ac factis librum ſcripſit, quem aureum vocat Jovius Elog. doct. p. 16. Eum librum exemplis paribus intertextis nobiliorem reddidit Æneas Sylvius Picolomineus, qui poſtea fuit Pius ſecundus Pontifex. laudantur & ejus epiſtolæ a Jovio. Senex uxorem duxit Lauram Arceliam, ex eaque liberos ſuſtulit. Cujus Lauræ epitaphium exſtat apud Pontanum ſecundo Tumulorum libro, ut & ipſius Antonii primo. Acerrimas cum Laurentio Valla inimicitias exercuit, atque eo uſque proceſſit eorum uterque, ut publicos eruditorum hominum riſus excitarent. *Hic* [Rex Alphonſus] *ad ordinariam in Antonium Panhormitam benignitatem illud addidit ut mille cum aureis ob ſcriptum de dictis & factis ſuis librum donaverit.* Jo. Pontanus lib. de Liberal. c. 29. p. 208.

Antonius moriens hoc ſibi epitaphium condidiſſe narratur:

Quærite, Pierides, alium qui ploret amores,
Quærite qui Regum fortia facta canat.
Me pater ille ingens, hominum ſator atque redemtor,
Evocat, & ſedes donat adire pias.

Hæc ſunt quæ de Panhormitæ ſtudiis ac vita hinc inde decerpſimus. nunc audiamus Lilium Gregor. Gyraldum: *Antonius*, inquit, *Panhormita laſcivioris quidem carminis conditor, dulcis tamen & facetus. Legi ejus ætatis quorundam epiſtolas, quibus Hermaphroditus illius multis laudibus commendatur, ſed quare, neſcio. Dicam ego vobis ſane quod ſentio, nec is mihi poëta bonus, nec bonus orator. quæ enim ſoluto & pedeſtri ſermone ejus ſcripta legi, luxuriantis magis quam*

bona

Et Jovianææ tempora amicitiæ.
Hos inter meritis rediens Aquivivus ab armis,
Prodat honoratæ præmia militiæ:
Atque chori princeps docti argumenta Plutarchi,
Cumque ſuis referat dogmata principiis.
Ipſe autem haud dubitet Cabanilius acta referre
Vel ſua, vel magno juncta parentis avo.
Nec Phœbo minus ipſe ſuo, quam Marte probatus,
Phocaico pexas tingat in amne comas.
Tu quoque, quem juvenem veneror, dulciſſime Garlon,
Incipe jam docta plectra movere manu:
Allifaſque tuas mihi concine, dum vaga Lunam
Sydera per tacitum nocte ſequuntur iter.
Talibus auſpiciis geniales ducere cœnas,
Theſpiadumque modis concelebrare juvat.

bona frugis referta videntur, ut impudicas ejus & proſtitutas Muſas mittam. Panhermitam tamen quidam excellentes viri elegantiæ parentem appellaverunt. Hæc Lilius Dial. 1. de poëtis ſui temporis, cujus poſtrema verba ad Pontanum refer, Panhormitæ alummum. de Hermaphrodito quod dicit, non eſt de nihilo; ego eum legi manu deſcriptum, (neque enim unquam eſt typis excuſus) adeo ſpurcum, adeo abominabilem, ut nihil ſupra. Verſus deinde ipſi vix ſunt tolerabiles, tantum abeſt ut laudem aliquam mereantur. inſcribitur autem Hermaphroditus, eo quod utriuſque ſexus membra genitalia utriuſque libelli omnem materiam faciant. Hæc qui patienter legit, ne illum oportet eſſe hominem frugi. *Dulcis, candidus, & facetus Panormita ſed laſcivi carminis amator atque ob id probis viris minime legendus.* Sabellicus de L. L. reparatione. p. 112.

V. 35. PLUTARCHI.] contra leges metricas corripitur ſyllaba prima. talium errorum multa exempla adnotarunt Scioppius in Paradoxis Literariis. Epiſt. 5. Barthius. l. 16. Adverſ. c. 3. quibus adde illud Bezæ *convenis uxori, convenit illa tibi.* & Rapini Eclog. 7. *vobis, myſteria rerum Aperio magnarum & ſpes hinc ſumite veſtras:* & Leidekkeri. *Namurca quondam ſolida Belgiç columna:* quibus Zurkiana adjici poſſunt ſexcenta

tantis ſucceſſibus Iber.
Surgit, & elinguis damna reſarta vidit.

Sed quid moramur in his cuculis? neque enim Gronovium vel nominare libet aut Benedictum Aminem.

IN

III.

IN CALENDIS JANUARIIS, AD FUSCUM.

Exoritur lux alma, caput ſol detegit aureum,
Qui toties noſtros exhilaravit avos.
Exoritur: redit ecce anni melioris origo.
Quiſquis ades, ſancta concipe voce preces.
Cingantur de more ſacris faſtigia templis,
Quæ vaga Sebethi Nais ab amne legit.
Ipſe ſuis Janus præpandat limina templi:
Cui geminum liquido ſtillet odore caput.
Illius & caſtas fument pia thura per aras:
Atque focos ſupra ſtet, videatque ſuos:
Nunciet & tibi, Fuſce, novos virtutis honores.
Jam reor hæc animum vota fovere tuum.
Nec magis optaris, quas Lydius amnis arenas,
Quas volvit flavi lympha ſuperba Tagi.

Nec

Ad Fuscum.] Is fuit Thomas Fuſcus, Hippolyti Card. Eſtenſis a Secretis. v. Cæl. Calcagninus oper. p. 218 deinde epiſcopus Cymælienſis ibid. p. 491. ad hunc Fuſcum ſcribit P. Crinitus II. carm. 9. 12. inter ſuæ ætatis poëtas numerant Crinitus & Pierius Valerianus. & hujus quidem hoc eſt epigramma in Sexti Aurelii Propertii antiquum caput:

Ergo hæc illa boni facies veneranda Properti?
Illa oculis faciet ſemper amanda meis?
At non artificum ingenio, aut mortalibus auſis
Facta hæc effigies: munus opuſque Deum eſt:
Sive Amor hanc, ſive alma Venus, ſeu docta Minerva
Rarum a Vulcano pignus amoris habent.
Qua ſuper, ut quondam de malo, (ita dictat Apollo)
Certavere diu Cypria, Pallas, Amor.
Aſt modus eſt pugnæ impoſitus Jove judice tandem,
Si rarum hoc vates Fuſcus haberet opus.
Adſenſere igitur: neque enim in mortalibus ullus,
Cui tantum adſpirent Cypria, Pallas, Amor.

Nec magis uberibus quicquid ſibi colligit arvis
Medus, & aſſiduo ſole peruſtus Arabs.
Juſta precor: Latiis utinam diſcedat ab oris
Hoſtis, & indecori victus oberret equo.
Victus Hydruntinas cogatur linquere terras,
Et plangat noſtram ſanguinolentus humum.
Hæc veniet lux, Fuſce, tuis lætiſſima votis,
Cum pax optatas ducet in urbe moras.

V. 19. *Victus* HYDRUNTINAS *cogatur linquare terras.*] *Hydruntum*, quæ Straboni lib. 6. *Hydrus* dicitur, hodie *Otranto*, urbs eſt Salentinorum in regno Neapolitano, a qua ipſa regio *Terra d'Otranto* nominatur. Eam tum temporis tenebant Turcæ, magno cum diſcrimine univerſæ Italiæ, expulſi deinde virtute Alfonſi Aragonii. unde patet hanc elegiam eſſe tempore priorem, quam ſit hujus libri prima.

IV.

IN MORUM CANDIDAM.

Nunc, Erato, virides capiti ſubnecte corymbos,
Profer & auratæ fila canora lyræ.
Arboris umbriferæ caſus referamus acerbos.
Non erat hæc noſtro fabula nota ſolo.
Audiat, & molli cantantes protegat umbra
Ipſa, *
Olim Bajanis fuerat pulcherrima ſylvis
Naias, errantes figere docta feras.
Quam liquidus clauſis Lucrinus ſæpe ſub antris
Optavit lateri jungere poſſe ſuo.
Nec ſemel illius pharetram laudavit, & arcum
Paſtorum incultis fiſtula carminibus.

Teſtes

IN MORUM CANDIDAM.] v. *della Valle* T. 2. p. 190. 197. Naugerius Epiſt. Ital.

Digitized by Google

Teſtes Cumææ, teſtes Linternides undæ,
Sanctaque Gauranæ numina Hamadryades,
Illam Sylvanos, Panaſque odiſſe bicornes,
Et quoſcunque colit ſylva, nemuſque Deos.
Sed quid fata parant? ſolitis Morinna redibat
Montibus: hoc illi nomen, & omen erat:
Cum ſubita cœlum texit caligine nimbus,
Et multa canam grandine fecit humum.
Illa hyemem fugiens, diverſa per arva cucurrit,
Tecta caput ſertis, grandine tecta caput.
Vallis erat prope ſulfureos male pervia montes,
Candida quam Grajo nomine ſignat humus.
Hanc ſuper exciſis pendebat cautibus antrum,
Agricolûm hirſutis nota domus gregibus.
Pugnantes huc forte coëgerat impiger hircos
Semideuſque caper, ſemicaperque Deus.
Quem procul ut vidit Nymphe, ſic pectore toto
Inſequitur, tales & jacit ore ſonos:
Quo properas ah dura, meaſque ingrata querelas
Deſpicis? aſpectus ne fuge, Nympha, meos.
Mecum capreolos, mecum venabere damas:
Parebit juſſis hoc pecus omne tuis.
Nil eſt, quod fugias: mihi crede, recentia ſemper
Pocula de niveo fagina lacte madent.
Semper picta roſis, ſemper contexta liguſtris
De noſtro poteris munera ferre ſinu.
Dixit. at illa volans celeres prævertitur auras,
Imbre nihil motos impediente gradus.
Jamque petens triſteſque lacus, ſterilemque paludem,
Conſi-

V. 29. *Quem procul ut vidit* NYMPHE.] Ita habent omnes editiones. nullum autem dubium eſt mihi quin ſit legendum, *Qui procul ut vidit Nympham*: neque enim ullo alio modo cohærebit oratio.

Conſitaque arbuſtis non minus arva novis,
Aſpicit exeſi longe ſub faucibus antri
Obſcurum cæco pulvere noctis iter.
Huc, tanquam in latebras ſe conjicit. haud minus ille
Inſequitur prædæ tractus amore ſuæ.
Jamque patens cœlum rurſus, Solemque videbat,
Liquerat & montem poſt ſua terga cavum:
Dextra pontus erat, præruptaque ſaxa ſiniſtra:
Et jam defeſſam, jamque premebat amans.
Protinus exclamans, Fer opem mihi, Delia, dixit:
Oraque ſupremo diriguere ſono.
Attulit auxilium Nymphæ Dea, ſeque vocanti
Præbuit: illa cadens ſponte recumbit humi:
Fitque arbor ſubito: Morum dixere priores,
Et de Morinna nil niſi nomen habet.
Pes in radicem, in frondes ivere capilli,
Et quæ nunc cortex, cærula veſtis erat.
Brachia ſunt rami; ſed quæ nitidiſſima poma,
Quas male vitaſti, Nympha, fuere nives.
Flevit Miſenus, mutatam flevit Avernus,
Fontibus & calidis ingemuere Deæ.
Quin etiam flevere ſuis Sebethides antris
Najades, & paſſis Parthenopæa comis.
Sed tamen ante alios lachrymas in ſtipite fudit
Faunus, & hæc triſtes addit ad inferias.
Inter ſylvicolas o non ignota ſorores,
Nunc morus, duris candida corticibus:
Vive diu, & noſtros ſemper tege fronde capillos,
Cedat

V. 69. —— *noſtros ſemper tege fronde capillos,*
Cedat ut ipſa tuis PINUS *acuta comis.*] Faunus apud poëtas pinea corona inſignis fingitur. Ovidius Epiſt. Oenones,

Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta
Faunus

Cedat ut ipſa tuis Pinus acuta comis.
Tu nunquam miſeræ maculabere ſanguine Thysbes,
Immemor heu fati ne videare tui.
Tu, nec fata negant, niveis uberrima pomis,
His olim ſtabis frondea limitibus:
Et circum pucrique canent, facileſque puellæ,
Ducentes feſtos ad tua ſacra choros.
Hactenus inſigni cecinit teſtudine Muſa:
Aoniaſque volans læta reviſit aquas.

Faunus in immenſis, qua tumet Ida, jugis.

Propertius lib. I. El. 18. id Pani dedit,

Vos eritis teſtes, ſi quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.

Quare autem pinum tantopere amaverit non Faunus tantum, ſed & Pan ipſe, non ita notum eſt vulgo, Pitys puella fuit, a Pane & a Borea adamata: illa vero cum Panem dulce carmen canentem ſtridenti Boreæ longe præferret, iratus Thrax ille, & injuriæ impatiens, deprehenſam forte ſpatioſo in campo, ſaxo alliſit. quam infeliciter moribundam exceptam intra gremium ſuum tellus in arborem pinum mutavit, cujus frondibus poſtea ſemper caput ſuum cinxit Deus Arcas. narrat hanc fabulam Conſtantinus in Geoponicis, & tangit Nonnus in Dionyſiacis.

V.

AD BACCHUM.

Bacche bimater ades: ſic ſint tibi nexa corymbis
Cornua, ſic nitidis pendeat uva comis:

Seu

Quæ in hanc elegiam plurima dici poſſent, jam exhauſta ſunt a multis. interim conferre te velim Ovidium initio libri quarti Metam. Propertium lib. 3. El. 15. J. C. Scageri, Marulli I. Hymn. 6. & M. Ant. Mureti, in comment. in Catul, Galliambos in Bacchum, & quartum M. A. Flaminii. itemque Georgii Anſelmi I. 22. IV 60. nobiliſſimum Annæi Senecæ dithyrambum Oedip. v. 401. & Nicolai Heinſii Hymnum Bacchi, qui exſtat primo Juvenilium libro.

Digitized by Google

Seu te nunc Thebæ, ſeu te nunc Iſmarus horrens,
Sive habet umbroſis Naxos amica jugis.
Huc pater, huc propera frondenti candide thyrſo,
Huc potius greſſus dirige, Bacche, tuos.
Sed pallam jam pone gravem, pictoſque cothurnos,
Et muſto teneros tu quoque tinge pedes.
Tecum etiam Dryadeſque Deæ, Satyrique bicornes
Adſint, & calamos, concavaque æra ſonent,
Raucaque ſubductis percurrant tympana palmis
Baſſaridum fuſis turba verenda comis.
Quas male feſtinans Silenus pone ſequatur,
Et procul, ut maneant, ſubſideantque, roget.
Tum ſecum auriti fatum deploret aſelli,
Incedet ferula dum titubante ſenex.
At Deus hortorum, cui vertice fixa rubenti
Canna tremit, ſævas falce repellat aves.
In medio crater cælato maximus auro,
Spumet inexhauſtum, * Lesbia dona, merum:
Et circum de more tuas cava tibia laudes
Intonet, appoſitas concelebretque dapes.
Ipſe ego perque vias urbis, perque omnia paſſim
Compita, perpetuo ſacra colenda feram.
Ipſe gigantæo referam memorata triumpho
Nomina, & evanteis, orgia læta, choros.
Nec ſileam fuſcas acies, Gangetica regna,

 Geſta-

V. 17. *At Deus hortorum, cui vertice fixa rubenti*
CANNA *tremit, ſævas falce repellet aves.*]
peccant noſtri pictores in imagine Priapi, quem ſine brachiis ponunt, neque cannæ iſtius unquam meminerunt. melius ſeſe deſcribit ipſe Priapus apud Horatium Sat. 8. L. 1.

——— *Deus inde ego, furum aviumque*
Maxima formido: nam fures dextra coërcet,
Obſcanoque ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis conſidere in hortis.

Geſtaque odoratis prælia littoribus.
Mox thalamos Ariadna tuos, tedaſque jugales,
Quæque nitet medio fixa corona polo.
Jamque pios ritus, indictaque ſacra frequenter,
Inſtituam virgas fronde virente tegi:
Incedamque tuas vates tam magnus ad aras,
Quam nec Virgilius, quam nec Homerus erat.
Tu mihi, ſancte pater, mordaces exime curas:
Nubilaque annoſo pectora ſolve mero.
Tu mihi ſecuros adige in præcordia ſomnos:
Afflatuque juva lumina feſſa tuo.
Scimus enim quantos ineunte ætate labores
Pertuleris, quantos fulminis igne metus.
Infelix Semele, quid munera poſcis amantem,
Quæ tibi, quæ nato ſunt nocitura tuo?
Poſce Jovem, quæ digna tuis ſint præmia votis,
Poſce: feres votis præmia digna tuis.
Non tibi ſylvicolûm proles de plebe deorum,
Sed cui ſint Phœbus, Mercuriuſque pares,
Sed quam Saturnus non dedignetur ab alto
Noſcere, quam læto Juppiter ore probet.
Salve chara patri ſoboles, mitiſſime divûm:
Salve hominum requies, lætitiæque parens:
Et faciles (ſi juſta peto) mihi proſpice Muſas:
Et me pacato numine dexter adi.

Digitized by Google

VI.

AD LUDOVICUM MONTALTUM, SYRACUSANUM, CAROLI CÆSARIS SCRINII MAGISTRUM.

Mons altus nomen clarum tibi, ſive nivoſis
Naſcenti dederit fertilis Ætna jugis,
Seu luſtrata vagis Nebrodis ſaxa Napæis,
Sive Dionæo numine clarus Eryx:
Seu quod Olympiaco reptaris vertice, teque
Pertulerit placido blanda Arethuſa ſinu,
Nobile frondoſo defluxit nomen Olympo,
Elæi referens ſacra vetuſta Jovis.
Seu mage quod celſas puer exuperaveris Alpes,
Dum patet in laudes Belgica terra tuas:
Oceanique petis non explorata Britanni
Murmura, nec canæ Tethyos antra times:

 Exhau-

V. 3. *Seu luſtrata vagis* NEBRODIS *ſaxa Napæis.*]
Nebrodes, hodie *Madonia*, mons eſt Siciliæ perexcelſus, medius inter Ennam & Thermas Himeræ, ex quo Gelas fluvius in auſtrum fluit, cæteris ejus inſulæ montibus, Ætna excepto, altior, late patens, aquiſque ſcatentibus abundans. Solinus cap. 11. *Nebrodem damæ & hinnuli gregatim pervagantur, inde Nebrodes dictus.* adde interpretem Statii ad l. 2. Theb. v. 664.

V. 4. *Sive Dionæo numine clarus* ERYX.]
eſt & Eryx in nobilibus Siciliæ montibus, hodie *monte di S. Giuliano.* in ſummo ejus vertice templum fuit Veneris Erycinæ, quam magna religione coluiſſe Pœnos teſtatur Diodorus lib. 4. Solinus loco laudato: *eminet Sicilia montibus Ætna & Eryce.* Pomp. Mela l. 2. c. 7. *Præcipui montium* (Siciliæ) *Eryx, maxime memoratus ob delubrum Veneris ab Ænea conditum, & Ætna quæ Cyclopas olim tulit, nunc aſſiduis ignibus flagrat.* Virgilius lib. 5. Æneid.

Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Digitized by Google

Exhauſtos præferret ut illa ætate labores,
Aëria nomen venit ab Alpe tibi.
Quicquid id eſt, quicunque hujus tibi nominis autor
Mons, & inacceſſi verticis aſperitas:
Non mores: non facta, ſed altæ mentis acumen
Vidit, & ingenii prævia ſigna tui.
Nam licet ipſe animo nubes, & ſydera vincas,
Cunctaque ſint ſenſu pene minora tuo:
Non te per duros aditus, rupeiſve fragoſas,
Sed per floriferum vallis adimus iter,
Vallis, perpetuo quam veſtit gramine rivus,
Et quam vicini littoris aura fovet.
Hoc eſt, hoc (mihi crede) deos æquare merendo:
Hoc eſt æterni ſceptra tenere Jovis.
Cætera mortaleis inter peritura labores
Deſere, & hoc unum vita ſequatur opus.

VII.

AD JUNIANUM MAJUM PRÆCEPTOREM.

Dum tibi Bajanæ ſpectantur ab æquore nymphæ,
Stagnaque vicinis hoſpita littoribus:
Quæ vetus Herculeos perduxit ſemita tauros,
Longius excluſo concita clauſtra mari,
Quaque jacet Baulos inter lucumque Sibyllæ,
Et

V. 5. *Quaque jacet* BAULOS *inter lucumque Sibylla,*
Et PROCHYTÆ *rectum per juga tendit iter.*
de his locis, quique illis ſunt vicini, elegans exſtat epiſtola Franc. Petrarchæ quæ quarta eſt libri familiarium quinti. adde Mabillon itiner. Italici p. 107. & ſeqq. — de *Baulis* Servius ad VI. Aen. 107. ad VII. 661. de Puteolis & cæſis iſtic ab Hercule Gigantibus v. Pomponius Lætus ap. Came-

Et Prochytæ rectum per juga tendit iter:
Nos hic (ut noſti) curæ parere puellæ
Cogimur, & triſteis ducere in urbe moras.
Nec tamen aut ſtudiis animum intendiſſe ſeveris,
Aut prodeſt ſanctas excoluiſſe Deas.
Cumque tot unanimes dederint mihi fata ſodales,
Auxilium, nemo eſt, qui mihi rite ferat.
Inſtat ſævus Amor, reficitque in cote ſagittas,
Nec patitur preſſo colla movere jugo.
Et licet aſſiduis tabeſcant pectora curis:
Quærimus, unde queant tanta venire mala.
Atque utinam triſtes Lacheſis mihi finiat annos,

 Claudat

Camerarium Cent. 1 Medit. c. 82. p. 382. *Bauli*, hodie *Bagolo*, locus eſt Campaniæ, inter Miſenum urbem exciſam & lacum Bajanum, a Puteolis paulo ſupra tria paſſuum millia diſtans. Silius lib. 12.

—— *Herculeos videt ipſo in litore Baulos.*

Tacitus lib. 14. Annal. ubi de Neronis matricidio: *Dehinc obvius in littore (nam Antio adventabat) excipit manu & complexu, ducitque Baulos: id villæ nomen eſt, quæ promontorium Miſenum inter & Bajanum lacum flexo mari alluitur.* Symmachus lib. 1. Epiſt. 1. *Baulos Lucrina ſede mutavimus, non quod ejus diverſorii ſatias ceperit nos, quod cum diutius viſitur, plus amatur: ſed quod metus fuerit ne ſi Baulorum mihi inoleviſſet affectio, cætera quæ ſunt viſenda diſplicerent.* & paulo poſt: *audi verſus ad Baulorum hiſtoriam pertinentes:*

Hæc Deus Alcides ſtabulanda armenta coëgit,
Eruta Geryonis de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat, occulto nominis indicio.
Ab Divo ad proceres dominos fortuna cucurrit,
Fama loci obſcuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit opum felix Hortenſius aulam,
Contra Arpinatem qui ſtetit eloquio.
Hic Conſul clarum produxit Acyndinus ævum,
Quique dedit leges Orfitus Æneadis.
Hos inter juvenile decus, ſed honore ſenili,
Biſſeno celſus, Symmache, faſce cluis.
Si te Baulorum necdum lenta otia quærunt,
Cura habeat juvenem publica pervigilem.

Propertius 1. 11. 2. & 3. 164. Paſſeratius ad Propert. p. 191. E. 6. Servius ſcribit Baulas, more ſuæ ætatis. Symmachus, iterum Epiſt. 8. l. 1. *Jamdudum veſtri cupiunt Lucrina tacita, & liquida Bajana, & Puteoli adhuc celebres, & Bauli magnum ſilentes. Vos apud Coram ruſticam, vel apud ſteriles Formias deſidetis. Tandem, ſi opera eſt, contendite viam, & meliora terrarum animadvertite, ubi alte a turbis quieſcitur, ubi fruendis feriis nullus eſt modus,* de Prochyta dixi ſupra.

Claudat & ætatis tempora dura meæ:
Aut aliquis, ſævi quæ ſit medicina furoris,
Non vanus noſtra cantet in aure Deus!
Sed jam laurigeris ceſſant oracula Delphis:
Mutaque Cumææ virginis antra ſilent.
Nec Pan Mænalia reddit reſponſa ſub umbra:
Nocte licet paſtor viſcera libet ovis.
Nec mihi Chaonias ſpes eſt audire columbas:
Cornigerumque pudet fata referre Jovem.
Oblitaſque loqui jampridem Græcia quercus
Mirata eſt poſito conticuiſſe Deo.
At tibi venturos, Mai, prædicere caſus
Fas eſt, & mites conſuluiſſe Deos.
Nec tantum aut aræ fumos, aut nuntia ſentis
Fulgura, ſed Stygiis ſomnia miſſa locis,
Somnia quæ miſeram perturbant ſæpe quietem,
Dum mens incertis pendet imaginibus.
O quoties per te vanum poſuiſſe timorem
Me memini, & lætos continuaſſe dies.
O quoties, trepidus cum non ſpernenda putarem,
In noſtrum cavi damna futura caput.
Sæpe meæ tibi cum narraſſem viſa puellæ,
Dixiſti, certos haud procul eſſe metus.
Sæpe illam madidos luſtrare in flumine crines
Juſſiſti, & miſto ſolvere farra ſale.

Quod

V. 29. *At tibi venturos*, MAI, *prædicere caſus*.] Profitebatur eam artem Junianus, prodente Delrio Diſquiſit. Magicar. T. 2. p. 278. Sed videri omnino debet Alexander Neapolitanus l. 1. c. 11. nam ibi vidibis vera eſſe quæ de conjectatione ſomniorum hic tradit Sincerus. ego ſane nugas Poëticas ſemper credidi antequam in Alexandri locum incidiſſem. quis enim putaret tantos viros tam pueriliter, ſive aniliter potius deſipuiſſe? de Juniani ſtudiis dictum eſt aliquid ad L. 1. Eleg. 11. v. 33. Epiſtolas ejus, præter libellos grammaticos, exſtare dicit Delrius, loco laudato.

Digitized by Google

Quod ſi olim terris talem te fata dediſſent,
Spreviſſet Thuſcos Martia Roma viros.
Nam te quis melius calidas deprendere fibras,
Conſulere aërias aut potuiſſet aves?
Illa triumphatum regeret nunc legibus orbem,
Nec foret in cineres obruta pene ſuos.
Nec fera vidiſſet Cannenſis funera pugnæ,
Aut aquilas Parthos tam male ferre duces.
Scipiadum patriis habitarent ſedibus umbræ:
Tanta nec Hiſpanum conderet oſſa ſolum.
Te duce, veridicæ patuiſſent ſcripta Sibyllæ,
Non intellecto quæ nocuere deo.
Fortunate deûm interpres, quem ſydera norunt,
Cui ſuperûm mentes explicuiſſe licet.
Non te lethali tetigit puer improbus arcu
Quamvis & dominos implicet ille deos.
Nec tibi ſecuros rumpunt ſuſpiria ſomnos:
Fallaces Veneris deſpicis inſidias.
At nos incertis cæci jactamur in undis:
Ducimus & nullo tempora conſilio.
Et quiſquam mihi nunc longos optaverit annos,

 Cum

V. 51. SCIPIADUM *patriis habitarent ſedibus umbræ,*
Tanta nec Hiſpanum conderet oſſa ſolum.]
Florus lib. 2. c. 17. *Prima per Pyrenæum jugum ſigna Romana Publius & Cnæus Scipiones intulerunt: præliiſque ingentibus Annonem & Aſdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt: raptaque erat impetu Hiſpania, niſi fortiſſimi viri, in ipſa ſua victoria oppreſſi, Punica fraude cecidiſſent, terra marique victores.* idem ejuſdem libri cap. 6. *in Hiſpaniam miſſi Cnæus & Publius Scipiones, pene totam Pœnis eripuerant; ſed inſidiis Punicæ fraudis oppreſſi rurſus amiſerunt, magnis quidem illi præliis, cum Punicas opes cecidiſſent: ſed Punica inſidiæ alterum ferro caſtra metantem, alterum cum evaſiſſet in turrim, cinctum facibus oppreſſerunt.* Scribunt hanc hiſtoriam Livius lib. 23. 24. 25. Appianus Libyco, Plutarchus in vita Scipionis, Valerius Maximus l. 5. c. 1. Silius l. 13. Servius ad l. 6. Æneid. v. 842. Eutropius. Oroſius l. 4. cap. 17. meminit. & Cicero Orat. pro Balbo c. 15. & lib. de Seneâ. c. 20. & Paradox. 1. c. 2.

Digitized by Google

Cum videat vitæ tædia tanta meæ?
Non me Siſyphio ſuperent impulſa labore
Saxa, nec infernis dolia adacta vadis.
Et Tityi roſtro cedet mihi vultur obunco,
Pomaque Lethæis riſa ſub arboribus.
Vos igitur, qui me victum jam fletis amici,
Sic mea compoſitis cædite buſta notis:
Actius hic ſitus eſt: cineres gaudete ſepulti:
Jam vaga poſt obitus umbra dolore vacat.

VIII.

IN DOMINÆ NATALEM, AD JUNONEM.

Junoni fer ſacra, novas lege, muſa, coronas:
Natalis dominæ jam mihi feſtus adeſt.
Ipſa ſed imprimis ſolennes indue cultus:
Et mihi purpurea tempora cinge roſa.
Utque aliquid gratas divæ meditemur ad aras,
Affer inauratæ garrula plectra lyræ.
Tu quoque, vita, tuos auro ſubnecte capillos:
Plurimaque in niveo pectore gemma micet.
Hæc mihi te, mea lux, ſeros promiſit in annos,
Hæc mihi te certam juſſit habere dies.
Quanta mihi hac primum fulſerunt gaudia luce?
Quantus in hoc uno tempore venit honos?
O mihi Erythræis merito ſignanda lapillis:
O mihi delitias inter habenda meas.
Quiſquis ades, bona verba, & lætos edite cantus,
Libaque de Siculo dulcia melle date.

Digitized by Google

Alba mihi veſtis nullo violata veneno
  Adſit, & in geminos defluat apta pedes.
Ante aram viridi texant umbracula quercu
  Formoſis Dryades, ruſtica turba, comis.
Phœbus odorata circum tegat atria lauro:
  At myrto duplices tu, Cytherea, fores.
Ipſa Arabum merces Nyſeia turba miniſtret:
  Lenæuſque ferat Naxia vina pater.
Omnia ſint lætis operata ex ordine ſacris:
  Et cœlum niveis conſtrepat alitibus.
Magna parens Juno, centum comitata miniſtris,
  Huc ades, & votis annue, Diva, meis.
Vos quoque per vacuum quæ luditis aëra, nymphæ,
  Cingite felici nubila ſumma choro,
Scilicet eventus hæc ſint bona ſigna futuri:
  Hæc eadem plenæ nuntia lætitiæ.
Ipſe ego veſtra ſequar jucundo gaudia plauſu,
  Et peragam varios ore, manuque modos:
Quin etiam ſertis, & thure calentibus aris,
  Excipiam ſancta numina veſtra die.
At tu, natalis, nullos non fauſte per annos,
  Semper honorata luce ſerenus eas.
Quodque opto, innumeras ſi quid prece poſſe putamus)
  Cumææ vincas vatis olympiadas.

IX.

AD RUINAS CUMARUM

URBIS VETUSTISS.

Hic, ubi Cumææ ſurgebant inclyta famæ
Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris,
Longinquis quo ſæpe hoſpes properabat ab oris,
Viſurus tripodas, Delie magne, tuos,
Et vagus antiquos intrabat navita portus,
Quærens Dedaleæ conſcia ſigna fugæ:
(Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?)

Nunc

CUMARUM.] Cumæ Campaniæ olim dicebantur Myoenæ. Voſſius ad Catull. p. 248. v. Jov. Pontanus l. de magnanimitate 8. p. 463. ſq.

In ruinas CUMARUM *urbis vetuſtiſſima.*]
Ita eſt, nam conſtat conditam fuiſſe ab Euboeenſibus. hodie *Cuma* dicitur, olim urbs Epiſcopalis, in Campania ad oram litoralem, inter Linternum & Miſenum promontorium, a Saracenis funditus exciſa. (a Teutonibus A. MCCVII Juxta Mabillon Itiner. Ital. p. 109.) Virgilius l. 6. Æneid. v. 7. *Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.* ibi Servius: *Eubœa inſula eſt, in qua Calchis civitas eſt, de qua venerunt qui condiderunt civitatem in Campania, quam Cumas vocarunt: vel απο των κυματων; vel a gravida mulieris augurio, qua Græce* ἔγκυ[illegible] *dicitur.* hæc etiam leguntur in Servio ad l. 3. Aen. v. 441. Livius l. 8. *Cumani Chalcide Euboica originem trahunt.* videndus de la Cerda, ad laudatum Virgilii locum. & Calderinus ad Statium p. 463.

V. 4. *Viſurus tripodas,* DELIE *magne, tuos.*]
Apollo religioſiſſime colebatur Cumis. Virgil. l. 6.

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendaque procul ſecreta Sibyllæ
Antrum immane petit.

ad quem locu[illegible] Servius: *cum ubique arx Jovi detur, apud Cumas in arce Apollinis templum eſt. Altus autem vel magnus, ut, Jacet altus Orodes: & de ipſo Apolline, Sic pater ille Deum faciat, ſic altus Apollo. vel ad ſimulacri magnitudinem retulit, quod fuiſſe conſtat altiſſimum. Cælius enim de Cumano Apolline ait, Eſt in fano ſignum Apollinis ligneum, altum non minus pedes quindecim.*

V 6. *Quærens Dædalea conſcia ſigna fugæ.*]
vide omnino Virgilium initio libri ſexti, & ibi doctiſſimi grammatici Servii expoſitionem.

Nunc ſylva agreſtes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,
Nunc claudit ſaturas veſpere paſtor oves.
Quæque prius ſanctos cogebat Curia patres,
Serpentum facta eſt alituumque domus.
Plenaque tot paſſim generoſis atria ceris,
Ipſa ſua tandem ſubruta mole jacent.
Calcanturque olim ſacris onerata tropæis
Limina: diſtractos & tegit herba deos.
Tot decora, artificumque manus, tot nota ſepulchra,
Totque pios cineres una ruina premit.
Et jam intra ſolaſque domos, disjectaque paſſim
Culmina ſetigeros advena figit apros.
Nec tamen hoc Grajis cecinit Deus ipſe carinis:
Prævia nec lato miſſa columba mari.

Et

V. 9. *Atque ubi fatidicæ latuere arcana* SIBYLLÆ.]
Agathias lib. 1. ubi agit de obſidione Cumarum facta a Narſete Eunucho: *Ad orientalem collis flexum antrum quoddam ſuberat ex omni parte tectum, valdeque cavum, adeo ut adyta quadam nativa haberet, & ſinum ingentem ac profundum inſtar barathri. in hoc ajunt habitaſſe olim magnam illam Italicam Sibyllam numine afflatam divino, & ſciſcitantibus futura prædicere. Ajunt vero etiam Æneam-Anchiſæ filium, cum eo veniſſet Sibyllam ei omnia, quæ deinceps acciderunt, dixiſſe.*

Sybilla.] v. Mabillon Itineris Italici p. 108. *Miſſon Voyage d'Italie* T. 1. p. 313. & ſeqq.

V. 21. *Nec tamen hoc Grajis cecinit Deus ipſe carinis,*
Prævia nec lato miſſa COLUMBA *mari.*]
Vellejus Paterculus lib. 1. c. 4. *Nec multo poſt Chalcidenſes, orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle & Megaſthene ducibus Cumas in Italia condiderunt. Hujus claſſis curſum eſſe directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt; alii nocturno æris ſono, qualis Cerealibus ſacris cieri ſolet.* Lucanus Panegyrico ad Piſonem,

Teſtis Acidalia quæ condidit alite muros,
Euboicam referens fœcunda Neapolis arcem.

Columba.] Calderinus ad Statium p. 465. multa de iſtiuſmodi itinerum ducibus notavit Freinshemius, ad Curt. 4. 7. 15. Philoſtratus. l. 2. Imag. in *Melete*, auctor eſt coloniis Athenienſium in Joniam deducendis itineris ſe duces præbuiſſe Muſas ſub apum ſpecie. multa quoque Rupertus ad Vellei. Paterc. p. 26. & ſeqq. Servius ad l. 3. Aen. v. 332. Feſtus in *irpini*. Juſtinus 7. 1. 7. & 15. 4. 19. & 24. 4. 3. Columbæ indicio divinitus electi dicuntur undecim primi Ravennenſium epiſcopi. Mabillon Itin. Ital. p. 41. de Ma-

humetis

Digitized by Google

Et querimur, cito ſi noſtræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.
Atque utinam mea me fallant oracula vatem:
Vanus & a longa poſteritate ferar.
Nec tu ſemper eris, quæ ſeptem amplecteris arces:
Nec tu, quæ mediis æmula ſurgis aquis.
Et te, (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator
Vertet, &, Urbs, dicet, hæc quoque clara fuit.
Fata trahunt homines. fatis urgentibus, urbes,
Et quodcunque vides auferet ipſa dies.

humetis columba res eſt tritiſſima. Cornicis ductu invenerunt Orchomenii Heſiodi oſſa, Naupacti jacentia. Leonicus de Var. Hiſtor. l. 2. c. 85.

X.

MALA PUNICA.

Quid miſer externas perquiris Navita gentes?
Et tam longinquo gurgite quæris opes?
Nec te ventorumque minas, pelagique procellas,
Nec piget ignotæ damna ſubire viæ.
Aſpice, quam tenui velemus cortice gemmas.
Jam tibi, quicquid habent littora rubra, damus.
Seu vis purpureos roſeo fulgore Hyacinthos:
Inſenſam Baccho ſive Amethyſton amas:
Ardenteis ſeu quæ torres imitantur, & igneis:
Seu mage diluto lumine chryſolithos.

Sed

MALA PUNICA.] Venerem omnium principem Punicam in Cypro malum ſeviſſe ex Græcorum fabulis obſervavit Lud. Cælius lib. 23. cap. 3. de Granatis, ſive Punicis malis, vide Dioſcoridem l. 1. c. 131 Hermol. Barbarum Corollar. in Dioſcor. lib. 1. cap. 151. & Cœlium lib. 29. cap. 23.

Sed rude divitias extollit vulgus inanes:
Nec meminit, quantis ſit caput inde malis.
Divitiæ fera bella viris, lethumque tulerunt.
Nam prius æterna pace vigebat humus.
Divitiis natoque pater, natuſque parente
Cæditur, & charo fratre verenda ſoror.
Nec tantum ſævæ tractant aconita novercæ:
Sed jugulat partus mater avara ſuos.
Adde, quod & gemmæ ſolo fulgore probantur,
Adſcituſque illis quæritur arte decor.
At nobis natura oculos tardare tuenteis,
Et dedit, arenti pellere ab ore ſitim.
Nec noſtræ populos armant in prælia gemmæ,
Nec ſuadent magnos clam violare Deos.
Sed ſemper placidis viſunt convivia menſis:
Stant ubi jucundo pocula plena mero.
Illic nos teneræ vir porrigit ipſe puellæ,
Porrigit & cupido fida puella viro.
Pacis opus ſumus, & pacati munus amoris,
Quod capit a Satyro Nais amata ſuo.
Nec temere, infernis cum nos libaſſet in hortis,
Noluit

V. 31. *Nec temere, infernis cum nos libaſſet in hortis,*
Noluit ad matrem nata redire ſuam.] eleganter & ad rem apposite fingit Proſerpinam a Plutone raptam, poſtquam mali Punici ignotas delitias guſtaſſet, noluiſſe ad matrem Cererem redire. volebat quidem illa, ſed obſtabant fatorum leges. Ovidius lib. 5. Metam.

—— Cereri certum eſt educere natam.
Non ita fata ſinunt. quoniam jejunia virgo
Solverat; &, riguis dum ſimplex errat in hortis,
Puniceum curva decerpſerat arbore pomum:
Sumtaque pallenti ſeptem de cortice grana
Preſſerat ore ſuo.

v. Servius 1. Georg. 39. Idem tamen paulo aliter Faſtor. lib. 4.

Hoc quoque tentemus, ſiquidem jejuna remanſit:
Sin minus; inferni conjugis uxor erit.
Tartara juſſus adit ſumtis Caducifer alis:
Speque redit citius, viſaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, ſolvit jejunia granis,
Punica quæ lento cortice poma tegunt.

ita

Noluit ad matrem nata redire ſuam.
Nos quoque, dum Libycos errat Pomona per agros,
Obſtupuit pleno fracta rubere ſinu:
Ac rarum mirata decus, mirata liquorem,
In ſua de patrio tranſtulit arva ſolo.
Ergo Puniceæ laus hæc, & gloria ſylvæ,
Vincere gemmiferi lucida dona maris:
Pallentique graves depellere corpore morbos,
Ægraque Pœoniis ora levare modis.
Quod nec Erythræi præſtabunt littora ponti,
Non opibus pollens Indica terra ſuis.
Tu vero, duplici fulgent cui tempora lauro,
Militiæ & ſacri dux, Aquivive, chori:
Accipe nos, laudum contentus luce tuarum:
Muneraque inviſæ deſpice luxuriæ:
Et ſeu carminibus, ſeu delaſſaberis armis,
Diluat exundans hæc tibi gemma ſitim.

ita etiam vetus Statii interpres. l. 3. Theb. 511. inde malo Punico abſtinuerunt Theſmophoriazuſæ, ut obſervat Carol. Neapolis. quæ ſequuntur de Pomona, deque tranſlatis in Italiam Punicis malis, non niſi a feſtiviſſimo ingenio poterant proficiſci. interim adire te velim Ren. Rapinum ſecundo Hortorum libro, ubi elegans deſcriptio mali Punicæ, & fabula item non illepida.

V. 48. Gemma.] V. *della Valle* T. 2. p. 227.

ACTII

ACTII SYNCERI
SANNAZARII
NEAPOLITANI
ELEGIARUM.
LIBER III.

I.

AD FREDERICUM FERDINANDI FILIUM ARAGONIUM, SICILIÆ REGEM.

Ergo ego fallaci tantum ſervire puellæ
  Natus, & adverſo ſemper amore queri?
Nec me Pieria ſpectabit Phœbus in umbra
  Inter certantes carmina ferre choros?
Qua denſos Helicon ſaltus, colleſque virentes
  Pandit, & Aonidum perluit antra liquor,
Diſpoſitæque jugis intexunt ſerta puellæ,
  Pendenteſque ſonant per cava ſaxa lyræ.
Jam libet intactis haurire e fontibus undam,
  Et luſtrare ſacrum, qua via nulla, nemus.
Ardua ſunt tentanda: novas en, carmina, vires

Sumite:

Digitized by Google

Sumite: per durum gloria anhelat iter.
Nunc opus eſt alia crinem compeſcere fronde:
Nil mihi cum ſertis, Bacche jocoſe, tuis.
Ipſe audax virides Parnaſi in vertice lauros
Decerpam, aut ſylvis, Pinde canore, tuis.
Ipſe lyram nullo percuſſam pollicis ictu
Suſpendam ex humeris, præmia rara, meis.
Non ego nunc molles meditor laſcivus amores:
Nec jacio ad ſurdas carmina blanda fores.
Major ad heroes me ſublevat aura cothurnos:
Major & in noſtro perſonat ore deus.
Lætus ades, Federice: tuas ex ordine laudes
Exequar: auſpiciis fama petenda tuis.
Nam quamquam antiquis Regum bene fulta triumphis
Stat domus, & tantis ſe tibi jactat avis:
Majorum tua non titulis innixa recumbit
Gloria, nec priſcis geſtis imaginibus:
Sed certat magnos virtus anteire parentes,
Æternum & vera laude parare decus.
Nec tua facta olim titulo breve marmor habebit.
Immenſum magni carminis illud opus.
Seu te quis teneris puerum miratus ab annis,
Ætatis referat tempora prima tuæ:
Seu caſus rerum varios, duroſque labores,
Exhauſta & ſævo prælia Marte canat.
Egreſſum vixdum cunis Æneïa nutrix
Senſit, & adventu mota repente tuo eſt:
Terque deos venerata, caput ter ſubſtulit urna,
Et tandem Phrygio lingua voluta ſono eſt.
En iterum, Sol magne, meæ poſt diruta Trojæ
Pergama, poſt Latios ſpes mihi ſurgit avos.
Hac ætate vagi quondam per prata Scamandri,
Ænean vidi ludere ſæpe meum.

Nec

Nec tu major eras, cum jam poſt fata Creuſæ
Reptares gremio, pulcher Iule, meo;
Certareſque jocis curas mihi demere aniles,
Deducens blandas noſtra per ora manus.
His tamen auſpiciis Albanæ ad ſidera turres
Crevere & rerum maxima Roma caput.
Hinc Decios, Fabioſque, hinc pectora dura Catones
Vidimus, & faſces, Brute ſevère, tuos.
Vidimus & ductos non uno ex hoſte triumphos,
Auctaque Julæis ſtemmata Cæſaribus.
Ingredere, o, felixque ſubi pede noſtra ſecundo
Mœnia, propenſos & venerare deos:
Ingredere, Antiphatæ pollens tibi regia ſervit,
Et Læſtrygonio limina tuta metu.
Sit Jove Creta potens, ſint clari ab Apolline Delphi,
Laudet Amyclæos Tænaris ora duces:
Alciden, Bacchumque ferant ad ſidera Thebæ:
Terra rudimentis noſtra noſtra beata tuis.
Nam te, dum rapidos arcet de finibus hoſtes,

V. 57. *Ingredere:* ANTIPHATÆ *pollens tibi regia ſervit,*
Et: LÆSTRYGONIO *limina tuta metu.*]
Formias intelligit, (quæ Phormiæ & Hormiæ Græcis) urbem olim Epiſcopalem, ſed a Saracenis exciſam, in Campaniæ ora litorali, inter Cajetam, quo Epiſcopalis ſedes tranſlata eſt, & Minturnas. Fuit hæc antiqua Læſtrygonum anthropophagorum domus, quorum Rex Antiphates. Ovidius l. 14. Metamorph.

Inde Lami veterem Laſtrygonis, inquit, in urbem
Venimus. Antiphates terra regnabat in illa.
Miſſus ad hunc ego ſum, numero comitante duorum,
Vixque fuga quaſita ſalus, comitique, mihique.
Tertius e nobis Laſtrygonis impia tinxit
Ora cruore ſuo: fugientibus inſtat, & agmen
Concitat Antiphates: coëunt, & ſaxa, trabeſque,
Comminuunt, merguntque viros, merguntque carinas.
Una tamen, qua nos, ipſumque vehebat Ulyſſem,
Effugit.

vide interpretes Horatii ad lib. 3. od. 16. Lucium Septimium vi. 5. Ciceronem ad Attic. 13. Cluverium III. Ital. Ant. 10. Homer. X. Odyſſ. 81. ſqq.

Ardua magnanimus miſit in arma pater.
Auſpice te, noſtræ nullis incurſibus arces
Succumbent, nullis littora noſtra minis.
Sed bene habet, ceſſere metus, ceſſere pericla:
Barbarus hoſtiles ad ſua vertit equos.
Jam juga, jam læti reſpirant undique campi:
Nec tuba veliferas concitat ulla rates.
Tu tamen ad patrios revocabere victor honores,
Maternoſque ſinus, Parthenopenque petes.
Mox Salentinos ibis metator in agros,
Qua ſecat Oebalia culta Galeſus aqua.
Sed quo livor edax non irruis? ecce repente

Fata

V. 73. *Mox* SALENTINOS *ibis metator in agros,*
Qua ſecat OEBALIA *culta* GALESUS *aqua.*

Salentinorum regio Meſſapia eſt, & Iapygia, cum Calabria in ora Boreali, hodie *Terra d'Otranto*, in qua tres metropoles, Brunduſium, Tarentum, & Hydruntum. Virgilius lib. 3. Æneid.

Et Salentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Servius: *Salentinum promontorium Italia eſt inter Calabriam & Brutios. Nam ut ait Saluſtius, Omnis Italia coacta in anguſtias, funditur inter* (in Voſſius ad Melam p. 162.) *duo promontoria, Brutium,* & *Salentinum.* Feſtus, *Salentini a ſale ſunt appellati.* Galeſus, nunc *Galaſo*, fluvius eſt Magnæ Græciæ, per agrum Tarentinum labens, ac in ſinum Tarentinum deſinens. Virgilius lib. 4. Georg.

Namque ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galeſus,
Corycium vidiſſe ſenem, &c.

Ibi Servius: *Galeſus fluvius eſt Calabriæ, qui juxta civitatem labitur Tarentinam. Oebalia autem turres ait, quas condiderant hi qui de Oebalia venerant. Nam Lacones diu bello attriti ab Athenienſibus, & inopiam timentes virorum, præceperunt ut virgines eorum cum quibuſcunque concumberent. Quo facto cum poſt victoriam de incertis parentibus nati erubeſcerent originem ſuam,* (*nam & Parthenia appellabantur*) *duce Phalanto, octavo ab Hercule, navigiis profecti venerunt ad oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius condiderat: & id auctum habitaverunt.* Horatius lib. 2. od. 6.

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.

Livius lib. 25. cap 11. *Reliquit tamen* (Annibal Tarento proficiſcens) *modicum præſidium, ut ſimul in faciendo muro adjuvaret. Ipſe profectus cum cæteris copiis ad Galeſum flumen* (*quinque millia ab urbe abeſt*) *poſuit caſtra.*

Digitized by Google

Fata jubent longas te procul ire vias:
Romanumque patrem, ſacraſque inviſere ſedes,
Imprimis magnos promeruiſſe deos.
Tum pontes arcuſque ducum, delubra, viaſque,
Cumque ſuis cernes ſtructa theatra foris.
Interea Vaticanas numerare per ædes
Tot ſigna artificum, tot monumenta licet.
Mox Vejos, vetereſque Umbros, forteiſque Sabinos
Tranſgreſſo, Adriacum ſtat ſuperare latus,
Æmiliæque domos, Apenninumque nivalem,
Et Phaëtontæo proxima regna Pado.
Quis ſumptus, Leonora, tuos, quis publica dicat
Munera, Ateſtinis edita principibus?
Jam veteres ſuperas, dives Ferraria, ludos,
Aurea dum celeri præmia ponis equo,
Effigieſque deûm, ſpectandaque ſigna per aras
Extruis, & variis pegmata celſa locis.
Quis rurſum Venetæ miracula proferat urbis?
Una inſtar magni quæ ſimul orbis habet.
Una Italûm Regina, altæ pulcherrima Romæ
Æmula, quæ terris, quæ dominaris aquis:
Tu tibi vel reges cives facis. o decus, o lux
Auſoniæ, per quam libera turba ſumus:
Per quam barbaries nobis non imperat, & ſol
Exoriens noſtro clarius orbe micat.
Proxima ſunt, Gonſaga, tuæ ſpectacula terræ,
Donaque per magnos ante parata duces.

V. 89. Dives Ferraria.] ſane dives tum temporis, nunc fere deſerta, plures domos numerat quam incolas. voyez *Le voyage d'Italie de M. Miſſon* T. I. p. 106. & *le Voyage de Burnet.*

V. 97. *Tu tibi vel* Reges cives.] *voyez Le Voyage d'Italie de M. Miſſon.* T. I. p. 195.

O decus, o lux Auſonia, per quam libera turba ſumus.] V. Bern. Taſſo la Lettera 27.

Mantua queis, largoque exſultat Mincius ore,
Auſus ſpumiferum tollere ad aſtra caput.
Mincius æterni ſacrum geniale Maronis,
Cui cedit flavo lucidus amne Meles.
Hinc populos, Ticine, tuos ſpectare licebit,
Dictaque lanigeræ mœnia pelle ſuis,
Taurinoſque, altaſque Alpes, Pœninaque caſtra,
Et Rhodanum, & ripas, magne Lemanne, tuas.
Inde per immenſum lati ſpatiabere campi,
Oſtendit ſacrum mons ubi Jura nemus:

Et

V. 106. *Cui cedit flavo lucidus amne* MELES.] fluvius eſt Ioniæ, Smyrnæ urbis mœnia alluens, ad quem natus dicitur Homerus, inde *Meleſigenes* appellatus. meminit Plinius lib. 5. cap. 29. is fluvius Homeri pater habitus. Arnobius lib. 4. *Quis* (Martem prodidit) *menſibus in Arcadia tribus & decem vinctum? non Mela fluminis filius?* vide Herodotum initio libelli de vita Homeri. Amaſtriani nummos cuderunt, altera facie hunc fluvium jacentem, & lyram tenentem; altera bene barbatum Homeri caput referentes. Barthius ad Statii lib. 3. Silv. 3.

V. 108 *Dictaque* LANIGERÆ *mœnia pelle* SUIS.

Mediolanum intellige, quod a Gallis conditum. Livius lib. 5. cap 34 Ajunt autem cum prima urbis hujus fundamenta jacerentur, aprum eſſe repertum media parte lanatum. Claudianus,

ad mœnia Gallis
Condita, lanigera ſuis oſtendentia pellem.

Philelphus dec. VIII. Sat. 10.

quid enim natura negavit
Egregium Inſubribus? quidquid vel terra vel aër,
Aut aqua dulce tulit, dabit id tibi nomine lanam
Urbs quæ magna, ſuo mediam deſignat, ab ejus
Augurio deducta ſuis, quæ fixit opimo
Fundamenta ſolo terras celebrata per omnes.

vide Volaterranum lib. 4. Munſterum Coſmograph. l. 2. cap. 21. *Ticinus* (cujus ſuperiore verſu meminit) hodie *Teſino*, fluvius eſt Inſubriæ clariſſimus, navium patiens, ex Adula monte in Helvetiorum confinio erumpens, ac per lacum Verbanum fluens, Ticinique urbis mœnia radens, in Padum excipitur, aquas ſuas perſpicuas immixtas aquis Padi turbidis conſervans. Claudianus in ſext. Honorii Conſulat.

Colla levant pulcher Ticinus & Addua viſu.

duas primas in *Ticinus* male corripit Philelphus dec. VIII. Sat. 10. v. 20.

V. 112. *Oſtendit ſacrum* MONS *ubi* JURA *nemus*]

mons iſte *Juraſſus* dicitur Straboni & Ptolemæo Gallis *le mont Jura*, ſeu *le mont S. Claude*, eſtque Galliæ Lugdunenſis. Voſſius putat verum nomen

eſſe

Digitized by Google

Et veteres felix cuſtodit Claudius arces,
Claudius æternæ conciliator opis.
Hic formidatas acies, ipſumque videbis
Elatum longa proſperitate ducem.
Finitimis dum bella parat, tibique arma, viroſque
Commendans, magni jus dabit imperii.
Nimirum ingeniumque ſagax miratus, & artes,
Quæque dabis mentis plurima ſigna tuæ.
Quapropter mediis generum te deligit armis,
Pollicitus natæ ſpemque, torumque ſuæ.
Ac velut Oenomai currus, altumque ſecutus,
Eludet pacti fœdera conjugii.
Sed male ut Oenomao currus ceſſere, dolique,

 Perfi-

eſſe *Jus*, in plurali *Junts*, ad Melam p. 171. Varia pro locorum diverſitate ſortitur nomina ab Helvetiis & Germanis. Septentrione Rhenum uſque porrigitur, & a meridie Genevam ac Breſſiam provinciam attingit: ejuſque pars minima, *le credo* dicta, uſque ad Rhodanum fluvium extenditur, quatuor leucis infra Genevam, vide Cæſarem lib 1. de Bello Gallico cap. 2. & ibi Rhellicanum, ac Glareanum.

V. 115. ——— *ipſumque videbis Elatum longa proſperitate* DUCEM.] de Carolo Burgundione loquitur, cui Audacis cognomen. Ejus hiſtoriam, quod nemo ignorat, luculentiſſime ſcripſit promus ille condus prudentiæ civilis Phil. Cominæus,

Lex veritatis, criminiſque expers Eques,
Pictorque Regum Principumque nobilis.

habuit ille Carolus neſcio quid negotii occultioris cum Regibus Neapolitanis, v. Jov. Pontanus lib. de Convivent. c 5. p. 272.

V. 121. *Mediis generum te deligit armis.*] & tamen Calaber iſte primo genitam Ludovici undecimi filiam, v. *la chronique ſcandaleuſe*, p. 241. ubi ſimul videbis, quam apte, quamque vere Carolus Burgundus cum Oenomao comparetur ad de Comineum comment. p. 164. 190. 187.

V. 125. —— OENOMAI *currus altumque ſecutus.*] Martis ille filius fuit, Elidis & Piſæ rex; Hippodamiæ pater; qui cum ex oraculo didiciſſet ſe a genero interfectum iri, curule certamen procis propoſuit, ea lege, ut filia in matrimonium victori cederet, victus mortem ſubiret. Tredecim igitur victis & occiſis, Pelops, Tantali filius, Myrtilum aurigam precio corrupit, ut axes infirmos ac fragiles currui ſubjungeret. Quo facto Oenomaus una cum curru corruit, membriſque omnibus e ruina colliſis, jamque morti vicinus, Pelopem precatus eſt, ut vicem ſuam ulciſcererur. Quare cum Myrtilus pactum ſibi perfidiæ præmium a Pelope contumelioſius exigeret, ab eo in mare præcipitatus

Perfidiæ pœnas ſic ferus iſte luet.
Ter victus, ter jam caſtris exutus ab hoſte,
Poſtremo miſeram corruet ante diem.
Nam dejectus equo, foſſaque inventus in alta,
Obſcœnam turpi ſanguine tinget humum.
Nec jam erit, extremos funus qui curet ad ignes,
Non lapis, inciſis qui tegat oſſa notis.
Tu celſus, tu ſublimis, tu victor honorem
Accipies, tibi quem Gallia tota dabit,
Biſque tuis referet ſuperatos Lingonas armis,
Ductaque bis pulſos ſigna per Helvetios:
Præterea quantum populorum Moſa coërcet,
Quantum cærulea Rhenus inundat aqua.
Atque erit is noſtræ gentis vigor, omnia credi
Ut poſſit juſto ſuccubuiſſe metu.
Hic ego te, laudeſque tuas, fortiſſime Juli,
Non ſileam, & valida prælia geſta manu.
Quem titulis Aquiviva domus præluſtribus ornat,
Mortaleſque inter, ſemideoſque locat.

Et

tus eſt. Pelops deinde totam Cherſoneſum de ſuo nomine appellavit Peloponneſum, quæ nunc *Morea* dicitur vide Hyginum.

V. 127. *Ter victus &c.*] v. *La chronique ſcandaleuſe de Louis* XI. p. 287. 322. 330. *Olivier de la Marche* l. 2 *des Memoir.* c. 6. p. 59.

V. 129. *Foſſaque inventus in alta.*] ipſum prælium vide *dans la Chronique* p. 343. inventi cadaveris hiſtoriam. p. 348. & ap. Petrum de Blarrorivo l. 6. Nanceid. ſub finem. Cominæum l. 5. Comment. c. 8. *Olivier de la Marche* p. 610.

V 131. *Nec jam erit &c.*] paria de Decio Lactantius de mort. perſecut. c. 4. *Miſſon voyage d'Italie* T. 2. p. 241.

V. 139. *Is noſtra gentis vigor*] erant attamen inter Italos multi perfidi ac ſcelerati v. Cominæus. Comm. p. 218. 271. 275. 299. 307. *La cronique ſcandaleuſe* p. 343. 348. *Olivier de la Marche.* p. 609.

V. 141. *Hic ego te laudeſque tuas, Fortiſſime* JULI,
Non ſileam, &c.]

is fuit Julius Aquivivus, pater Andreæ Matthæi Hadriæ ducis, cæſus in prælio quondam contra Turcas. dixi de eo nonnihil ad lib 1. El. 11. v. 23. Marullus l. 1. Epigr. 48. l. 2. Ep. 22.

V. 141. *Fortiſſime* JULI.] v. Jov. Pontanus Oper. T. 1. p. 426. 428.

Digitized by Google

Et jam militiæ moles tibi creditur omnis,
Omnia ſub leges allicis ipſe tuas.
At te patrato, juvenum pulcherrime, bello,
Tempus erat patriis dona tuliſſe Deis,
Mendaciſque ſimul faſtus, odiumque tyranni
Cum prope defenſo deſeruiſſe ſolo.
Eja age, rumpe moras, inviſaque caſtra relinque,
Fidaque magnanimi limina regis adi.
Cui vel ad Oceani fines tot littora parent,
Juraque dant ſceptri Celtica regna ſui.
Hic tibi felices tædas, certoſque hymenæos
Expediet, tutas & ſimul addet opes.
Teſtis erit Liger, Arvernis qui fuſus ab antris
Libera devexum per loca findit iter.
Interea patrem, Campanaque tecta reviſe,
Debitaque auſpiciis, hei mihi, regna tuis,
Debita, ſed fatis cito jam ceſſura malignis,
Evertet tantas cum ferus hoſtis opes.
Dii maris Hetruſci, per quos Tyberinus, & Arnus,
Macraque cæruleis jungitur altus aquis,
Dum redit in patriam juvenis, tot honoribus auctus.
Candida felici ſolvite vela noto.
Voſque citæ puppes juſſum properate per æquor:
Fata dabunt iſtas ſæpe iterare vias:

 Nec

V. 164. Macraque *cæruleis jungitur altus aquis.*] Fluvius eſt Italiæ, Liguriam ab Hetruria ſeparans, *la Magra*: oritur in limite Ducatus Parmenſis, deinde per Vallem Macræ, ab eo dictam, & ditionem Genuenſem fluens, paulo infra Serezanam in Mare Mediterraneum ſeſe exonerat.

V. 166. *Candida felici ſolvite vela noto.*] totus hic verſus exſtat apud Propertium lib. 1. El 17. niſi quod in vulgatis legitur *choro*. vidi tamen membranas in quibus erat *noto*. nimium hærent multa ex frequenti lectione, quæ ſeſe nonnunquam meditantibus offerunt tanquam ſi eſſent domi nata. neque ſane opus habebat Sannazarius mutuatis aliunde verſibus, cui tantus eorum in mundo theſaurus.

Nec ſemel hos tractus, Ligurumque videbitis oras,
Aut Vari infauſtum fluminis hoſpitium,
Vallatoſque ſinus ſcopulis, Toroëntia clauſtra,
Et ſparſas mediis Stæchadas æquoribus:
Denique Phocaicoſque ſinus, Marioque refoſſum
Littus, & antiquæ mœnia Maſſiliæ.
Donec fatales Turonum accedere muros
Permittant veſtro fata ſiniſtra duci.
Ah Liger, ah nimium lachrymis urgende meorum,
Qualia ſpectabis flumine buſta tuo!
Buſta, quibus magni ponant diademata reges,
Grataque ſolemni flore parentet humus.
Atque aliquis Latio veniens novus hoſpes ab orbe,
Portet

V. 170. *Aut* VARI *infauſtum fluminis hoſpitium.*] Varus fluvius, *le Var* Gallis, *il Varo* Italis, Liguriam Italiæ regionem a Gallia Narbonenſi, ſive a Provincia, ſeparat. oritur ex Acema monte in Alpibus maritimis, & prope Nicæam in comitatu Nicæenſi in mare mediterraneum exoneratur. vide Strabon. lib. 4. Lucanus lib. 1.

Solvuntque flavi longa ſtatione Rutheni,
Finis & Heſeperiæ promoto limite Varus.

ita enim recte reſtituit H. Grotius, pro vulgato *Milite.* hunc fluvium Ecloga pulcerrima, quæ eſt ordine ſecunda, nobilitavit poëtarum Germanorum Phœnix P. Lotichius Secundus ad ejus ripas deplorans patriæ ſuæ calamitates.

V. 173. —— PHOCAICOSQUE *ſinus*, MARIOQUE *refoſſum Littus*, *& antiquæ mœnia* MASSILIÆ] quæ ad hunc locum adduci poſſunt, jam collegit eruditiſſimus Rittershuſius commentario ad Salvianum No. 568. & ſeqq. ubi multa pulcra: & complexus eſt peculiari libello Petrus Hendreich.

V. 173. *Marioque refoſſum Littus.*] inſulam Rhodani intelligit, *Camargue* dictam. v. *d'Urfé* T. 1. *de l'Aſtree.* l. 8. p. 232. 6. ſq. *Menage origin. de la langue Françoiſe.* p. 152. *au mot Camargue.*

V. 175. *Donec fatales* TURONUM *accedere muros.*] Turones populi fuerunt Galliæ Lugdunenſis; quorum tractus hodie Turonia, *la Touraine*; urbs ipſa Cæſarodunum, ſive Turones, *Tours*, ad Ligerim fluvium, ubi oblongo ponte lapideo jungitur. ſecundam in *Turones* corripit Lucanus lib. 1.

Piſtones immunes ſubigunt ſua rura; nec ultra
Inſtabiles Turonas circumſita caſtra coërcent.

& Venantius Fortunatus lib. 5.

Dulce caput Turonis, religionis apex.

Portet honoratas munus ad inferias,
Et dicat: Federice, tuorum hic meta laborum
Hæſit. habet noſtros hæc brevis urna deos.

II.

QUOD PUERITIAM EGERIT IN PICENTINIS, AD CASSANDRAM MARCHESIAM.

Eſt Picentinos inter pulcherrima montes
Vallis: habet patrios hic pia turba Deos.
Quam ſuper hinc cœlo ſurgens Cerretia rupes
Pendet: at huic nomen Cerrea ſylva dedit.
Parte alia ſacræ reſpondent ſaxa Tebennæ,
Quique rigens Merulæ nomine gaudet apex.
Et circum nigra late nemus accubat umbra,
Plurima qua riguis effluit unda jugis,
Semiferi, ſi vera canunt, domus horrida Fauni;
Convectant avidæ quo ſua luſtra feræ.
Accipit hic tergo formoſum bucula taurum:
Accipit immundum ſima capella marem.
Mille tori Dryadum, Satyrorum mille receſſus,
Antraque ſylvicolæ grata latebra Deæ.

L 5 Vivula

De Caſſandra Marcheſia, illuſtriſſima fœmina, vide notas ad Eclogam quintam.

V. 1. *Eſt* PICENTINOS *inter pulcerrima montes Vallis.*] Picentini (Picentes vocat Mela lib. 2. cap. 4.) populi Italiæ in ora maris Tyrrheni, inter Campanos ad occaſum, & Lucanos ad ortum. Videndus omnino Plinius lib. 3. cap. 13. hodie *Coſta d'Amalfi*, & *Principato citra*, tametſi principatus etiam Lucaniæ oram complectitur, caput regionis eſt Salernum.

Digitized by Google

Vivula nomen aquæ, tenuique Subuncula rivo,
  Et quæ de gelida grandine dicta ſonat.
Huc mea me primis genitrix dum geſtat ab annis,
  Deducens charo nupta novella patri,
Adtulit indigenis ſecum ſua munera divis,
  Imprimis docto florea ſerta gregi.
Grex erat Aonidum, cœtu comitata ſororum
  Ipſa ſui princeps Calliopea chori.
Delius argutis carmen partitus alumnis
  Flectebat faciles ad ſua plectra manus.
Atque hic me ſacro perluſtravere liquore,
  Cura quibus noſtræ prima ſalutis erat.
Tum lotum media puerum ſtatuere chorea,
  Et circumfuſis obſtrepuere ſonis.
Denique præcinctumque hederis, & virgine lauru,
  Ad citharam dulces edocuere modos.
Tantus erat lætis avium concentus in agris,
  Ut poſſes ipſos dicere adeſſe deos.
Venerat omne genus pecudum, genus omne ferarum,
  Atque illa feſtum luce habuere diem.
Tunc ego paſtorum numero, ſylveſtria primum
  Tentavi calamis ſibila diſparibus.
Deductumque levi carmen modulatus in umbra,
  Innumeros pavi lata per arva greges.
Androgeumque, Opicumque, & ruſtica ſacra ſecutus,
  Commovi lachrymis mox pia ſaxa meis,
Dum tumulum charæ, dum feſtinata parentis

Fata

V. 35. *Tunc ego* PASTORUM *numero. &c.*] hos decem verſus intellige de Arcadia poëtæ noſtri Italico idiomate conſcripta. Androgeus & Opicus inter paſtores non ſemel inducuntur. ecloga illa in matris obitum, quæ ordine undecima, longe eſt pulcerrima. quæ de antris ſequuntur & fluminibus, referri debent ad proſam duodecimam.

Fata cano, gemitus dum, Meliſee, tuos.
Ac tacitas per operta vias rimatus, & antra
Inſpecto, & variis flumina nata locis.
Mox majora vocant me numina: ſcilicet alti
Inceſſere animum ſacra verenda Dei,
Sacra Dei Regiſque hominum, dominique Deorum,
Primævum ſanctæ religionis opus.
Nuncius æthereis ut venerit aliger aſtris,
Dona ferens caſtæ virginis in gremium.
Quid referam caulaſque ovium, luſuſque canentum
Paſtorum, & Reges, Arſacis ora, tuos?
Nec minus hæc inter piſcandi concitus egit
Ardor in æquoreos mittere lina ſinus,
Fallaceſque cibos vacuis includere naſſis,
Atque hamo undivagos ſollicitare greges.
Quandoquidem ſalſas deſcendi ego primus ad undas,
Auſus inexpertis reddere verba ſonis.
Quid referam molleſque Elegos, miſerabile carmen,
Et ſuperis laudes non ſine thure datas?
Quæque aliis luſi numeris, dum ſeria tracto,
Dum ſpargo varios per mea dicta ſales.
Multaque præterea, dilectæ grata puellæ,
Adſciſco antiquis rurſus Hetruſca modis.

Ut

V. 51. *Quid referam caulaſque ovium, luſuſque canentum Paſtorum*, & REGES, ARSACIS ORA *tuos?*] non capio hunc locum, jam enim ſupra de Arcadia ſua egerat, cujus argumentum bucolicum eſt. ſed hic videtur loqui de alio quodam opere, & quidem notiſſimo, cujus ſcena fuerit in Parthorum regno, aut in Perſia, nam hæc ſæpe confunduntur. Et tamen omnes illi qui Italicorum ſcriptorum indices, ſive tu mavis bibliothecas, nobis confecerunt, verbum nullum hac de re faciunt. quapropter adducor ut credam, quicquid tandem operis fuerit, calamitoſi iſtius temporis fato intercidiſſe. Quod accidiſſe ſcimus Eclogis piſcatoriis, quas decem ſcripſerat Sannazarius: nos autem non niſi quinque habemus ſuperſtites, nam *Salices* huc non pertinent.

Digitized by Google

Ut ſileam nunc impenſos tot regibus annos,
  Tot data belligeræ tempora militiæ:
Ut ſileam vexata malis mea corpora morbis,
  Vixquè Machaonia reſtituenda manu.
Adde graves populique fugas, procerumque ruinas,
  Inflicta & miſeris urbibus exilia.
Ipſe per infeſtos tecum, Federice, labores
  Multa adii terra, multa pericla mari.
Tuſcorumque vadis, Ligurumque exercitus undis,
  Poſtremo littus Maſſilienſe ſubi.
Jam Rhodanum, Volcaſque feros, Vocontiaque arva
  Legimus, & fines, Belgica terra, tuos.
Biſque pruinoſas curſu ſuperavimus Alpes:
  Bis metas magni vidimus Oceani.
Atque hic te tandem deflevimns, optime Regum,
  Quantum Hecube natos fleverat ipſa ſuos;
Quantum diſciſſis fratres Caſſandra capillis,
  Andromacheque ſui dum legit oſſa viri.
O fatum infelix, o ſors male fida, quid illic
  Egimus? o triſti merſa carina loco.
Cum nullum interea frugis genus imbre, vel æſtu
  Redderet ingenio Muſa vocata meo.
Et jam miramur, longo ſi preſſa labore
  Amiſit vires parvula vena ſuas?
Ipſe deûm ſimul, atque hominum celebrator Homerus
  Deficeret: nedum ſegnis, inerſque lyra.
Deficeret pater ipſe, & carminis autor Apollo,
  Pegaſidum ſacras qui tenet unus aquas.
Ergo, tanta meæ cum ſint diſpendia vitæ

Facta,

V. 70. EXILIA.] credo *exitia*, v. *il Tomaſi nella vita di Ceſare Borgia* p. 315. ſqq.

V. 74. POSTREMO.] v. *il Tomaſi nella vita del Duca Valentino.* p. 327. ſq.

Facta, potes noſtram quiſque dolere vicem,
Quod non ingenio, quod non profecimus arte;
Quod mea ſit longo mens prope victa ſitu:
Quod mala ſubrepens imos ceu peſtis in artus
Irruerit, fracto corpore, ſegnities;
Nec pote jam lapſæ ſtudium revocare juventæ,
Ingenii cum ſit tanta ruina mei.
Tu ſaltem, bona poſteritas, ignoſce dolori,
Qui facit, ut ſpreto ſit mea fama loco:
Muſarum ſpolierque bonis, & nomine claro
Vatis, & hæc ultro credar habere mala.
Proſit, amicitiæ ſanctum per ſæcula nomen
Servaſſe, & firmam regibus uſque fidem.
Voſque vel ignavo, vel tardo parcite, amici,
Cui natura ſuas dura negarit opes;
Dum tamen ambitione mala, atque libidine turpi,
Et caream inviſæ crimine avaritiæ.
Tu quoque vel feſſæ teſtis, Caſſandra, ſenectæ,
Quam manet arbitrium funeris omne mei,
Compoſitos tumulo cineres, atque oſſa piato:
Neu pigeat vati ſolvere juſta tuo.
Parce tamen ſciſſo ſeu me, mea vita, capillo,
Sive: ſed heu prohibet dicere plura dolor.

V. 105. PROSIT.] v. Cicero Orat. pro Flacco. C. 40. p. 200.

V. 106. *Firmam* REGIBUS *uſque fidem.*] non erat hoc leve. nam multi, & quidem potentiſſimi, vacillabant. v. *il Tomaſi nella vita del Valentino* p. 208.

DEOS

III.

DEOS NEMORUM INVOCAT IN EXTRUENDA DOMO.

Dii nemorum ſalvete: ego vos de rupe propinqua,
  De ſummis patriæ mœnibus aſpicio:
Aſpicio, veneror que; cavæ mihi plaudite valles,
  Garrula vicinis perſtrepat aura jugis.
Vos quoque perque focos felicia dicite cives
  Verba, per intectas flore decente vias.
Victima ſolennes eat inſpectanda per aras:
  Turbaque Palladia fronde revincta comas.
Moſque ut ab antiquæ repetatur origine Romæ,
  Exterior forda cum bove taurus aret.
Ac prius infoſſo tectum quam cingere ſulco
  Incipimus, juſtos thure piate Deos.
Nulla per obductum decurrant nubila cœlum:
  Candidaque auguſtum concinat omen avis.
Exſurgat paries, ventos qui pellat, & imbres,
  Qui multa circum luce ſerenus eat.
Adſit diſpoſitis ſeries concinna columnis,

Quæ-

Hanc elegiam, ut liquet e fine, ſcripſit poëta jam ab exilio redux. Eſt autem capienda de domo quam extrui fecit in ipſa urbe, non de villa Mergillina. hanc domum habuit poſtea Marius ob Alto Mari, celebris ea tempeſtate juriſconſultus, ut me docuit Valentinus Odoricius commentario in tertium de Partu Virginis librum.

V. 10. EXTERIOR &c.] v. Servius ad IV. Aen. 212. ad V. 755.

Quæque ornet medias crebra fenoſtra fores.
Ipſe biceps primo cuſtos in limine Janus
Occurrat lætis obvius hoſpitibus.
Protinus a dextra ſacræ, mea turba, ſorores
Cingant virgineis atria prima choris.
A læva nitidis ſtratum Pythona ſagittis
Miretur poſita Cynthius ipſe lyra.
Ædibus in mediis parvi ſinus amphitheatri,
Viſendas Regum præbeat hiſtorias.
Ac primum triplici ſeſe defendat ab hoſte
Fernandus rapido jam metuendus equo.
Alfonſuſque pharetratas, dira agmina, gentes
Cogat Hydruntinis cedere littoribus.
Tum juvenis Rex ipſe, & Regum inſignibus auctus
Alpinos adigat linquere caſtra duces.
Poſtremo Federicus, avito lætus honore,
Dalmaticas grandi claſſe refringat opes.
Infeſtoſque Deos, metuendaque jura minatus,
Indicat nato bella gerenda ſuo.
Hic bene conveniens membris variantibus ordo
Adſpiciat celebreis e regione ſitus.
Exædræ, Xiſtique, Tablinum, Hypocauſta, Diætæ,
Et quæ privatis uſibus apta velim.
Atque aliæ occaſus, aliæ vertantur in ortus,
Quæque habeant Borean, quæque inhibere Notum.
Jungantur longis quadrata, obliqua rotundis:
Et capiat ſtructos plurima cella toros.
O ſtudiis placitura meis, o mille per artes
Ocia Pieriis noſtra juvanda modis.
Hic ego tranquillo tranſmittam tempora curſu,
Dum veniat fatis mitior hora meis.
Viximus ærumnas inter, lachrymoſaque Regum
Funera:

Funera: nunc patria jam licet urbe frui:
Ut quod tot curæ, tot detraxere labores,
Reſtituat vati Parthenopea ſuo.

FINIS.

ACTII

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII EPIGRAMMATA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* EPIGRAMMATON

LIBER PRIMUS.

I.

AD FEDERICUM REGEM.

Scribendi ſtudium mihi tu, Federice, dediſti,
Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.
Ecce ſuburbanum rus, & nova prædia donas:
Feciſti vatem, nunc facis agricolam.

EPIGRAMMATON.] quid ex his libris ſublatum voluerint cenſores Pontificii vide in primo indice Expurgatorio. p. 449.

EPIGRAMMATON.] laus Epigrammatum Sannazarii apud Menagium Ant. Bajul. p. 337.

SUBURBANUM RUS *& nova prædia.*] villam Mergillinam intellige, de qua dictum ſæpius.

II.

AD VILLAM MERGILLINAM.

Rupis o ſacræ, pelagique cuſtos,
Villa, Nympharum domus, & propinquæ
Doridos,

Digitized by Google

Doridos, Regum decus una quondam,
Delitiæque,
Nunc meis tantum requies camœnis,
Urbis inviſas quoties querelas,
Et parum fidos popularis auræ
Linquimus æſtus:
Tu mihi ſolos nemorum receſſus
Das, & hærenteis per opaca laurus
Saxa: tu fonteis, Aganippidumque
Antra recludis.
Nam ſimul tete repeto, tuaſque
Sedulus mecum veneror Napæas:
Colle, Mergillina, tuo repente
Pegaſis unda
Effluit, de qua chorus ipſe Phœbi,
Et chori Phœbus pater, atque princeps,
Nititur plures mihi jam canenti
Ducere rivos.
Ergo tu nobis Helicon, & udæ
Phocidos ſaltus, hederiſque opacum
Theſpiæ rupis nemus, & canoro
Vertice Pindus.
I puer, blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna,
Affer & flores, procul omnis a me
Cura recedat.
Principis noſtri decus, atque laudes
Fama, per latas ſpaciata terras,
Evehat, qua Sol oriens, cadenſque
Frena retorquet;
Quaque non notos populos, & urbeis
Damnat æternis Helice pruinis,
Quaque ferventis, cumulos arenæ,
Diſſipat

Digitized by Google

Diſſipat Auſter.
Ille creſcenteis veneratus annos
Vatis, antiquum referentis ortum
Stirpis, & clarum genus, & potentum
Nomen avorum,
Contulit larga numeroſa dextra
Dona, & ignavæ ſtimulos juventæ
Addidit, ſylvas, & amica Muſis
Ocia præbens.

III.

CALENDÆ MAII.

Majus adeſt, da ſerta puer: ſic ſancta vetuſtas
Inſtituit, priſci ſic docuere patres.
Junge hederam violis, myrtum ſubtexe liguſtris,
Alba verecundis lilia pinge roſis.
Fundat inexhauſtos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Aſſyrio ſparſa liquore coma.
Grandia fumoſo ſpument cryſtalla Lyæo:
Et bibat in calices lapſa corona meos.
Poſt obitum non ulla mihi carcheſia ponet
Æacus. Infernis non viret uva jugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra jocis.

IV.

IN TUMULUM LADISLAI REGIS.

Miraris niveis pendentia ſaxa columnis
Hoſpes, & hunc, acri qui ſedet altus equo?
Quid ſi animos, roburque ducis, præclaraque noſſes
Pectora, & invictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis dejecit ſedibus hoſtem:
Biſque triumphata victor ab urbe redit:
Italiamque omnem bello concuſſit, & armis:
Intulit Hetruſco ſigna tremenda mari.
Neve foret Latio tantum diademate felix,
Ante ſuos vidit Gallica ſceptra pedes.
Cumque rebellantem preſſiſſet pontibus Arnum,
Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.
I nunc, regna para, faſtuſque attolle ſuperbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

In Tumulum LADISLAI *Regis.*] Mauſolæum illud Regis Ladiſlai Neapoli eſt in eccleſia S. Joannis de carbonaria PP. Auguſtinianorum. Mabillon. Itiner. Ital. p. 112. Hic eſt ille Ladiſlaus Caroli tertii F. qui hæredem regni reliquit ſororem ſuam, celebrem illam Joannem, de qua pleni hiſtoricorum ejus temporis libri. de Ladiſlao multa habet in Hiſtoria ſua Mediolanenſi Bernardinus Corius. Ladiſlaus fuit animo egregie grato quam in rem videri debet Jov. Pontanus lib. de Liberalit. c. 32. p. 210. non tamen erga uxorem ſuam Beatricem; quam ſoluto matrimonio indignis modis vexavit. v. *il Tomaſi nella vita de Ceſare Borgia* p. 257. ſq. Veneno fuit tentatus in adoleſcentia, ſed inſolitis aliquoties mulorum recens occiſorum ventribus ſuperavit periculum. *il Tomaſi nella vita del Borgia.* p. 358. periit in Venere, una cum puella, quam compreſſerat, medici Florentini filia, idque virtute ſtrophii odorati malo veneno infecti: quo ſtrophio genitalia ſibi exterſerant. v. *Le Sieur de Montagne II. des Eſſais.* 33. p. 719. ed. min. de Joanna vide Sabellicum Ennead. 13. lib. 8. Mabillon Itiner. Ital. p. 119. Sweertium delic. orb. Chriſt. p. 98. Marullum Poëm. p. 104.

Mors etiam magnos &c.) v. *Chevreau Oeuvres Mel.* 281.

AD

V.

AD FEDERICUM REGEM.

Clauſa quod effoſſis erumpunt oſſa ſepulchris,
  Et reſerant veteres putria ſaxa rogos.
Nimirum tanto cupiunt ſub principe manes
  Vivere, & ad nutus umbra vocata venit.
Utque decet, longo manſuras tempore ſedes
  Spondent, & regnis ocia læta tuis.
Quæque diu ambiguis tecum fortuna vagata eſt
  Paſſibus, hic certa ſtat bene nixa rota.
Sume animos, Federice: tuis hic meta periclis
  Hæret: habent manes, & pia buſta fidem.

VI.

AD NINAM.

Sexcentas Nina da, precor, roganti
Sed tantum mihi baſiationes:
Non quas dent bene filiæ parenti,
Nec quas dent bene fratribus ſorores:
Sed quas nupta rogata det marito,
Et quas det juveni puella charo.
Juvat me mora longa baſiorum,
Ne me tam cito deſerat voluptas.
Nolo marmora muta, nolo pictos
Dearum, Nina, baſiare vultus:
Sed totam cupio tenere linguam,
Inſertam humidulis meis labellis,
Hanc & ſugere, morſiunculaſque

Molles adjicere, & columbulorum
In morem, teneros inire luſus,
Ac blandum ſimul excitare murmur.
Hæc ſunt ſuavia dulciora melle
Hyblæo, & Siculæ liquore cannæ.
Hæc ſola ambroſiæque nectariſque
Succos fundere, ſola habere poſſunt.
Quæ ſi contigerint mihi, tuiſque
Admovere ſinas manum papillis:
Quis tunc divitias, quis aurum, & omneis
Aſſis me putet æſtimare reges?
Jam non maluerim mihi beatas
Auroræ, Veneriſque habere nocteis:
Non Hebes thalamos beatiores:
Non, ſi deſerat hæc ſuum maritum:
Non, ſi me roget uſquequaque: non, ſi
Æternam mihi ſpondeat juventam.

VII.

DE NATALI ALTILII VATIS.

Muſarum lux alma, meus cui thura quotannis,
  Cui rite Altilius fundit in igne merum:
Accipe ſervatos hyberno frigore flores,
  Quæque madent Siculis annua liba favis.
Quandoquidem magnum Latio, rarumque dediſti
  Pignus, & Aoniis non leve nomen aquis:
At tu, ſic triſteis nunquam experiare tenebras,
  Sic Phœbi nitido ſemper honore mices:
Fauſta, precor, longos tamen exſpectata per annos,
  Altilioque tuo concolor uſque redi.

Digitized by Google

VIII.

AD FEDERICUM REGEM.

Hybernas tibi pampineis cum vitibus uvas
Mittimus, o regni gloria, honoſque tui.
Præla vacant, riget omnis ager, ſpumantia tandem
Muſta ſilent, menſis eſt tamen uva tuis.
Jam pater Autumnus vernantia lilia mittet,
Talia ſi medio frigore bruma dedit.

Ejuſdem argumenti eſt Epigramma 33, itidem ad Fredericum Regem ſcriptum. de hybernis roſis ſimile quid apud Martialem logiſſe memini. v. Weitzius ad Horat. p. 216. Florus. 2. 8. 9.

IX.

DE EXPEDITIONE ALFONSI REGIS.

Venturos olim Romana ad mœnia Turcas,
Dixerunt vates: credite, vera canunt.
Scilicet Alfonſum Turcas in bella trahentem
Exſpectas fatis, anxia Roma, tuis.
Pone metum, vincet, ſed te meliora manebunt
Imperia, Alfonſo principe major eris.

Venturos olim Romana ad mœnia TURCAS.] de hac Alfonſi expeditione, qua Turcas Hydrunte omnique adeo Italia expulit, videri debet Pontanus in præfatione librorum de Fortitudine. Florus 2. 4. 3.

Digitized by Google

X.

IN TUMULUM LAURÆ PUELLÆ.

Et lachrymas etiam ſuperi tibi, Laura, dediſſent:
  Fas etiam ſuperos ſi lachrymare foret.
Quod potuit tamen, autatas puer ille ſagittas
  Fregit, & extinctas mœſta Erycina faces.
Sed quamvis homines tangant tua fata, Deoſque:
  Nulli flebilior, quam mihi, vita, jaces.
Felices animæ, quibus is comes ipſa per umbras,
  Et datur Elyſium ſic habitare nemus.

XI.

DE PARTU NISÆÆ, CHARITEI CONJUGIS.

Dum parit, & longas iterat Niſæa querelas,
  Scinditur incerta ſeditione polus.
Pierides puerum, Charites optare puellam:
  His Venus, aſt illis docta Minerva favet.
Aſtat amans Veneri Mavors, Phœbuſque Minervæ:
  Magnanimuſque æqua Juppiter aure ſedet:
Cum ſubito aurato ſurgit puer improbus arcu,
  Et cœlum notis territat omne minis.
Aſſenſere metu ſuperi. pater ipſe Deorum
  Riſit, & Aonias juſſit abire Deas.
Exſultat palma Venus, & naſcente puella
  Augentur Charites, Cypria turba, Deæ.

Digitized by Google

XII.

AD FEDERICUM REGEM.

Edicto nuper cum tu, Rex magne, caveres,
Audaci ne quis ſtringeret arma manu:
Depoſuiſſe tuum vel primus diceris enſem,
Et monſtraſſe palam primus inerme latus.
Quid majus populiſve tuis, Federice, vel urbi
Accidere huic noſtræ per tua dona poteſt?
Poſt domitos hoſtes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis vivere poſſe tuis.
Publica nimirum res tunc ſibi conſtat, & æquum
Imperium, cum Rex, quod jubet, ipſe facit.

PUBLICA *nimirum &c.*] Laudat hos verſus Mich. Piccartus dec. 12. Obſ. c. 1. quem videre debes, & Loccenium ad Corn. Nepotem. 17. 4. 3.

XIII.

DE EMENDATIONE CATULLI, AD JOVIANUM.

Doctus ab Elyſia redeat ſi valle Catullus,
Ingratoſque trahat Lesbia ſola choros:

Non

DE EMENDATIONE CATULLI AD JOVIANUM.] Catulli carminum exemplar, peſſime acceptum, repertum eſt primum anno CIↃ CCCCXXV, ut didici ex præclaræ eruditionis viro Andr. Schotto, lib. 2. Obſerv. cap. 16. id autem cum eſſet valde mutilum, multiſque hiatibus deforme, omnes illas lacunas de ſuo ſupplevit Joan. Jovianus Pontanus, nimis profecto hac parte liberalis. vide politiſſimum Mureti commentarium ad Catull. Epig. 1. *Pontanus in alieno opere tantum ſibi permiſerat, ut, quæ non probaret ipſe, deleret, ſua poneret* &c. Ach. Statius ad Catullum p. 275. Scaliger in Catullum p. 5. Herm. Barbarus Caſtig. in Plin. XIV. 12. — tale mangonium in Dracontio exercuit Eugenius ſecundus v. epiſtolam Goldaſti Dracontio Weitziano præfixam.

Digitized by Google

Non tam mendoſi mœrebit damna libelli,
  Geſtiet officio quam, Joviane, tuo.
Ille tibi amplexus, atque oſcula grata referret,
  Mallet & hos numeros, quam meminiſſe ſuos.

XIV.

DE BORGIA, ALEXANDRI PONTIFICIS FILIO.

Qui modo proſtratos jactarat cornibus urſos,
  In latebras taurus concitus ecce fugit.
Nec latebras putat eſſe ſatis ſibi: Tybride toto
  Cingitur, & notis vix bene fidit aquis.
Terruerat monteis mugitibus: obvia nunc eſt,
  Et facilis cuivis præda ſine arte capi.
Sed tamen id magnum, nuper potuiſſe vel urſos
  Sternere, nunc omneis poſſe timere feras.
Ne tibi, Roma, novæ deſint ſpectacula pompæ,
  Amphitheatraleis reddit arena jocos.

De BORGIA &c.] v. *il Tomaſi* p. 409. ſq.

AD EUNDEM.] v. *il Tomaſi* p. 402. ſqq. originem harum inimicitiarum ap. eundem p. 158. ſqq. uſque ad 173. p. 354. 360. ſqq. uſque ad p. 379. p. 382. ſqq. p. 385. ſqq.

XV.

AD EUNDEM DUM AB URSINIS PREMERETUR.

O taure, præſens qui fugis periculum
  (Nam te nec odio, tædiove tam bonas
Spre-

Non ſemel in his libris dicendum erit de Alexandro VI, Cæſare, Lucretia, totaque familia Borgia, prætеritis tamen ſi quæ ſunt notiora. ſcriptum eſt hoc epigramma cum ſequente, cum Borgia etiamnum ager-

Spreviſſe ſylvas, tam bonos putem lacus)

Dic,

ger ac debilis ex eodem veneno, quo pater perierat v. *Tomaſi* p. 394. ſqq. ſed non fruſtra metuens irritatam tot atrociſſimis facinoribus Urſinorum vindictam, in molem Hadriani profugiſſet, permittente id Pio III. Hiſtoriam ipſam ſatis accurate ac diligenter exponit Thomaſius in vita Ducis Valentiniani, ſive Cæſaris Borgiæ, & Sabellicus Ennead III. lib. 2. quanquam brevius. Eum vero quod *taurum* vocet noſter, alluſio eſt ad inſignia gentis Borgiæ, ſic alibi hoc ipſo libro,

Europen Tyrio quondam ſediſſe invenco
Quis neget? Hiſpano Julia vecta bove eſt, &c.

ſic cum Joannem Baptiſtam Ferrarium, epiſcopum Mutinenſem, veneno ſuſtuliſſent Borgiæ. v. *il Tomaſi* p. 155. ſq. eo quod ingentem per ſcelera & fraudes pecuniæ vim ſibi acquiſiviſſet, cui inhiabant illi, ſparſum eſt Romæ hoc diſtichon,

Janus in hac Baptiſta jacet Ferrarius urna:
Terra habuit corpus, Bos bona, Styx animam.

ſed audire eſt operæ pretium Herculem Strozzam, poëtam non ignobilem, in epicedio, quo juſta fecit Cæſari: quanquam, ut hoc obiter addam, carmen illud plenum eſt fœdiſſimæ adulationis, & cujus merito ipſum pudere debuiſſet. Jupiter inducitur loquens, a cujus cum Niobe concubitu repetitur gentis Borgiæ origo:

Dein pius auriferis ubi montibus exiit Aſtur,
Captivosque Deus, captivaque regna redemit,
Velivolusque alio freta ſanguine tinxit Iberus,
Hi primas iniere acies, atque hoſte ſubacto
Setabis eſt illis repetita, bovisque jubentis
Effigiem auratis pinxerunt cornibus, utſe
A me' principium deducere, & Italo ab orbe
Proferrent, memores patriæ memoresque parentis.
At bove cum cæſo facerent crebra orgia nobis,
Poſt bovis orgia gens hac dicta Boërgia, demum
Borgia: idemque manet, ſummoque manebit honore
Nomen, erunt noſtris dum fixa penatibus aſtra.

i nunc, & mirare Phalarin, Buſirin, Neronem, & id genus portenta præcones ſuos inveniſſe: cum non defuerint qui Cæſarem Borgiam tantum non divinis affecerint honoribus, illum inquam Cæſarem Borgiam, quo poſt homines natos non extitit crudelius monſtrum. fuit tamen & alter poëta, Franciſcus Sphærulus, qui res ejus geſtas ingenti opere Latino celebravit, ut *auctor eſt Lilius Gyraldus. o proſtitutas Parnaſſi virgines! ſed nec hodie deeſt talium ſcarabæorum benigna ſeges. verſus iſti IX. epigr. 15.

——— *ubi ſalicta & omnibus*
Eheu juvenca præferenda paſcuit?
Juvenca ſolos quæ relicta ad aggeres
Padi ſonantis, heu malum ſororibus
Omen, dolentes inter orba populos
Te te requirit, te reflagitans ſuum
Implet querelis nemus, & usque mugiens
Modo huc, modo illuc, furit amore perdita, &c.

iſti inquam verſus ad Lucretiam ſunt referendi, Cæſaris ſororem, quæ nup-

ſeraz

Digitized by Google

Dic, quis propinqua nubibus tibi juga
Moleſtus invidet? juga illa jam tuis
Sudata cornibus, tuiſque prœliis
Devicta! quis ſaltus, & amnium uberes
Curſus, toroſque marginum virentium?
Quis uda rivis prata? quis recondita
Nemora? quis umbras ſibilantium arborum
Male advocatus abſtulit tibi Deus?
Non amplius videbis, ah miſer, miſer,
Amata regna, non videbis amplius
Tuos amores, non licebit, heu tibi
Poſthac cubanti ſub geniſtulis tuis,
Mollive fulto niveum amaraco latus,
Audire voces ruminantium gregum,
Meridianum non inire ſomnulum.
Quæ nunc adibis teſqua? quæ petes loca,
Miſelle taure? quas ſubibis ilices?
Ubi myricæ? ubi virentis arbuti

Jucunda

ſerat paulo ante Alfonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci Jo. Burchardus Diar. p. 75. 76. 79. 86. ſed de Lucretia tacere ſatius eſt, quam loqui. *Bubulcus* ipſum Alfonſum denotare videtur. quæ de *Amphitheatralibus jacis* dicuntur, intellige de taurorum urſorumque certaminibus, de quibus multa multi. Lucretia primus nuptiis maritum habuit Joannem Sfortiam Piſauri dominum v. *il Tomaſi, nella vita di Ceſare Borgia*. p. 53. 147. poſt convictum quatuor annorum diſſoluto matrimonio ob cauſas Pontifici notas facta eſt poteſtas utrique ut, ſi vellent proſpicerent ſibi de alia conditione. quod & brevi factum fuit. idem ibid p. 180. nupſit enim Alphonſo Arragonio regis Frederici ex fratre nepoti. idem ibid. p. 204. 228. ſqq. (eſt hic locus notabilis ob honores inſolitos Lucretiæ a Patre Alexandro conceſſos) 232. 233. deinde Alphonſus non uno modo nefarie eſt trucidatus juſſu Cæſaris. ibid. p. 272. ſqq. erat autem tertius Lucretiæ maritus, non ſecundus. ibid p. 275. poſtea nupſit Alfonſo Eſtenſi Herculis Ferrariæ Ducis filio primogenito, pompa pluſquam Regia & luxu inaudito. *il Tomaſi* p. 321. ſq. uſque ad p. 328. Lucretiæ Laudes *Arioſto* XLII. *del Furioſo*. 83. Bembus III. Epiſt. 14. & Carm. p. 142. ſqq. duo elegantia Epigrammata in Alexandrum VI. & filium Cæſarem habet Janus Donza lib. 2. Salinar. Epigr. 31. 32. v. Jovius. l. 4. Elog. p. 130. ſqq.

Jucunda ſedes? ubi ſalicta, & omnibus
Eheu juvenca præferenda paſcuis?
Juvenca, ſolos quæ relicta ad aggeres
Padi ſonantis, heu malum ſororibus
Omen, dolenteis inter orba populos
Te te requirit, te reflagitans ſuum,
Implet querelis nemus, & uſque mugiens
Modo huc, modo illuc furit, amore perdita:
Omnia peragrat arva, luſtrat omnia,
Num qua biſulcæ ſigna cernat ungulæ:
Quærit per alta montium cacumina,
Quærit per ima vallium cubilia,
Memor locorum, non tamen ſui memor:
Te mane primo, te rubente veſpero
Luget: nec illam Luna cum recurreret
Cœlo, nec atræ noctis alma ſidera
Videre dormientem. abire flumina,
Abire ſolem, abire cernit omnia,
At ipſa mæſtam ſola non abit domum,
Humi recumbens ſtrata ſub nudo æthere.
Hanc & puellæ nemorum, & ipſe corniger
Sylvanus aſpicit, hanc bubulcus intuens,
Miſer bubulcus, nec juvare eam valens,
Tantum, quod unicum in malis refugium habet.
Suſpirat, ingemit, deum invocat fidem,
Iratus urſis, quod coëgerint procul
Abire ſylvis albulum juvenculum,
Et tam venuſtam clamitare buculam.

IN

XVI.

IN GEMMAM SUAM.

Hæc, mihi quæ roſeos juſſit ſordere hyacinthos,
Et nitet articulis unica gemma meis,
Cujus in exiguo ductor ſtat Troicus orbe,
Anchiſeſque ſenex, Aſcaniuſque puer:
Quis credat? veteres inter neglecta ruinas,
Et vili latuit ſemiſepulta ſolo.
Tu tamen obrueras, nec te, Sinueſſa, pudebat
Hoc decus heu terris occuluiſſe tuis.
Scilicet Æneam natumque, patremque gerentem,
Ignibus ereptos obrueresque Deos?
Parcere debueras, cui jam pia flamma pepercit,
Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgaſque feros, rigidoſque Britannos
Hac comite, ignotos & penetrare ſinus;
Hæc eſt Iliacos pietas ſpectata per igneis,
Cum verita eſt profugos lædere flamma deos.

XVII.

DE VENERE, ET MARTE.

Dum Venus armatum complectitur obvia Martem,
Diſtrinxit teneram fibula adunca manum.
Senſit, & ante Jovem ridens ait æmula Pallas:
Bella iterum geſſit cum Diomede ſoror.

Videndus Statius cui partem noſter debet l. 3. Theb. v. 294.

Bella iterum geſſit cum DIOMEDE *ſoror.*]
Diomedes Tydei F. Rex Ætoliæ, poſt Achillem & Ajacem Telamonium Græcorum fortiſſimus, Venerem dextra manu, dum Æneam protegere vellet, vulneravit, fabula eſt apud Homerum lib. 5. Iliados. ipſe Diomedes apud Maronem lib. 11. Æneid.

Hac

Hæc adeo ex illo mihi jam ſperanda fuerunt
Tempore, cum ferro cæleſtia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.

Ovidius, poſtquam amicam ſuam pulſaſſet, Amor. lib. 1. El. 7.

Peſſima Tydides ſcelerum monumenta reliquit,
Ille Deam primus perculit; alter ego.

XVIII.

DE ENDYMIONE, ET LUNA.

Spreverat hirſutus paſcentem Pana capellas
Candida nocturnis quæ Dea fertur equis.
At poſtquam niveæ conſpexit munera lanæ,
Poſthabuit notas Endymionis oveis.
Qui ſimul ac triſteis ſomno inclinaret ocellos,
Mors hæc, mors, inquit, non mihi ſomnus erit.

De Lunæ & Panos amoribus vetus eſt fabula. Virgilius lib. 3. Georg.

Munere ſic niveo lanæ (ſi credere dignum eſt)
Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantem.

Servius dicit, non Panos id fuiſſe facinus, ſed Endymionis. errat autem largiter, & recte refutatur a Ludovico de la Cerda. melius Probus: *Pan Mercurii filius cum Lunam concupiſſet, & haberet optimum pecus: poſcente ea partem pecoris pro concubitu, dicitur pollicitus, & duas partes feciſſe gregum, quarum alteram candidiorem, ſed lana craſſioris. Lunam, deceptam candore, deterius pecus abduxiſſe.* Junius autem Phylargyrius: *Pan cum Lunæ amore flagraret ut illi formoſus videretur, niveis velleribus ſe circumdedit, atque ita eam ad rem veneream illexit. Hujus opinionis auctor eſt Nicander, nec poterat eſſe niſi Græcus.* Macrobius lib. 5. Saturn. c. 22. *apud Virgilium Pan niveo lanæ munere Lunam illexiſſe perhibetur, in nemora alta vocans: Munere ſic niveo lanæ, ſi credere dignum eſt, & reliqua. in hoc loco Valerius Probus, vir perfectiſſimus, notat, neſcire ſe hanc hiſtoriam, ſive fabulam, quo referat auctore. quod tantum virum fugiſſe miror. Nam Nicander hujus eſt auctor hiſtoriæ, poëta, quem Didymus grammaticorum omnium quique ſint quique fuerint inſtructiſſimus, fabuloſum vocat. Quod ſciens Virgilius adjecit, ſi credere dignum eſt: adeo ſe fabuloſo uſum auctore fatetur.*

XIX.

DE FERDINANDO JUNIORE.

Corniger æſculea Faunus recubabat in umbra,
 Cum prope latranteis ſenſit adeſſe canes.
Mox juvenem ſuperis ſimilem, divinaque tela
 Conſpiciens, trepido ſic movet ora ſono:
Seu Mars, ſive alto Phæbus deſcendis Olympo,
 Jam jam linquo omneis te veniente feras.

XX.

DE POGGIO FLORENTINO HISTORICO.

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hoſtem,
 Nec malus eſt civis, nec bonus hiſtoricus.

DE POGGIO FLORENTINO HISTORICO.] Lepidiſſimum plane epigramma, nec tamen ſine aculeo. Joannis Franciſci Poggii vitam, mores, ſtudia, libros, diligentiſſime congeſſerunt G. J. Voſſius lib. 3. de Hiſtoricis Latinis cap. 5. (vide ibidem Elogium Leonardi Bruni Aretini ubi de hac Hiſtoria Florentina quædam) & Mart. Hankius lib. 2. de Scriptoribus Rerum Romanarum Part. 2. cap. 10. cap. 10. quos exſcribere nimis foret tædioſum. videndus M. A. Sabellicus in Dialogo de Latinæ Linguæ reparatione, p. 110. b. Eraſmus noſter lib. 7. Epiſt. 3. & in Dialogo Ciceroniano, de repertis a Poggio Ciceronis octo orationibus, Quintiliano, Columella, Aſconii fragmentis, parte Lucretii &c. Vide Menagii antibajulerum p. 45. & seqq. de inimicitiis, quas nimis acres inter ſe exercuerunt Poggius & Valla; Philelphum. Epiſt. lib. 10. p. 127. Verſa; Voſſium de Hiſtor Latinis l. 3. c. 5. in Ambroſio Camaldulenſi, p. 508. Eraſmum l. 7. Epiſt. 3. p. 269. Jovium Elog. Doct. p. 16. etiam Valerii Flacci Agonautica primus eruit. v. Fabricius in Terent. p. 29. b. Poggii Epitaphium eſt apud Sweertium Delic. Orb. Chriſt. p. 48.

DE

XXI.

DE BARTH. PLATINA.

Ingenia, & mores, vitaſque; obituſque notaſſe
Pontificum, argutæ lex fuit hiſtoriæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ:
Hoc, Platina, eſt ipſos paſcere Pontifices.

De Barth. Platina.] Bartholomæo fuiſſe Platinæ prænomen cenſet magnus Voſſius: alii Baptiſtam vocant. Bartholomæum planiſſime Sabellicus Enn. 10. lib. 7. multa vir ille ſcripſit, ſed innotuit præcipue celebri illo opere de Vitis Pontificum. quo jam pridem edito, mirum eſt hominem tanti nominis animum appuliſſe ad commentandum de re culinaria, nam hujus argumenti ſunt libri *de Honeſta voluptate*. vide J. Douzam l. Salinar. Epigr. 20. Archeſtratus poëta γαστρονομιαν conſcripſit, quo in opere congeſſerat quicquid ipſe deliciarum reperérat uſquam, aut viderat, orbem terrarum abdominis gratia luſtrans; Junius l. 5. animadv. c. 4. Voſſius de Poët. Græc. p. 85. de Hippolochi epiſtolis convivalibus v. Athenæus l. 4. c. 1. p. 128. Platinæ libros Culinarios ut rem indignam in qua vir gravis & doctus ullam operam inſumeret multi deriſerunt. v. *il Boccalini cent.* 1. *Ragg.* 44. *cent.* 2. *Ragg.* 14. p. 104. merito itaque ridetur a Sincero noſtro. de ærumnis Platinæ ſub Paulo II. eruditis omnibus infeſtiſſimo, vide G. J. Voſſium lib. 3. de Hiſtoricis Latinis cap. 7. & Oct. Ferrarium Proluſione nona: ſed ante omnes ipſum Platinam in vita Pauli II.

XXII.

DE PACE POST ALEXANDRI SEXTI MORTEM.

Dic unde, Alecto, pax hæc effulſit, & unde
Tam ſubito reticent prælia? Sextus obit.

XXIII.

DE DIANA, ET FERD. II.

Errabat Diana ſuis immixta puellis,
Cum procul ecce mei conſpicit ora Ducis,

Atque ait: huc Nymphæ concedite, namque propin-
Qui regat in ſævas certius arma feras. (quat,

XXIV.

DE MANE, ET VESPERE.

Sol jubet exoriens Faunos, Dryadaſque puellas
Quærere, & herboſo ducere monte choros.
Declivis, vitreas ſuadet deſcendere ad undas,
Doridaque, & luſus, o Galatea, tuos.
Cauſa patet: quia, ſublimeis cum tendit in arces,
Nos quoque per ſaltus, & juga ſumma rapit.
Cum vero Heſperios petit imæ Tethyos amneis,
Exemplo ad fonteis nos vocat ipſe ſuo.
Hinc adeo natura hominum loca mane requirit
Ardua, cæruleis veſpere gaudet aquis.

XXV.

DE VULTURNO, ET PUERO REGIO.

Miramur tacitis Vulturnum currere lymphis,
Et tardos dura compede ferre pedes?

At

Miramur tacitis VULTURNUM *currere lymphis.*] Vulturnus fluvius eſt Campaniæ, in Samnio oriens apud fines Atinæ, per Venafrum, Teleſiam & Capuam in mare Tyrrhenum ad Vulturnum urbem decurrens, Calore & Sabbato acceptis. hodie *Volterno*, & *Fiume di Capoa.* Statius lib. 4. Sylv. 3. cui titulus *Via Domitiana*:

Miratur ſonitum quieta Cyme,
Et Linterna palus, pigerque Savo.
At flavum caput humidumque late
Crinem mollibus impeditus ulvis,
Vulturnus levat ora, maximoque
Pontis Cæſarei reclinis artu,
Pandis talia faucibus redundat:
Camporum bone conditor meorum,
Qui me vallibus aviis refuſum,
Et ripas habitare neſcientem,

Recti

At magis occulto mirabimur urier igni,
Et puerum tota nocte vocare ſuum.
Tune etiam, formoſe puer, vaga flumina torques?
An fuerit reges perdomuiſſe parum?
Quin etiam combure Deos, dominoque Deorum
Arma move, & pulſo da Ganymede merum.

Recti legibus alvei ligaſti:
Et nunc ille ego turbidus, minaxque,
Vix paſſus dubias prius carinas,
Jam pontem fero, pervinſque calcor
Qui terras rapere, & rotare ſilvas
Aſſueram, (pudet) Amnis eſſe capi.
Sed grates ago, ſervituſque tanti eſt,
Quod te ſub duce, te jubente ceſſi,
Quod tu maximus arbiter, meaque
Victor perpetuus legere ripa.
Et nunc limite me colis beato,
Nec ſordere finis, malumque late
Deterges ſterilis ſoli puderem,
Ne me pulvereum, gravemque cœno
Tyrrheni ſinus obruat profundi.
Qualis Cinyphius tacente ripa
Pœnos Bagrada ſerpit inter agros.
Sed talis ferar, ut nitente curſu
Tranquillum mare, proximumque poſſim
Puro gurgite provocare Lirim.

non poterat floridius pingi Volturnus.

XXVI.

IN QUINTIUM.

Clara tibi videor ſcripſiſſe epigrammata, Quinti.
Sunt, fateor: medio ſcripſimus illa die.
Tu latebras obſcurus amas, quia lumine nullo,
Atque intempeſta ſcribere nocte ſoles.

Hujus epigrammatis inventionem poëtæ noſtro ſublegit Georgius Sabinus, carmine cujus initium, *Cur, Faber, obſcuri mea ſcripta Lycophronis inſtar*, &c.

XXVII.

DE MERCURIO, ET AMORE.

Dum comes aligero Cyllenius iret Amori
Aliger, incauto ſubripuit faculas.

Deprenſo tum fure, manum referebat ad arcum,
Sed non inventa riſit Amor pharetra.

Argumentum huic argutiæ ſuppeditavit Lucianus Dialogo Apollinis & Vulcani.

XXVIII.

IN TUMULUM ANNIBALIS.

Annibal huc victas ſecum Carthaginis arceis
Tranſtulit: hæc ambos terra Libyſſa tegit.

XXXIV.

DE VENERE ET JUNONE.

Confidit nimium jaculo dum pulcher Adonis,
Inguina ſetoſus candida rupit aper.
Accurrit miſeranda Venus. tum nupta Tonantis,
Quid gemit hæc? nullo Mars meus ictus apro eſt.

Quid gemit hac? nullo MARS *meus ictus apro eſt.*] Ingenioſe deſumtum ex Ovidiana Sapphus epiſtola, ubi hi verſus:

Gaudet, & e noſtro creſcit mœrore Charaxus
Frater, & ante oculos itque reditque meos.
Utque pudenda mei videatur cauſa doloris,
Quid dolet hac? certe filia vivit, ait.

v. Marullus I. Epigr. 42. II. 43.

XXX.

IN FABIANUM.

Eſſe tibi ſapiens, & vir, Fabiane, videris:
At mihi nec ſapiens, nec, Fabiane, vir es.

DE

Digitized by Google

XXXI.

DE PRÆTORE PRÆSIDE DESIDE.

Ait nefaſtas eſſe nundinas prætor,
Fari recuſat: quid nefaſtius dicas?

AIT NEFASTAS.] vide Pitiſcum ad Sueton. Tiber. c. 53. No. 17.

XXXII.

ATRAMENTUM SCRIPTORIUM.

Ferrum putre ſitu ſpumanti fervet aceto,
Mandet ut æternis ſcripta voluminibus.
Scilicet hoc illud, vatum volitare per ora:
Hoc eſt, Pyramidas vincere, Nile, tuas.
Infelix fatum: ſanies rubiginis ergo
Eripit inviſo nomina noſtra rogo?

XXXIII.

AD FEDERICUM REGEM.

Ne tibi non aliquid Jani miſiſſe calendis
Arguar, aut lætam non celebraſſe diem:
Mittimus hybernis ſervatas menſibus uvas,
Inſuper & fauſtas addimus ore preces,
Ut tibi qui nitido cum ſole renaſcitur annus,
Felici redeat candidus uſque pede.

XXXIV.

IN MANCINUM.

Qui ferro fratres, ſtupro, Mancine, ſorores
Fas violare putat, quid putat eſſe nefas?

In Mancinum.] non *in Mancinum* ſed *ad Mancinum*, tangit enim Cæſarem Borgiam. explicabo ubi ad epigramma 51. ventum fuerit.

XXXV.

TUMULUS MAXIMILLÆ.

Hic hic ſiſte precor gradum, viator.
Hoc ſub marmore Maximilla clauſa eſt:
Quacum frigiduli jacent amores,
Et luſus, Venereſque, Gratiæque.
Hanc illi miſeræ ſevera Clotho
Pro dulci thalamo domum paravit.
Has matri dedit, has patri querelas
Pro plauſu, choreiſque nuptiarum.
Quid firmum tibi, quid putes, viator
Manſurum inviolabile, aut perenne?
Si quæ delitiæ juvenculorum,
Et decus fuerat puellularum,
Nunc eheu jacet ecce Maximilla,
Luctus perpetuus juvenculorum,
Æternæ & lachrymæ puellularum.

Tumulus Maximillæ] vide infra Epigr. 42.
Quacum &c.] v. *Chevreau Oeuvres Mel.* p. 279. Marullus I. Epigr. 33. 42. II. 7.

DE

XXXVI.

DE MIRABILI URBE VENETIIS.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus* in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumvis Juppiter arceis
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si Pelago Tybrim præfers, urbem aſpice utramque:
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

* Reprehendit hoc Epigramma Lancelotus in ſuo Epigrammatum delectu, illum autem nervoſe ac ſolide refutavit Fr. Vavaſſor in Libro de Epigrammate cap. 9. vide Antibajulorum Menagii. T. 2. p. 50. imitatus eſt non infeliciter Janus Douza lib. I. Salin. Epigr. 9. ubi comparat Paraphraſin Pſalmorum Flaminii & Buchanani. videtur autem ſcriptum eo tempore quo Rex Fredericus publica Munificentia exceptus eſt Venetiis. vide l. 3. El. 1. v. 93. nec dubitari debet quin tum in regio comitatu fuerit poëta; quo etiam nomine liberalius a Seren. Republica congiarium tuliſſe valde ſimile eſt vero. de Roma & Venetia elegans Epigramma eſt Hadr. Valeſii Poëm. p. 66. — adluſit hoc ipſum Sannazarii Epigramma Oct. Ferrarius Proluſ. 14. p. 132. — cum hoc Epigrammate aliud P. Franciſci Macedi conferunt homines peritiſſimi, quod videre potes apud Tentzelium T. 16. Colloq. p. 411. Quadringentis aureis hoc Epigramma penſatum fuiſſe a Veneto ſenatu auctor eſt Oct. Ferrarius Proluſ. 9. p. 86. v. *il Tolomei* III. *Lettera* 2. p. 86. VII. *lettera* 20. p. 246. brevis ſed artificioſa urbis Venetæ delineatio eſt apud Maffejum L. I. de vita Ignatii. c. 12. p. 307. quam ſolent Itali conferre cum hoc ipſo Epigrammate v. *il Cardinal Bentivoglio nelle ſue memorie* p. 156. *Spon. Voyag.* T. 1. p. 54. 55.

XXXVII.

DE ALFONSO DUCE CALABRIÆ.

Alfonſus magnum dum trajicit Apenninum,
Caſtraque non ſolita primus in Alpe locat:
Armorum ſonitus, galeaſque, ærataque tela

Digitized by Google

Sylvarum dominæ pertimuere Deæ
Nec minus occultas Satyri petiere latebras,
Aſſueti imbelleis ante videre feras:
Spectaruntque procul celſa de rupe ſilentes,
Agmina dum, & magnos cogeret ille duces.
Atque aliquis ſigna aſpiciens, miratur, & inquit;
Imperium vobis urbis, & orbis erit.

XXXVIII.

DE INNOCENTIO VIII. PONTIFICE MAX.

Innocuo priſcos æquum eſt debere Quirites.
Progenie exhauſtam reſtituit patriam.

Salſus & aculeatus jocus in Pontificem. Onuphrius in vita Innocentii octavi: *Quum ante pontificatum aliquot filios ſuſcepiſſet, duos ex his pontificatui ſuo ſuperſtites magnis honoribus & opibus evexit. nam Franciſco oppida nonnulla urbi vicina dedit, Laurentiique Medicis filiam Magdalenam formoſiſſimam puellam matrimonio junxit: alteram Theodorinam Gerardo Uſumari Genuenſi nuptam magnis divitiis cumulavit. Laurentium Cybo, fratris ſui nothum. Archiepiſcopum Beneventanum & Arcis præfectum, Cardinalem fecit.* &c. adde Raphaël. Volaterranum lib. 22. p. 821. tetigit & Marullus. l. 3. Epigr. 32.

Exhauſit Xyſtus bellis & cædibus urbem:
Tercentenà hares reſtituit ſobole.

idem lib. 4. Epigr. 24. in defunctum.

Spurcities, gula, avaritia, atque ignavia deſes,
Hoc Octave jacent quo tegeris tumulo.

XXXIX.

AD VENEREM.

Quid mihi te facilem blandis promittis ocellis,
Si miſerum ſic poſt uris, acerba Venus?
Non decet hoc ſuperos. aut te mihi fronte ſerena
Concilia, aut torvo lumine bella move.

DE

XL.

DE GALLA.

Omnes, quos ſcripſi, verſus vult Galla videre;
Mittam ego, pro libris ſi mihi labra dabit.

XLI.

DE VETUSTINO.

Emit ſepulchro prædium Vetuſtinus,
Sed quod futuros non ſequatur hæredeis,
Iratus æque mortuiſque, viviſque.
Scribique curat grandibus notis, demens,
Viginti in agro, in fronte ter pedes octo.
Habitat ſub urbe ſcandulis tribus tectus,
Ne penſione degravetur, aut ſumptu.
Dormit grabato, quo nec ipſe jam vellet
Dormire cimex, nec lacerta, nec ſorex.
Cœnat per hortos alliumque, cæpaſque,
Et ſalgamorum jure lividos caules:
Vel, ſiquid optat unctius ſibi poni,
Piſcatur ipſis in paludibus ranas:
Aut e cloaca colligit meras ſordes,
Putrem palumbum, mortuumve caponem.
Et doliorum turbidam bibit fæcem,
Tanquam Falernum conſulare, vel Chium,
Opimianæ quod refuderint cellæ.
Nec jam profeſtis hoc, ſed idibus tantum,
Sacriſque potat ferculis calendarum
Et mane veſte currit anxius rapta

Ad

Ad architectos, marmorumque ſectores,
Ut de ſepulchro conſerat novas liteis.
Quos jam miſellos peſſimis modis mulctat,
Ducit, reducit, diſtrahit, rapit, vexat,
Per angiportus, viculoſque, clivoſque
Et per ruinas urbis, & per anfractus:
Monſtrat theatra, porticuſque priſcorum,
Arcuſque claris principum ſacros armis,
Hinc & deorum templa, & obrutas thermas
Et quicquid altis fornicum ſubeſt clivis:
Nec jam faviſſas linquit, & nigros manes.
Demum trecentis cum laboribus fractos,
Et æſtuanteis pariter, & fame ſiccos
Vix officinæ poſt meridiem reddit
Jam feriatæ, vectibuſque adhuc clauſæ.
Culpat coronas, zophorumque permutat:
Spiras reformat, & ſcapos columnarum:
Et nunc Hetruſcas, nunc Corynthias mavult:
Nunc Doricarum laudat ordinem tantum,
Guttas, trigliphos, tænias, thoros, plinthos.
Quid cum columnis nunc tibi, Vetuſtine,
Aut cum voluta, Ioniciſve pulvinis?
Dormi miſelle, ſat diu laboraſti:
Cœnare feſſos & aliquando permitte.
Aut, ſi ſepulchri cura te coquit tanta,
Cadaver iſtud vel Gemoniis conde.

XLII.

IN TUMULUM NEÆRÆ.

Quæ voces? Charitum. quæ circum pompa? Neæræ.
Unde odor hic? cineri thura miniſtrat Amor.

Digitized by Google

Unde pyra? ex pharetra. quinam ſtruxere? Lepores.
Aſt hæc illachrymans quæ legit oſſa? Venus.
Fortunate lapis, tumuloque beatior omni,
Tu tegis in terris ſi quid honoris erat.

XLIII.

DE HYBLA.

Hybla mei quondam dulciſſima cura Marulli,
Hybla ſuburbano nuper humata ſolo:
Accipe quæ multo promuntur verba dolore:
Accipe de lachrymis humida ſerta meis:
Te roſa, te violæ, te mollis amaracus ornet:
Te pia ſuſpenſo pondere velet humus.
Et tibi, quod raræ poſſunt ſperare puellæ,
Contingant vatis carmina docta tui.

Neſcio ſi huc referri debet Epigramma Marulli III. 16. in Lauram Corrutam.

XLIV.

DE AUFIDIO.

Dum caput Aufidio tractat chirurgus, & ipſum
Altius exquirit, quo videat, cerebrum.
Ingemit Aufidius, Quid me, chirurge, fatigas?
Cum ſubii rixam, non habui cerebrum.

Digitized by Google

XLV.

AD ALFONSUM.

Qui prius Herculeæ ſenſit Leo vulnera clavæ
  Hic, Alfonſe, tuos corruet ante pedes.
Quæque viret noſtras quercus paſſura ſecures,
  Deſeret immundos fulmine tacta ſues.
Victa dabit Bellona manus: pax arva reviſet:
  Claudentur diræ Marte ſedente fores.
Tunc pia Parthenope lætos tibi ducet honores.
  Per fora, per vicos ocia vulgus aget.
Sebethoſque pater fluviis metuendus Hetruſcis,
  Aurea cæruleum tollet ad aſtra caput.

XLVI.

IN LYDAM.

Cum dixi medio tibi macram algere ſub æſtu,
  Non dixi fluvium Lyda: quid ergo? cutem.

Ludit in ambigua voce *Macra*. eſt autem ejus nominis fluvius in Liguria, de quo dictum ad lib. 3. Eleg. 1. v. 164.

XLVII.

IN OLLUM.

Omnia facturum te dicis, nil facis, Olle.
  Nil mirum: levius dicere, quam facere eſt.

AD

XLVIII.

AD RUFUM.

Tanquam priſca mihi, ſaxoque inventa vetuſto,
Diſticha, Rufe, ſoles ſæpe referre tua.
Stultum adeo me, Rufe, putas? ego tam mala credam
Carmina Romano marmore poſſe legi?
Archemoro longos affingis Neſtoris annos.
Andromaches puerum Laomedonta vocas.
Deſine mentiri Pyliam, Phrygiamque ſenectam.
Sint vetera hæc aliis, mi nova ſemper erunt.

V. 1. *Tanquam* PRISCA *mihi ſaxoque inventa vetuſto*
DISTICHA, RUFE, *ſoles ſæpe referre tua.*]
Ludum hunc non ſemel luſerunt magni viri, ſed eventu non ſemper felici. de Joanne Annio Viterbienſi nihil attinet dicere, neque de Luſitano illo, cujus meminit Varerius, qui detecta jam magna occidentalis Indiæ parte, vaticinium de novo orbe detegendo in marmore exciſum in agro ſuo clam defodit: quod poſtea quaſi caſu fortuito effoſſum miros clamores excitavit. nec defuere qui operoſis commentariis editis rem tam inuſitatam, ſi Diis placet, illuſtratum iverint. Hoc eſt tritum illud, Mundus vult decipi. Sic Itali nobis ſub Apuleji nomine obtruſerunt carmen illud, cætera non inelegans, cujus initium *Amare liceat, ſi potiri non licet:* ut jam de integris libris nihil dicam. talem fucum cum Joſepho Scaligero feciſſet aliquando Muretus, id eſt, carmen recens a ſe compoſitum venditaſſet pro vetere: adeo id indigne tulit Scaliger, ut hoc cum diſticho ſit ultus,

Qui rigida flammas evaſerat ante Toloſa,
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

Tale mangonium tum temporis in uſu frequente erat. v. Sabellicus. VI. Epiſt. 10. fuit tamen & veteris Calumniæ Artificium. v. Aſconius in Orat. Ciceronis in toga candida. p. 988.

DE

XLIX.

DE CYPARISSO PUERO.

Flebat adhuc mærens cervo Cypariſſus adempto,
Cum ſua conſpexit cortice membra tegi.
Delius exclamat: quid noſtro, ſylva, dolore
Creſcis? Tu Daphnen, tu Cypariſſon habes.

L.

DE HARMOSYNE.

Harmoſynen quiſquis ſeu vir, ſeu fœmina vidit;
Deperit: anne oculos Actius unus habet?

LI.

IN ALEXANDRUM VI. PONT. MAX.

Piſcatorem hominum ne te non, Sexte, putemus,
Piſcaris natum retibus ecce tuum.

IN

V. 1. PISCATOREM *hominum ne te non, Sexte, putemus,*

PISCARIS *natum retibus ecce tuum.*] Atrox ac virulentum diſtichon, ſed tortum in hominem nullo meliori omine dignum. cum vero non omnes capiant, qua ſit occaſione ſcriptum, rem totam e Thomaſio exponam quam potero breviſſime. (confer J. Burchardum diar. p. 37. ſeqq. Jovium l. 4. Elog. p. 131.) Cæſar Borgia, quem jam pridem purpuræ ſatias ceperat, ut ambitioni ſuæ immenſæ faceret ſatis, nullam rationem commodiorem videbat, quam ſi fraterno cruore inceſtaret ſacrilegas manus. Erat Pontifici filius, omnium liberorum natu maximus, Joannes, Dux Gandiæ, copiarum Eccleſiaſticarum ſummus Imperator. id munus rebus ſuis convenire rebatur Cæſar, neque obſtabat purpuræ honos, quam poterat deponere. captata occaſione, ſumtoque Legati a latere officio ut inauguraret Federicum Regem, cum jam

in

in procinctu ſtaret itineris Neapolitani, haud ultra diſtulit atrociſſimum ſcelus. Domum omnem Borgianam, in diſceſſuri Cæſaris gratiam, cœna exceperat mater Vanozza; diſcedens inde Dux Gandiæ, uno tantum famulo comitatus, ivit ut viſeret ad amores ſuos ſed & fratris Valentini v. *il Tomas* p. 178. ſq. p. 181., uti in more poſitum habebat, neque poſt eum diem comparuit usquam. is autem famulus cum miſerabili ejulatu vicinos cives ad opem ferendam noctu excitaſſet, inventus eſt vix ſemivivus, & tecto receptus ab homine paupercuIo, ubi (ut ferebatur) ſtatim exſpiravit, neque indicare potuit facinoris auctores. gliſcente deinde non obſcuro rumore, ipſum Ducem una trucidatum fuiſſe, Pontifex exanimatus tam atroci nuncio, inquiri juſſit diligentiſſime, præcipue circa Tiberis ripas, ſi qua indicia aut veſtigia poſſent indagari abjecti cadaveris. quod cum fruſtra tentaretur, inventus eſt tandem nauclerus quidam, ex eorum numero qui ligna in urbem ſubvehunt, Georgius Sclavonus nomine, qui diceret vidiſſe ſe e lembo ſuo, ea nocte qua deſiderari cœperat Dux Gandiæ, duos homines e platea quadam prodeuntes, qui cum circumſpectiſſime omnes aditus exploraſſent, receperint ſe eo unde venerant: iis in ſtatione manentibus, veniſſe virum in equo, poſt ſe portantem ca daver occiſi, ut videbatur, hominis, quem ſequerentur duo pedites: equitem iſtum tergum flumini obvertiſſe, pedites autem arreptum per brachia perque pedes cadaver, ac ter quaterve huc illuc agitatum, abjeciſſe in profluentem. Tum equitem verſo equo proſpexiſſe in alveum, ac quæſiviſſe quid eſſet nigrum iſtud quod nataret in aqua; duos iſtos reſpondiſſe, videri pallium cadaveris jam ſubmerſi, atque injecto lapidum pondere ad fundum adegiſſe, & ſtatim omnes quinque diſceſſiſſe. Nimis jam aperte cladem domus ſuæ intelligebat Pontifex, miſit itaque ultra centum piſcatores, qui omnem Tiberim perſcrutarentur Ripettam uſque: atque illi illo ipſo die extraxerunt duo cadavera, quorum alterum erat Ducis Gandiæ, confoſſum novem vulneribus, gladio etiamnum cinctum, pendentibus e zona manicis, incolumi quoque argento quod ſecum habuerat. Tuebatur Cæſarem abſentia ſua contra primos motus paterni animi: ſed, ut facile convenit inter improbos, abjecto mox Cardinalitio honore, ſuffectus eſt in locum fratris ſui, ac patri ſtrenuam navavit operam in perdendo ſceleribus, dolis, ſtupris, perfidia, veneno, humano genere. Sequens Epigramma pertinet ad inceſtos amores Alexandri VI. & filiæ Lucretiæ. de Cæſaris fratricidio vide Onuphrium. cautius aliquanto Volaterranus lib. 22. *Hic* (Dux Gandiæ) *brevi tempore noctu quadam trucidatus, & in Tiberim projectus eſt, cædis auctorem quanquam plerique non ignorant, non tamen nominare fas putant.* Ducis Gandiæ elogium eſt apud Thomaſium in vita Valentini. p. 152. ſq. p. 192.

O IN

LII.

IN EUNDEM.

Europen Tyrio quondam ſediſſe juvenco
  Quis neget? Hiſpano Julia vecta bove eſt.
Ille ſed aſtrigeri partem vix occupat orbis:
  Hic cœlum, atque deos ſub ditione tenet.
Unde igitur, ſi par meritum, non par quoque fatum?
  Romanam amplexu plus tenuiſſe fuit.

LIII.

DE JUCUNDO ARCHITECTO.

Jucundus geminos fecit tibi, Sequana, pontes:
  Jure tuum potes hunc dicere Pontificem.

DE

V. 1. JUCUNDUS *geminos fecit tibi*, SEQUANA, *pontes:*
Jure tuum potes hunc dicecre PONTIFICEM.

In primis Scaligeranis tribuitur hoc Epigramma J. C. Scaligero, errore, ut verſimile eſt memoriæ videndus Menagius in Antibajuleto p. 167. Joannes Jucundus, Veronenſis præceptor fuit Julii Cæſaris Scaligeri, quo Catone contenti erimus ſic igitur ille Exercitatione 329 *Joannes Jucundus, civis noſter, nobili genere prognatus, (qui Maximiliani juſſu cum Hieronymo Dominio Norico, fortiſſimo ac ſanctiſſimo viro, inter tyrocinii rudimenta, me utriuſque literatura primis ſacris imbuit) vir fuit in philoſophia Peripatetica non ignobilis. Scotica ſecta ſummus Theologus; in Mathematicis nulli ſecundus; in Optice, atque Architectura, omnium facile princeps.* & exercitatione 331.: *Memini, præceptorem meum Joannem Jucundum, (qui nobiliſſimum flumen Sequanam haud minus nobilibus pontibus duobus junxit; quique ſolus Bramantis, architecti defuncti, reliquias typorum, atque conſiliorum, intellexit) apud Maximilianum Cæſarem multa præclara profitentem: id inter cætera; Quot pondo proportionem haberet pugnus hominis ferientis cum ſe ipſo non feriente comparatus. Sed & hæc, & alia, tum ille demonſtrabat; quæ poſtea Fortunæ ſævitia interiere. Tum ille, ut audivi, profectus Venetias; atque inde ad Leonem, Pontificem Maximum: an lucculentiore fato ſit uſus, neſcio. Certe Romæ ſi meliore vixit conditione, pro miraculo*

raculo haberi poteſt; qui unicum exemplar fuit, & ſanctitatis, & omnigena eruditionis. luſit poëta in voce *Pontifex*, quam a *ponte* vetuſtas fecit: primi enim pontifices a Numa creati pontem ſublicium fecerant, ac ſubinde reſtituerant. Livius lib. 1. c. 20. Q. Scævola a *poſſe* & *facere* deducit. adde Politianum Miſcell. cap. 17. p. 648.

LIV.

DE ÆNEA, ET DIDONE.

Immemor ah miſeræ cur enſem linquis Eliſæ,
Nate dea? profugas non gravat ille rates.
Anne parum fuerat cauſam dare mortis acerbæ,
Ni ferrum fugiens tu quoque triſte dares?
Tolle precor tumidas tecum hoc, jam tolle per undas.
Diſceſſu, ſatis eſt, ſi perit illa tuo.

LV.

IN CÆCILIANUM.

Si tibi per genium fas eſt jurare Minervæ,
Per Veneris flavas, Cæciliane, comas:
Nec jubar excipitur ſolis, nec cornua Phœbes,
Nec Capitolini crura, caputque patris:
Cur mihi tu ventrem, cur inteſtina deorum,

V. 5. *Cur mihi tu* VENTREM, *cur* INTESTINA DEORUM,
Hiſpana tactus relligione, ſonas?] in invidiam gentis Hiſpanæ hæc omnia dicuntur, quam tum temporis impatientiſſime ferebant homines Neapolitani. audi Pontanum in Antonio dialogo: COMP. *parce, hoſpes, obſcœnis obſecro.* HOSP. *atque putabam mihi in Oſca regione, uti obſcœnis licere, cum populariter audiam jurari per Deorum ventres, perque jecinora, atque per eam partem cujus ipſos etiam Cynicos perpuderet.* COMP. *an ignoras peſſimum morum auctorem populum eſſe? quid enim habet, quod maximo etiam jure non improbes? atque hanc quidem jurandi impuritatem mare attulit, utinamque hoc ſolum a Catalanis didiciſſet noſter populus. Si*

Hiſpana tactus relligione, ſonas?
Non pudet heu cœlum rebus fædare pudendis?
An credis magnos hæc quoque habere deos?

cam ab eis accepimus, nec eſt quod Neapoli quam hominis vita minoris vendatur. quod niſi veſter Blancas, Æſculapius alter, curator acceſſiſſet; majorem civium partem exciſis auribus, labiis, aut naſo mutilo videres. Scortari quoque ſine pudore didicimus, atque in propatulo habere pudicitiam. Juventus noſtra luſtris dedita, quod locandis noctibus a meretricula quæritur, ipſa die ligurit. Ideoque innocentiſſimus olim populus, dum a Catalonia reliquaque Hiſpania comportandis gaudet mercibus, dum gentis ejus mores admiratur ac probat, factus eſt inquinatiſſimus. Sed quando accuſari hæc poſſunt magis, quam corrigi, nec ſatis eſt tutum dicere, de populi moribus deſinamus. En tibi hodiernam Neapolim. ne nunc quidem aliter ſcriberet Pontanus, ſi viveret. de Blaſphemis Hiſpanorum juramentis conqueritur Franc. Ferdinandus de Cordoua cap. 41. Didaſc. Multipl. p. 328. ipſe Hiſpanus. Gallorum vulgus (quamquam hoc ad Sannazarium proprie non pertinet) juramentis uti ſolet non minus impie ridiculis, & ridicule impiis. Vide Barthium ad Statium. T. 3. p. 170. Juſtinianus Imp. illum, qui per *caput Dei*, vel per *capillum* jurat ultimo ſupplicio ſubjicit V. Elmenhorſtius ad Minutium Felicem p. 284. fuit autem in more poſitum multis ſæculis, V. Auctor Brunelli p. 127. Stephanus *Apol. pour Herodote*, p. 110.

LVI.

AD MARINUM CARACCIOLUM.

O dulce ac lepidum, Marine, factum,
Dignum perpetuo joco, atque riſu,

Dignum

Scriptum hoc eſt regnante Julio Secundo, quum Borgia, acciſa ſpe, rebus omnibus exutus, in Navarram profugeret. verſus ille,

Fratrum pernicies, lues, ſepulchrum,

nimis erat verus. de Duce Gandiæ jam vidimus. Lucretiæ ſororis duos priores maritos, ſoluto matrimonio, ad incitas redegerat Cæſar. Nupſerat illa tertium Alfonſo Aragonio, qui jam cœperat gravis eſſe Borgiis propter adverſam domus Aragoniæ fortunam. Burchardus Diar p. 57. 58. *il Tomaſi* p. 272. ſqq. itaque nocte quadam immiſſis aliquot armatis percuſſoribus, in ipſis gradibus palatii pontificii, multis vulneribus confoſſus pro mortuo eſt derelictus. Burchardus p. 72. 72. neque id ſatis fuit barbaro Cæſaris animo. Ut enim invidiam tam deteſtandi ſceleris a ſe amoliretur, Franciſcum Mariam Gazellum, miſeri Alfonſi avunculum, publice capite

pite

Dignum verſiculis, facetiiſque,
Nec non & ſalibus, Marine, noſtris.
Ille maximus Urbis imperator
Cæſar Borgia, Borgia ille Cæſar,
Cæſar patris ocellus, & ſororis,
Fratrum blanditiæ, quies, voluptas,
Montis pupulus ille Vaticani,
Ille inquam dominæ Urbis inquinator,
Cæſar Borgia, Borgia ille Cæſar,
Cynædi patris impudica proles,
Mœchus ille ſororis, atque adulter,
Fratrum pernicies, lues, ſepulchrum,
Montis bellua tetra Vaticani,
Quingentas modò qui voravit urbes,
Imbutus ſcelere, & malis rapinis,
Urbes ſub ducibus ſuis quietas,
Quaſcumque aut Latium ferax virorum,
Aut Campania pinguis, aut per alta
Diviſi juga continent Sabini,
Hiſque ingeſſit Ariminum, Piſaurum,
Urbinum, Populoniamque magnam,

pite plecti juſſit, tanquam nepotis ſui percuſſorem. Verum cum medici non deſperarent de vita Alfonſi, nec tamen Cæſar eum vivum vellet, in lecto ſuo, ac propemodum in ipſo Lucretiæ gremio, eliſis faucibus ſtrangulatus eſt. Operæ pretium fuerit nonihil huc tranſcribere ex diario Cardinalis Viterbienſis, oculati ea tempeſtate tot ſcelerum teſtis. ſic ille: *Nunquam in civitatibus ſacræ ditionis ſeditio immanior, nunquam direptio crebrior, nunquam cædes cruentior, nunquam in viis graſ[illegible]*[illegible]*is liberior, nunquam in Urbe plus malorum fuit, nunquam delatorum copia, ſicariorum licentia, latronum vel numerus, vel audacia major, ut portis Urbis prodire fas non eſſet, Urbem ipſam incolere non liceret. Pro eodem tunc habitum Majeſtatem lædere, hoſtem habere, auri, aut formoſi aliquid domi cohibere: nihil jus, nihil fas: aurum, vis, & venus imperabat.*

V. 16. QUINGENTAS &c.] copioſe hæc deſcribit Thomaſius in vita Borgiæ p. 235. ſqq. p. 280 p. 305. ſqq. p. 393. ſqq. p. 352. ſqq. p. 360. 379. 384' 385.

Camertes pariter, Forumque Livi,
Corneliique Forum, Faventiamque,
Et quantum Æmiliæ eſt, Hetruriæque,
Quantum circuitu hinc & inde longo,
Neptuni lavat æſtuantis unda.
At nunc quis neget eſſe opus deorum?
Dum vecors animi, impotente morbo,
Quærit plura, nec eſt potis miſellus
Explere ingluviem periculoſam,
Ecce ecce evomit, o Jovem facetum,
O pulchram Nemeſim, o venuſta fata!
Verum ſcilicet id, Marine, verum eſt,
Quod dici ſolet, en fides probat nunc:
Fortunam ſi avide vorare pergas,
Eandem male concoquas, neceſſe eſt.
Ut jure evomere hunc putemus ipſum,
Qui tantum miſer hauſit oppidorum.
Aſt id omne, quod hauſit, oppidorum,
Quod quinque aſſiduis voravit annis,
Imbutus ſcelere, & malis rapinis,
Scis quot evomuit diebus? uno.
O lucem niveam, o Jovem facetum,
O pulchram Nemeſim, o venuſta fata,
O dulce, ac lepidum, Marine, factum!

V. 44. Scis quot.] v. il *Thomaſi* p. 400. ſqq.

LVII.

IN ALEXANDRUM VI. PONT. MAX.

Viſuram iterum Sixtum cum Roma putaret,
Pro Sixto Sextum vidit, & ingemuit.

Viſuram ſe iterum SIXTUM *cum Roma putaret.*] Sixtum quartum intellige, cujus liberalitatem, atque imprimis magnificentiam in exornanda Urbe prolixe deſcribit Onuphrius in ejus vita: tangit & Pontanus in libro de Magnificentia, & Sabellicus Enneade decima lib. 8.

LVIII.

DE CÆSARE BORGIA.

Aut nihil, aut Cæſar vult dici Borgia: quid ni?
Cum ſimul & Cæſar poſſit, & eſſe nihil.

LIX.

AD EUNDEM.

Omnia vincebas: ſperabas omnia, Cæſar.
Omnia deficiunt: incipis eſſe nihil.

Iterum in Borgiam invehitur, cujus erat ſymbolum, AUT CÆSAR, AUT NIHIL. cæterum adeo placuit hoc diſtichon, ſive potius utrumque, Horatio Turſellino, ut iiſdem prope verbis mentem expreſſerit ſuam Hiſtor. lib. 10. ad Ann. 1500.
[illegible]xandro VI. Pius III. breviſſimus [illegible]fex, Pio Julius II, ſublectus. qui Borgiam omni ditione ac dignitate ſpoliatum dimiſit, ut qui nihil, aut Cæſar eſſe concupierat, quoniam Cæſar eſſe non poterat, nihil eſſet. v. *il Tomaſi nella vita del Valentino.* p. 251. 420. Simile quiddam apud Martialem extat lib. 2. Epigr. 64.
Eja age, rumpe moras: quo te ſperabimus uſque?

Digitized by Google

Dum, quid ſit, dubitas, jam potes eſſe nihil.

adluſit & nobiliſſimus Poëta Lyræque Romanæ princeps Sarbievius lib. Epodon ubi de arce Bracciana ſermo eſt:

Timenda quondam Cæſaris turmis ducum,
Timenda magno Borgiæ,
Cum per minantum militum aratos globos
Metuenda jaceret fulmina.
Ageretque profugum Cæſarem, & quaſſum metu,
Aduſque promiſſum NIHIL.

LX.

DIES GENIALIS.

Aureli, perfunde meis unguenta capillis
 Tu ſuper, & vernas ſparge, Nearche, roſas.
Sed prius æſtivum ramis defendite ſolem,
 Et viridi mollem ſternite fronde torum.
Non plumæ, non picta juvant me ſtragula, nec quæ
 Pavonis vario ſponda colore nitet.
Larga coronata diſponite pocula menſa,
 Setino & gelidas adſociate nives:
Certatimque leves potanti inducite ſomnos.
 Sic juvat ætatis ducere fila meæ.
An ſcimus miſeri, quid lux ventura minetur?
 Vivamus: mortem fallere nemo poteſt.

LXI.

AD AMICAM.

Da mihi tu, mea lux, tot baſia rapta petenti,
 Quot dederat vati Lesbia blanda ſuo.
Sed quid pauca peto, petiit ſi pauca Catullus
 Baſia? pauca quidem, ſi numerentur, erunt.
Da mihi, quot cœlum ſtellas, quot littus arenas,
 Sylvaque quot frondeis, gramina campus habet,
Aëre

Aëre quot volucres, quot ſunt & in æquore piſces,
Quot nova Ceropiæ mella tuentur apes.
Hæc mihi ſi dederis, ſpernam menſaſque Deorum,
Et Ganymedæa pocula ſumpta manu.

LXII.

IN ANNUM JUBILEUM ALEXANDRI VI. PONT. MAX.

Pollicitus cœlum Romanus & aſtra ſacerdos,
Per ſcelera, & cædeis ad Styga pandit iter.

LXIII.

AD BASSUM DE PHYLLIDE.

Cum de cathedra, Baſſe, ſurgeret nuper
Mammoſa Phyllis, tunica mollis, ut ſæpe
His accidit, qui obeſulas habent clunes,
Intravit illuc, unde prodeunt auræ,
Quæ de Sabæis meſſibus nihil ſpirant:
Quod ut animadvertit dicaculus quidam,
Urbaniorem ut ſe faceret, ait ridens:
Heus Phylli, quiſnam mordicus tenet veſtem?
Vorabit hanc, ni præcaves. Ad hunc Phyllis,
Immo, inquit, ut ſcias, ſibi labra abſtergit:
Accede, pupe, baſiáre te nam vult.

V. 4. ——— *unde prodeunt auræ.* *Quæ de* SABÆIS *meſſibus nihil ſpirant.*] expreſſit hunc locum in Satyris ſuis Janus Douza,

Sed & Amſtelodami
Uſurpaſti oculis fortaſſe ac naribus urbem,
Hic ubi nil Arabum ſpirant de meſſe platea.

LXIV.

AD VESBIAM.

Aſpice, quam variis diſtringar, Vesbia, curis.
Uror, & heu noſtro manat ab igne liquor.
Sum Nilus, ſumque Ætna ſimul: reſtringite flammam
O lachrymæ, lachrymas ebibe flamma meas.

LXV.

AD ÆGLEN.

Si tibi ſum Phœbus, ſi ſum tibi Juppiter, Ægle:
Cur tu non Daphne ſis mihi, non Danaë?

LXVI.

AD PULITIANUM.

Ait neſcio quis Pulitianus,
Ni pulex mage ſit vocandus hic, qui

Unus

V. 1. Pulitianus.] bis peccat noſter in hac voce contra legem metricam. quod ſane amare carpit Barthius jocor. ſerior. L. 1. Epigr. 23.

Politianus vero ac genuino nomine dicebatur *Angelus Cinus*: ita enim ipſe manu ſua ſignavit in teſtamento Joannis Pici Mirandulani. adi ad Menagii Anti Bajuletum p 52. Marullus *Ecnonum* (ſic Politianum vocat) peſſimis modis traduxit. v. III. Epig. 11. 19. 27. 29. 39. 45. 50. IV. 14.

Quantas cum Politiano inimicitias exercuerit Marullus, alibi oſtendimus. in hujus gratiam iniquiſſimus Politiano fuit etiam Actius noſter, neque omittendam ratus eſt tam bellam occaſionem ejus deridendi. Sane, quod factum nollem, Politianus Miſcell. cap. 6. neſcio quem obſcœniorem ſenſum ſub paſſere iſto latere voluit, ac multis perſuaſit. cum Politiano facit Hermol Barbarus l. 2. Coroll. c. 396. qui tamen aliter ſenſit caſt. ad. Plin. p. 513.

Fr.

Digitized by Google

Unus grammaticus, ſed his minutis
Vel longe inferior, minutiorque eſt,

Divi-

Fr. M. Grapaldus in explicatione Verborum p. 85. b. *dicitur* [paſſer] *& mimographis præſertim pars obſcœna in Viris a ſalacitate ejus avicula: atque forſitan paſſer ille Catullianus.* Iſaacus autem Voſſius pluribus argumentis adſtruere eſt conatus, Comment ad Catullum. Rejecerunt jam olim Muretus & Scaliger. & ante illos Bern. Realinus Annot c. 8. T. 1. Theſ. crit. p. 362. ac poſtilla Jos Caſtalio dec 1. Obſ. c. 7. p. 37. nec admiſit Floridus Sabinus T. 1. Theſ. Critici. p. 1040. cujus tamen rationes valde ſunt infirmæ. v. Carrio I. Emend 8. recte, ut puto. Nam & Juvenalis, qui propior fuit ævo Juliano, ſine ulla ambiguitate de paſſere accepit, Sat. 6.

Silveſtrem montana torum cum ſterneret uxor
Frondibus, & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus: haud ſimilis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos.

Et ipſe Martialis, cujus teſtimonio nituntur iſti, lib. 1. Epigr.

Stella delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, paſſerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto paſſere major eſt columba.

& ejuſdem libri Epigr. 110.

Iſta eſt paſſere nequior Catulli.

Si nec iſta ſufficiunt, audiamus iterum Martialem, ſed ſua loquentem lingua, lib. 7. Epigr. 13.

Accidit infandum noſtræ ſcelus, Aule, puellæ:
Amiſit luſus deliciaſque ſuas.
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis paſſeris orba ſui.
Vel Stella cantata meo quas flevit Iambis,
Cujus in Elyſio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus iſtis,
Nec dominæ pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum ſeſquipedalis erat.

accedat & libri quarti decimi Epigramma LXXVII. Lemmate *cavea Eborea:*

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare poteſt.

Si ex iis, quos adduxi, locis confícere poſſunt, ſub paſſere Catulli latitare illud, quod Hiſpanus poëta jam nominavit, viros putabo. non erat tanti inquies, iſtis quiſquiliis chartas conſpurcare, fateor. ſed nec tanti fuit locum probum interpretari improbe, & in ipſis munditiis ſpurcitiem quærere. Quæ in fine de mollitie Politiani dicuntur, ex mera ſplendidaque bile profecta eſſe credo. tetigerat & J. G. Voſſius hanc ſacerrimam calumniam, itemque eam de impietate Politiani libro de Poëtis Latinis p. 79. qui locus videri debet· & M. Ant. Sabellicus X. Epiſt. 18 Quanquam non ignoro quid de eo ſcripſerit Jovius in Elogiis: nempe, *Ferunt eum ingenui adoleſcentis inſano amore percitum, facile in lethalem morbum incidiſſe. Correpta enim cithara,* (vide Barthium Jocor. ſerior. L. 19. Epigr. 56.) *quum*

Digitized by Google

Divinum ſibi paſſerem Catulli
Haud quaquam bene paſſerem ſonare,
Nec jam id eſſe, quod autument legentes,
Sed quod verſiculis parum pudicis
Ludens innuat ipſe Martialis:
Da mihi baſia, ſed Catulliana:
Quæ ſi tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi paſſerem Catulli:
Ut ſit, quod puero poëta poſſit
Poſt longas dare baſiationes,
Quod ſalvo nequeat pudore dici.
Proh dii, quam vafer es Pulitiane,
Solus qui bene calleas poëtas!
Nimirum, & quod ab omnibus probetur,
Mutandum quoque ſuſpicaris illud,
Quod nunc illepidumque, & infacetum

Mendo-

quam eo incendio, & rapida febre torreretur, ſupremi furoris carmina decantavit: ita, ut mox delirantem vox ipſa, & digitorum nervi, & vitalis denique ſpiritus, inverecunda urgente morte, deſererent. Hæc ille. qui quam fuerit ſæpe ſubleſtæ fidei, Joan. Bodinus in Methodo Hiſtoriarum, & Georg. Sabinus in Poëmatis docere poſſunt, ut nunc alios mittam. Jovius in Politianum ubique infeſto fuit animo v. Elog. p. 37. 48. 36. credo poſteris perſuadere voluit, Politianum fuiſſe minorem Demetrio Chalcondyla, Georgio Merula; Gregorio Typhernate. Satius erit audire virum integerrimum, & morum ſanctitate conſpicuum, Joan. Pierium Valerianum lib. 2. de infelicitate Literatorum: *Angelus* (inquit) *Politianus, nullius ignarus eruditionis & diſciplinæ, cum in adverſa Mediceorum procerum tempora incidiſſet, inclinantibus jam Petri, quem ipſe literis inſtituerat, rebus, in eam incidit ægritudinem, ut in multis & variis moleſtiis cogitationibuſque conſolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore mœſtitiaque confectus exſpiravit; quodque illi longe fuit infelicius, conficta in eum turpitudinis fabula, maledicentiſſimis obtrectationibus proſciſſus calumniatuſque eſt, utque ea gens* (Florentina) *promtiſſima eſt ad inſimulandum, in invidiam Petri ipſius ignominioſam aliam mortis voluntariæ cauſam univerſo terrarum orbis magna cum ejus infamia propalarunt.* Hæc ſi legiſſet, (certe debuerat legere) impudentiſſimus ille fabularum architectus Antonius Varillaſius, (de quo homine videatur Joh. Albr. Faber centuria Plagiariorum N. 91. ut taceam de Burneto, Larroquano, collectoribus Actorum Eruditorum Lipſienſibus) nihil habuiſſet neceſſe Politiani famam novis commentis denigrare in Hiſtoria ſua Anecdota domus Mediceæ.

Mendoſis epigrammaton libellis
Inſulſe legit imperita turba:
Sic forſan tener auſus eſt Catullus,
Magno mittere paſſerem Maroni:
Cum ſit ſimpliciuſque, rectiuſque,
Mitti, dicere, mentulam Maroni.
Sed quid vos, Aganippides puellæ,
Ridetis? meus hic Pulitianus
Tam bellum ſibi paſſerem Catulli
Intra viſcera habere concupiſcit.

LXVII.

DE EODEM.

Vanas gigantum iras, & impetus graveis
Miratur aliquis audiens mortalium,
Auſumque cœlo vincula inferre irrita
Sævum Typhoëa, cum jugoſum Pelion
Adderet Olympo, matre nec Terra ſatum
Agnoſceret ſeſe, impium donec pater,
Iratus ardenti igne ſubſtulit caput,
Ut par erat: nam quis petat ſanus Deos?
At nunc quis hoc, quis hoc ferat mortalium?
Iners, puſillus, unus, heu pulex ciet
Turmas, cohorteis, copias, manipulos
Muſcarum, & altos ſcandere adparat toros
Heroum, opacis qui ſub umbris arborum
Strati, ac perenni flore ſubfulti caput,

Ducunt

Invehitur noſter in Politiani Miſ- inea. ſed, Dii boni, quam pa- modeſte! nollem factum, Sincere, nollem. v. Marullus l. 3. Epigr. 50.

Ducunt quietem perpetem, æternam, optimam,
Nec noſtra curant dicta, vel facta amplius,
Ut qui beatos incolant tuti locos,
Et nomen alta in arce ſacrarint ſuum,
Functi periclis, & malis laboribus,
Cunctaſque fortunæ improbæ calcent minas,
Nedum puſilli pulicis morſus leveis.
At tu moleſte, amare, veſane, impie
Pulex, inepti concitator agminis,
Quo proripis te? quo vocas muſcarias
Iſtas phalanges? quo volatileis globos
Impellis audax? i procul miſer, miſer,
I criminoſe maximam in malam crucem.
Haud fas quietas manium ſedeis Deum
Muſcas ſubire, pulicumque copias.
Nil hic negoci vel tibi, vel peſſimis
Tuis maniplis: quid moraris, impie?
Abi profundam in noctem, &.ultimum Chaos.
Speranda certe gloria hic nulla eſt tibi.
Quos dii probavere ſemel, hos ſemper probant.

LXVIII.

ACTEON MARMOREUS.

Viderat Ideo nudas in vertice divas
Phryx Paris, & dixit, vincis utranque Venus.
At ſi, Gargaphiis quam nos male vidimus undis,
Vidiſſet, poterat dicere, cede Venus.

OR-

Digitized by Google

LXIX.

ORPHEO RESPICIENTI.

Hoc fuit, infelix & adhuc heu reſpicis, Orpheu?
Quod te, quod miſeram perdidit Eurydicem.

LXX.

ECHO LOQUITUR.

Vidi, arſi, flevi, triſtemque (heu fata) repulſam
Spreta tuli: ſum nunc vox, ſonus, aura, nihil.

LXXI.

EADEM JOCATUR.

Cum facie caream, quæris, cur dicar imago:
Cum tua verba ſequar, dic, ubi lingua mea eſt?

Confer hunc locum cum Auſonii epigrammate undecimo.

LXXII.

IN MALUM LIBRUM.

Si ſapis, hoſpes abi, miſerum neu tange libellum
Non hic Mœonidem, Virgiliumve leges:
Sed

IN MALUM LIBRUM.] Credibile eſt eum poëtam, quem inſectatur noſter, de Siculis illis fuiſſe qui tam acriter vapularunt Eleg. II. libri primi. Vide Pontanum lib. I. Amor. eo epigrammate, cujus initium,

Non

Sed fœdas Bavii chartas, & olentia Mævi
  Carmina, Romani dedecus eloquii.
Quid dubitas ſacros incendia poſcere lucos,
  Abnuerit liquidas ſi dare Phœbus aquas?

Non ſunt carmina, ſed cacationes,
Quæ ſe ſcribere jactat Vtricellus.

Marullum II. Epigr. 35. *ſalve nec lepido libelle verſu* &c. aut aqua aut flammis peribant carmina malorum poëtarum v. Paſſerat. ad Tibull. 79. b. B. & quæ ad Tibullum notavi I. 10. 49.

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* EPIGRAMMATON

LIBER SECUNDUS.

I.

Cum vehor picta vacuus phaſelo,
Et modo ſeptos jaculis echinos,
Nunc bene hærenteis ſcopulis laboro
    Vellere conchas:
Tange vocaleis ſtudioſa chordas
Muſa, & auratum moderare plectrum:
Pauca de multis referamus acta
    Regis amati.
Qualis herboſo ſpaciata campo
Virgo, jam matris decus, & voluptas,
Nectite ſolis violis coronam,
    Cætera linquens.
Hic ubi veras imitata turreis
Tot ſimul pinnis, niveiſque tectis,
Rupe Mergillina ſedens, propinquum
    Spectat in æquor,
Adſit ex imo Galatea fundo,
Nil timens ſævos Polyphemi amores,

Nec mihi durum refluens canenti
Obſtrepat unda.
Sit licet magnus, trepidaſque turmas
Fregerit primis Federicus auſis,
Cum puer celſas penetravit Alpeis,
Saxaque Rheni:
Texerit latis pelagus carinis,
Dalmatum diteis populatus urbeis:
Senſerit preſſo prope fulminantem
Ore Timavus:
Cinxerit ſacra meritum corona
Et caput, Gallos quoniam feroceis
Contudit: totas revocarit orci ex
Faucibus urbeis:
Nil tamen majus, nihil egit unquam
Fortius, quam quod titubante regno,
Cum ſibi ſceptrum, & diadema poſſet
Sumere tutus,
Conjugem charam, proprioſque natos
Liquit, & fidas lachrymas clientum,
Fratris heu pulſam ſobolem ſecutus
Per mare vaſtum.
Ergo nunc illi moderator alti
Ætheris, cui ſunt pia facta curæ,
Regium frontis decus, & negatos
Addit honores.
O Fides, rarum, placidumque numen,
O mihi nullis reticenda ſæclis,
Te te ego æternum prece, victimiſque
Pronus adorem.

II.

DE ANDREA MATTHÆO AQUIVIVO.

Cernis, ut exultet patriis Aquivivus in armis,
Duraque ſpumanti frena relaxet equo?
Quis miteis illum Permeſſi hauſiſſe liquores
Credat, & imbelleis excoluiſſe lyras?
Conſurgunt niveæ fulgenti in caſſide criſtæ:
At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Muſas qui ſtringere ferrum,
Qui Martem doctos cogis amare choros.
Hæc ducis eſt virtus, non uni inſiſtere palmæ,
Sed nomen factis quærere, & ingeniis.

De Andrea Matthæo Aquivivo dixi ad lib. 1. El. 11. v. 23. quæ hic non repeto.

III.

IN BUBONEM.

Nam quis te, inepte bubo, tam ſtolidus furor
Adegit importunum inire prælium,
Iſto indecenti roſtro, & alis luridis?
Quid bellicoſæ volucris, inſulſe, aſperos

Non dubito quin Politianum petat hoc epigrammate, in gratiam amici ſui Marulli, quem *aquilam* & *bellicoſam volucrem* vocat, Politianum vero *bubonem indecenti roſtro & alis luridis*. erat autem Politianus minime formoſus. Jovius in ejus elogio, *Erat diſtortis ſæpe moribus, uti facie nequaquam ingenua, ab enormi præſertim naſo ſubluſcoque oculo perabſurda*. ipſe Politianus in Mabilium, id eſt Marullum,

Quod naſum mihi, quod retorta colla,
Demens objicis; &c.

Laceſſis ungueis? deſine miſer, dum licet,
Ne dormientis excites ſomnum tuo
Cum maximo (ut par eſt) malo, ac clade ultima.
Sed pervenire vis in ora vulgi, & hac
Via cupis, ſceleſte, fieri notior?
Non aſſequere, nec profecto tam bono
Fruere fato. An hoc pudendo ſanguine
Se tingat Aquila fulminum & cœli immemor?
Ponenda honeſtæ mortis hæc ſpes eſt tibi.

IV.

IN LUCRETIAM DE ALEXANDRO SEXTO.

Ergo te ſemper cupiet, Lucretia, Sextus?
O fatum diri nominis: hic pater eſt.

In Lucretiam.] circumferebantur tum temporis hi quoque verſus, ſed venæ minoris & alterius poëtæ,

Sextus Tarquinius, ſextus Nero, ſextus & ipſe
Semper ſub ſextis perdita Roma fuit.

V.

AD MATHONEM.

Ut mandem victura meis tua nomina chartis,
Dicis amicitiam te, Matho, velle meam.
Et tibi ſemper in ore duces, quos Grajus Homerus,
Quos noſter Latia vexit in aſtra tuba.
Dumque ego ſum tanti te judice, venit ab horto
Cum donis olitor biſve, ſemelve tuus:
Scilicet æterni pretium mihi grande daturus

Nomi-

Nominis, & fidæ pignus amicitiæ.
O Matho, quam felix & amico, & vate reperto es.
Quam felix horto, muneribuſque tuis,
Si quod diis genitis vix tot peperere labores,
Id tibi lactucæ, prototomique dabunt.

VI.

DE PATRIA HOMERI.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, A-
Cedite jam : cœlum patria Mæonidæ eſt. (thenæ

v. Marullus III. Epigr. 6.

VII.

DE LUNA, ET PANE.

Effudit longas Tegeæa in rupe querelas
Pan captus forma, candida Luna, tua.
Cumque levi calamos cera conjungeret, addit,
Prædata es ſenſus tu quoque, canna, meos.

VIII.

IN TUMULUM AMARANTHÆ.

Hic Amarantha jacet, quæ, ſi fas vera fateri,
Vel Veneri ſimilis, vel Venus ipſa fuit.

IX.

AD FERRANDUM REGEM.

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
  Sæcula, nam ſub te principe nemo metit.

Ex Epigrammate veteris poëtæ ap. Sueton. Tiber. cap. 59. ſi de Ferdinando ſeniore ſcriptum, videndus Marullus poëm. de princip. inſtitut. p. 102.

X.

DE SUMMONTII PIETATE.

Excitat obſtrictas tumulis Summontius umbras,
  Impleat ut ſanctæ munus amicitiæ.
Utque prius vivos, ſic & poſt fata ſodales
  Obſervat, triſtes & ſedet ante rogos.
Nec tantum violas cineri, ac bene olentia ponit
  Serta, ſed & lachrymis irrigat oſſa piis.
Parva loquor: cultis reparat monumenta libellis,
  Cum poſſint longam ſaxa timere diem.
At tu, vivaci quæ fulcis nomina fama,
  Poſcenti gratas, Muſa, repende vices:
Ut quoniam dulceis optat ſic vivere amicos,
  Vivat, & in libris ſit ſacer ille meis.

De Petro Summontio puto me alibi nonnihil dixiſſe. interim videre te velim Summontii præfationem in Actium Pontani, qui exſtat ſecundo hujus operum tomo v. Pontanus L. 5. de Prudent. p. 400. Summontius edidit Actii noſtri Eclogas Etruſce Scriptas h. e. Arcadiam. ipſe hoc prodit in præfatione Pontani de Fortuna. p. 496.

DE

XI.

DE VENERE, ET DIANA.

Incultam aſpiciens ſylvis Cytherea Dianam,
Riſit, &: An tendes retia ſemper? ait.
Cui Dea caſta: Feris cur non ego retia tendam,
Tendere ſi potuit vir tuus illa tibi?

XII.

AD ÆGLEN.

Abſentem quæris, præſentem deſpicis, Ægle:
Non redamas, ſed me vis in amore mori.

XIII.

DE VENERE, ET PRIAPO.

Tractabat clypeum Marti placitura Dione:
Sævaque fœminea ſumpſerat arma manu.
Pone, Dea, exclamat petulanti voce Priapus,
Pone, decent iſtas hæc magis arma manus.

XIV.

IN GELLIAM.

Quem tu nunc patruum, nunc patrem, Gellia dicis;
Hic tibi nec patruus, Gellia, nec pater eſt.

Digitized by Google

XV.

IN FLACCUM.

Non largitur opes, & vult epigrammata Flaccus.
Jure ſuo hæc poſcit, vult ſibi verba dari.

XVI.

DE PETO COMPATRE.

Petus delitiæ tuæ, Dione,
Uni cui Charitum ſales beatos,
Cui fontes dederas facetiarum,
Ac riſus ſimul eleganter omnes,
Petus mortuus eſt tuus, Dione,
Petus compater uſque ad aſtra notus.
Qui puro niveæ colore mentis
Vincebat nitidiſſimos olores.
Cui de lacteolis tuis papillis
Donarunt violas Jocuſque, Amorque,
Donavit teneram Thalia myrtum:
Mox promens citharam decentiorem,
Verſus addidit eruditiores.
O ſævæ nimium, malæque Parcæ,
Veſtros non potuit tenere fuſos
Petus, qui rapidas domare tigres,
Qui duras potuit movere quercus,
Veſtras non potuit colos morari.
Sic, ſic occidis heu miſelle Pete;

Nec

De Petro Compatre vide notas ad lib. I. El. II. v. 19.

Digitized by Google

Nec te Pierides tuæ, nec ipſa
Quæ te per Paphon, & Gnidon virentem,
Per colles Amathuntios vocavit,
Fatis eripuere tam malignis.
At non unanimes tui ſodales,
Quos tu pectore tam pio colebas,
Quos triſtes obitu tuo relinquis,
Hoc duro tibi defuere caſu.
Quin me trans Ligerim, feroſque Celtas,
Luſtrantem Morinum pigras paludes,
Dum quæro Oceani ultimos receſſus,
Veris nuncius obruit querelis.
Ergo quid tibi tam vagus viator,
Cui nec pulchra Neapolis, nec alti
Colles Pauſilypi, nec ipſe adeſſet
Sebethos pater, aut pater Veſevus,
Inferre exſequiarum amice poſſem?
Rupem, quam vagus hinc, & inde Nereus,
Alterna veniens retundit unda,
Acceſſi, & procul angulo in ſupremo
Stans, ſupra pelagi alluentis æſtus,
Manes terque, quaterque convocavi.
Hic fudi lachrymas amariores:
Hic vici gemitus vel unus omnes,
Omnes & ſimul omnium querelas.
Mox quamvis cineri tuo decentem
Pontanus tumulum pararit, ac te
Cognatas veneretur inter umbras,
Quamvis & diuturnius ſepulchrum,
Quod nec ſæcula vincere ipſa poſſint,
Divinis paret excitare chartis:
Noſtrum non tibi qualecunque munus
Inter frigora, ſolitudineſque

Ceſſavit, nec honore te ſupremo
Fraudavi miſer; hoc ſcit ipſa Tethys,
Scit late Oceani unda Gallicani.
Stant aræ tibi, ſtat videnda nautis
Terreni tumuli puſilla moles,
Et buxus ſuper, & dicata quercus.
(Nam myrtum regio illa non habebat)
Quæ juſſit pietas ſacrare, ut eſſet
Naturæ tibi terminus ſepulchrum.

XVII.

IGNES NOCTURNI ROMÆ.

Aſpicis, ut picti vultus imitetur olympi,
  Certet & aſtriferos vincere Roma polos.
Scilicet hos, Auguſte, tibi largitur honores,
  Ne cupias magni tecta videre Jovis.
Alta coronatæ jactant incendia turres:
  Et Vaticano fulmina monte tonant.
Dumque palam tantos cupit oſtentare paratus
  Urbs nimium in laudes ambitioſa ſuas:
Vivant aſtra, inquit, ſummo contenta Tonante,
  Pareat Auguſto dum modo Roma ſuo.

XVIII.

DE TYRANNIS, ET BRUTO.

Cum tot Tarquinios paſſim conſurgere cernas,
  Miraris, Brutum cur ferat Italia?

IN

Cum tot TARQUINIOS *paſſim conſurgere cernas*, *Miraris* BRUTUM *cur ferat Italia?*] Scriptum eſt Anno 1476. cum Galeatius

leatius Sfortia, Dux Mediolani, a Joanne Andrea Lamponiano & Hieronymo Olgiato ac Carolo Vicecomite in ipſo Sancti Stephani templo eſſet interfectus. Et Lamponianus quidem ſtatim a furente plebe eſt diſcerptus: Olgiatus vero, poſtquam aliquot dies latuiſſet, tandem protractus & captus, horrendiſque modis per omnia tormentorum genera laceratus, extractis vivo ac videnti viſceribus, infelicem ſpiritum exhalavit. ille, cum carnifex pectus aperire inciperet ferro non ſatis acuto, ſtetit primum mortuo ſimilis, deinde ſubito prorupit in hæc verba, quæ Latine proferebat, *Collige te, Hieronyme; ſtabit vetus memoria facti, mors acerba, fama perpetua.* Etiam hos verſus fecerat in carcere, inter furiales iſtos cruciatus.

Quem non armata potuerunt mille phalanges
Sternere, privata Galeaz. Dux Sfortia dextra
Concidit: atque illum minime juvere cadentem
Adſtantes famuli, nec opes, nec caſtra, nec urbes.
Unde patet ſævo tutum nil eſſe tyranno,
Et patet humanis quæ ſit fiducia rebus.

Paullo aliter apud Jovium leguntur. p. 101. videri poſſunt Sabellicus Ennead. 10. lib. 7. Volaterranus lib. 4. alii. operam autem minime luſerit, qui Bernardini Corii Hiſtoriam Mediolanenſem conſuluerit: is enim oculatus & auritus rei teſtis fuit. vidit & Fulgoſus ut ipſe refert l. 3. c. 3. ex. ult. Huc referri debet epigramma Gabr. Altilii, *Sive furor, ſeu ſit ratio, contemnere vitam.* quod produxi ad lib. 1. Eleg. 11. v. 17. itemque aliud Petri Criniti l. 2. carm. 7. de Lamponiano ſive Lampugnano, vid. Baptiſta Fulgoſus l. 9. Ex. c. 3. Marullus lib. 3. Epigr. 30. Jovius. lib. 3. Elog. p. 100. 101. Pontanus lib. de ſplendore c. 1. p. 257. *Voyez la Cronique ſcandaleuſe du Roy Louis XI.* p. 343. ſq.

XIX.

IN TUMULUM PUERI.

Nate patris, matriſque amor, & ſuprema voluptas,
Accipe, quæ nobis te dare par fuerat.
Buſta eheu, triſteiſque notas damus, invida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

DE

Hic tumulus opere magnifico viſendus eſt in eccleſia S. Severini Benedictinorum Neapoli puero nomen erat Andreae Bonifaccio *Miſſon voyage d'Italie* T. 1. p. 286. ubi primus pentameter legitur hoc modo.

En tibi quæ nobis te dare ſors vetuit.

Sepulcri ectypum ibidem videbis. ceterum de inverſo ordine moriendi, & Cato queritur apud Ciceronem lib. de Senect. c. 23. p. 453. & crebra eſt querela in Lapidibus vetuſtis quorum bonam copiam adhunc locum adfert Aldus Manutius. p. 365. ſq.

Digitized by Google

XX.

DE HERCULE, ET GANYMEDE.

Palluit Alcides teneri Ganymedis amore:
Et vetus amiſſi ceſſerat ardor Hylæ.
Quid linquet nobis puer hic? ait uxor: honores
Eripuit quondam, nunc rapit ecce virum.

XXI.

IN UFENTEM CRAPULATOREM.

Non futuit, non pædicat, non irrumat Ufens:
Iſta olim: quid nunc? aut vomit, aut comedit.

XXII.

IN DEGENERANTEM.

Nomen avi, non facta refers: diceris ab illo
Alter, ſed juvenis tu, precor, ille ſenex.

XXIII.

DE JOVE, ET CUPIDINE.

De Veneris nato queſta eſt Dictynna Tonanti,
Quod nimis ille puer promptus ad arma foret.
Tum pater accito oſtendens grave fulmen Amori,
Hoc tibi, ſæve puer, ſpicula franget, ait.
Cui laſcivus Amor motis hæc reddidit alis:
Quid ſi iterum poſito fulmine Cycnus eris?

IN

Digitized by Google

XXIV.

IN RICCIUM.

Ægrotat ſedis vitio, & male Riccius audit.
Quid, ſi eſſet ſurdis Riccius auriculis?

Bartholomæum Riccium exagitat, Alfonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis præceptorem. Illius Riccii habemus tres elegantes libellos de imitatione. [Broukhuſius deleverat illam de Bartholomæo Riccio obſervationem & margini ſequentia adſcripſerat]

Hæc nihil faciunt ad Barthol. Riccium. dubito; nec videtur ſatis congruere ætas. Bernardi cujuſdam Riccii mentio eſt apud Politianum Epiſt. 24. lib. 3. is autem fuit *συνχρονος* poetæ noſtri. iterum memoratur lib. 6. Epiſt. 8. ubi video Secretarium fuiſſe. Florentinum. Libri autem noni epiſtola ſecunda ſcripta eſt ad Bernardum Riccium, uti & ſexta. ex ejuſdem libri octava apparet fuiſſe juvenem: ex tertia libri undecimi alumnum diſciplinæ Politiani. ejuſdem libri vigeſima ad Riccium eſt: ad Barthol. Riccium exſtat Cælii Calcagnini Epiſtola quæ prima eſt lib. 12. ſcripta A. 1538. quod notandum. exſtat ejus *apparatus Latinæ locutionis* Calcagnino memoratus cum laude; plura dabit Geſneri Bibliotheca p. 89. — Riccium accuratiſſime commendat Calcagninus. l. 12. Epiſt. 12. 14. ad Bartol. Riccium ſcribit Aonius Palearius l. 3. Epiſt. 4. (ubi laudat ejus libros de Gloria) reſpondet Riccius Epiſt. 5. & dicit eos libros (tres erant) eſſe ad Umbilicum perductos &c. ſcripſit & in Catullum quædam. ibid. p. 168. iterum de Gloria p. 170. — ad Petrum Franciſcum Riccium ſcribit Aonius Palearius. l. 2. Epiſt. 1. ad Barthelomeum Riccium ſcribit Bembus l. 6. Epiſt. 38. A. 1532. in qua multis laudibus effert Riccii *Apparatum Latinæ locutionis* — Riccii eloquentiam eximie dilaudat idem. l. 6. Epiſt. 101. — de *Apparatu* iterum Bembus in ſuis Epiſtolis Italicis p. 130. — Riccius fuit præceptor Silvii Antoniani, ad quem ſcribit Manutius l. 2. Epiſt. 4. & ad ipſum Riccium Epiſt. 5. ubi eum laudat, a peritia ſacrarum Literarum & a ſanctitate vitæ. Manutium viciſſim Riccius. l. 1. de Imitat. p. 22. b. Naugerium & Bembum ibid. p. 21. b. Sannazarium l. 2. p. 46. b.

Poëta noſter ante oculos habuit locum Ciceronis l. 5. Tuſculan. c. 40. *erat ſurdaſter Craſſus: ſed aliud moleſtius, quod male audiebat*

Hæc non debebant induci ſunt enim vera & video me fruſtra dubitaſſe fuit enim Riccius adoleſcens alicujus nominis jam grandiore natu Sannazario vid. ille. l. 2. de imitat. p. 47.

DE

XXV.

DE DANAE, ET JOVE.

Formoſam Danaën munibat ahenea turris:
  Et ſatis hoc vanus credidit eſſe pater.
Indoluit, teneræ miſeratus fata puellæ
  Juppiter, & ſubito factus amator, ait:
Ergo arcere potes natam diviſque, viriſque:
  At ſi non arces imbribus, imber ero.

XXVI.

DE LUCIO GRAMMATISTA.

Noctes, & nocteis iterat dum Lucius, illi
  Perpetuam noctem præbuit altus Arar.

Videndum ſi hic ſit Joannes Lucius Scoppa, cujus lucubrationes exſtant in Theſauro Critico Gruteri.

XXVII.

DE ALEXANDRO VI. PONT. MAX.

Bello, inimicitiis, furtiſque, & cædibus hauſtam
  Italiam cernis, Sexte, & obire potes?

DE

XXVIII.

DE EODEM.

Dic in amicitiam coëant, & fœdera jungant
Mortales, dixit Sextus, & occubuit.

Dic *in amicitiam* &c.] verſus Virgilii lib. 7. 546. mordaciſſime huc aptatus; vide locum & Servii ſimul expoſitionem primam.

XXIX.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

Fortaſſe neſcis, cujus hic tumulus ſiet.
Adſta viator, ni piget.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni eſt, ſed hujus, qui modo
Libidinoſa ſanguis captus ſiti,
Tot civitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit,
Natos ut impleat ſuos.
Orbem rapinis, ferro, & igne funditus
Vaſtavit, hauſit, eruit;

Tria quæ ſequuntur Epigrammata huc revocavi ex editionibus Gryphianis anni 1536. & 1569. nam in aliis omnibus deſiderantur. Eſſe tamen genuina non eſt cur dubites. auctorem ſuum produnt & ſtylus & acumen. Scioppius Paradox. liter. Epiſt. 5. p. 35. quoque Sincero diem dixit ob hunc verſiculum,

Ut ſcilicet liceret (heu ſcelus) patri
Nata ſinum permingere.

cum *permejere* debuiſſet dicere. quod verum eſt. offendit & Eraſmus in hoc verbo, Dial. de pronunt. p. 52. & Dan. Heinſius Poëm. p. 424. vide tamen Cyr. Guntherum Latin. Reſt. p 383. 384. certe MINGO legitur apud Eutychen. Grammaticum l. 2. p. 2177. Edit. Putſchii.

Digitized by Google

Humana jura, nec minus cœleſtia,
  Ipſoſque ſubſtulit Deos:
Ut ſcilicet liceret (heu ſcelus) patri
  Natæ ſinum permingere,
Nec exſecrandis abſtinere nuptiis
  Timore ſublato ſemel
Et tamen in urbe Romuli hic vel undecim
  Præſedit annis Pontifex.
I nunc, Nerones, vel Caligulas nomina,
  Turpeis vel Heliogabalos
Hoc ſat viator: reliqua non ſinit pudor.
  Tu ſuſpicare, & ambula.

V. 13. Ut scilicet &c.] v. *il Tomaſi nella vita di Ceſare Borgia* p. 319. 330. 336. ſqq.

XXX.

DE EODEM.

Mirum, ſi vomuit nigrum poſt fata cruorem
  Borgia? quem biberat, concoquere haud potuit.

XXXI.

DE EODEM.

Nomen Alexandri ne te fortaſſe moretur
  Hoſpes, abi. jacet hic & ſcelus, & vitium.

DE

XXXII.

DE VULCANO ET VENERE.

Horrida cœlicolis narrabat prælia Mavors,
Sævaque terribili capta tropæa manu:
Quod Venus audiret, doluit Vulcanus; &, heus tu,
Inquit, an expectas, ut mea vincla canat?

XXXIII.

DE SE IPSO.

Miraris, liquidum cur non diſſolvor in amnem,
Cum nunquam ſiccas cogar habere genas.
Miror ego, in tenues potius non iſſe favillas,
Aſſiduæ carpant cum mea corda faces.
Scilicet ut miſero poſſim ſupereſſe dolori,
Sic lachrymis flammas temperat acer Amor.

Non tam bene Marullus, quamquam in eodem argumento, l. Epigr. 13. neque Angerianus. Carm. 72. 166.

XXXIV.

DE HERCULE, ET JOVE.

Pendebat Phrygii Tirynthius ore miniſtri,
Delicias magno dum facit ille Jovi.
Tum pater: Haud equidem favi, fortiſſime, dixit,
Formoſum rapuit cum tibi Nais Hylan.

XXXV.

DE VENERE, ET SOLE.

Induerat thoraca humeris, galeamque decoro
Aptarat capiti, Marte jubente, Venus.
Nil opus his, Sol, Diva, inquit: ſumenda fuerunt,
Cum vos ferratæ circuiere plagæ.

XXXVI.

CATONIS TUMULUS.

Hic, ubi Libertas, magni & jacet umbra Catonis,
Quam melius poterant Cæſaris oſſa tegi!

XXXVII.

DE VENETORUM SIGNIS.

Romanas Aquilæ poſtquam liquere cohortes,
Magnanimus turmas ducit in arma Leo.

XXXVIII.

DE ANDREA MATTHÆO AQUIVIVO, DUCE HADRIÆ.

Mœſta Bituntinæ duxerunt otia Nymphæ,
Nec Faunis ſolitos exhibuere choros.

Scilicet

V. 1. *Mœſta* BITUNTINÆ *duxerunt otia* NYMPHÆ.] Bituntum, ſive Butuntum, urbs eſt Apuliæ Peucetiæ mediterranea, inter

Scilicet optato quicquid ſine principe cernunt,
  Ingratum eſt, tantus principis urget amor.
Nec ſatis eſt, poſitis arcum ſpreviſſe ſagittis,
  Queſtubus & totos continuaſſe dies.
Aſt etiam noſtris faciunt convicia terris:
  Et nos Syrenas, Lotophagoſque vocant.
Vera loquor: Divæ veniam date vera loquenti:
  Non amor hic certe, ſed magis invidia eſt.

ter Rubos & Barium. populos Butuntinenſes recenſet Plinius lib. 3. cap. 11. de *Lotophagis* dictum eſt alibi.

XXXIX.

DE THELESINÆ CRINIBUS.

Dum nectit flavos auro Theleſina capillos,
  Contraxit radios Phœbus, & erubuit.
Mox hæc ad ſuperos: en auro jungitur aurum:
  Hoc eſt mortales, hoc ſuperare Deos.

XL.

IN GALEATIUM CARACCIOLUM.

Hippolyten, Leden, Theleſinam diligis unus:
  Dic mihi, quid tota reſtat in urbe boni?

Digitized by Google

XLI.

IN THEATRUM CAMPANUM.

Dicite ſemidei, ſylvarum numina, Panes,
Et ſiqua adventu es Nympha fugata meo:
Cui licuit tantas ſaxorum evertere moles,
Quas jam disjectas vix nemora alta tegunt?
Hiſne olim ſueta eſt cuneis Campana juventus
Amphitheatrales læta videre jocos?
Nunc ubi tot plauſuſque hominum, voceſque canoræ,
Tot riſus, tot jam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges, rapit omnia tempus;
Et quæ ſuſtulerat, deprimit ipſa dies.

In Theatrum Campanum.] Videri debent Leander Albertus & Lipſius.

XLII.

DE FONTE MERGILLINES.

Eſt mihi rivo vitreus perenni
Fons, arenoſum prope littus, unde
Sæpe diſcedens ſibi nauta rores
Haurit amicos.
Unicus noſtris ſcatet ille ripis,
Montis immenſo ſitiente tractu,
Vitifer qua Pauſilypus vadoſum ex-
currit in æquor.
Hunc ego vitta redimitus alba,
Flore & æſtivis veneror coronis,
Cum timent amnes & hiulca ſævum

Arva

Digitized by Google

Arva leonem.
Antequam feſtæ redeant calendæ
Fortis Auguſti, ſuperantque patri
Quattuor luces, mihi tempus omni
Dulcius ævo.
Bis mihi ſanctum, mihi bis vocandum,
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto, geminaque ſemper
Thuris acerra.
Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phœbus illuxit, pariterque dias
Hauſimus auras.
Hac & inſigni peragenda ritu
Sacra ſolennes veniunt ad aras,
Nazari unde omnes tituli, meæque
Nomina gentis,
Nazari vaſtas cohibentis undas
Æquoris, ſævoſque domantis æſtus,
Quicquid & vani truculenta juſſit
Ira Neronis.
O decus cœli, ſimul & tuorum,
Rite quem parva veneramur æde,
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dediſti:
Huc age, & fontem tibi dedicatum
Sæpe reviſe.

Digitized by Google

XLIII.

DIVO NAZARIO

Natali quod, Dive, tuo lucem editus hauſi,
Quod tua naſcenti lux mihi prima fuit:
Actius hoc riguo parvum cum fonte ſacellum
Dedico, tu nutu fac rata vota tuo:
Ut quæ Sextiles lux venerit ante calendas
Quarta, ſit hic generi bis celebranda meo,
Et quod ſolennes revocat tua feſta per aras,
Et quod natalem contigit eſſe meum.

XLIV.

DE LAURO, AD NERITINORUM DUCEM.

Illa deum lætis olim geſtata triumphis,
Claraque Phœbeæ laurus honore comæ,
Jam-

Huic carmini aliud geminum germanum extat apud Politianum, quod adſcribam. talia enim nunquam ſine voluptate & fructu conferuntur. Neritinorum autem Dux eſt Beliſarius Aquavivus vide ſupra p. 188.

In aridam populum, quæ repente ante domum Laurentii reviruit.

Quod recidiva novas diffundit vertice frondes,
Quæ Medicam ſurgit populus ante domum,
Cui quondam, Ogygio fierent cum ſacra Lyæo,
Admovit rapidas ebria turba faces,
Quid mirum? Herculeis nam cum Laurentius armis
Æmulus, Auſonias temperat arte lares,
Ipſe ſuas juveni Tirynthius explicat umbras,
Impliceat ut meritum lecta corona caput.
Sic quoniam dextro modulatur Apolline carmen,
Ante ſuas lauri circuiere comas.
Nunc igitur duplici crines lambente corona,
Se bello oſtendet, ſeque valere toga.

Digitized by Google

Jampridem male culta, novos emittere ramos,
Jampridem baccas edere deſierat.
Nunc lachrymis adjuta tuis revireſcit, & omne
Frondiferum ſpirans implet odore nemus.
Sed nec eam lachrymæ tantum juvere perennes,
Quantum manſuro carmine quod colitur.
Hoc debent, Aquivive, Duces tibi, debet & ipſe
Phœbus, nam per te laurea ſylva viret.

XLV.

IN TUMULUM COTTÆ VERONENSIS.

Sperabas tibi, docta, novum, Verona, Catullum:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum poſthac res erigat: optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quæ tamen ut vidit morientis frigida Cottæ
Ora, ſuum faſſa eſt crimen, & erubuit.

Joannis Cottæ elogium vide apud Paulum Jovium nihil hic dicerem de Cotta, cum omnia ſint nota, niſi me monuiſſet criticum Varillaſii ſupercilium. is in Hiſtoria ſua Arcana domus Medicææ, poſtquam multa magnifice de Cotta dixiſſet, tandem addit, in illius epigrammatis ſpirare vividam illam Martialis amœnitatem ac genium aculeatæ dictionis. itane vero, o Cenſor? potuiſſes abſtinere a dicendo jure in alieno foro, quanto rectius Julius Scaliger! cujus tu libros opinor ne de nomine quidem noſti.

XLVI.

IN PICENTEM MEDICUM.

Quod noctu latras, quod ſellas olfacis unus,
Da veniam, Picens, hoc canis eſt vitium.

Sed quia tu Cynicus vis dici, & Clinicus idem,
Eſſe idem poteris Merdicus, & Medicus.

XLVII.

DE FERDINANDO JUNIORE.

Si merita audieris Ferrandi, Neſtora credas:
Si numeres annos, dixeris Antilochum.

XLVIII.

DE CARD. S. PETRI AD VINCULA.

Ne valeam, Superi, bene ſi facere hic pote, quem ſors
Exilio, & vinclis vexit ad imperium.

Et

De Cardinali S. Petri ad Vincula] is fuit Julianus Rovereus, poſtea Pontifex, Julius Secundus. v. *il Capilloni* I. *de i Ragionamenti varii*. 7. p. 18. ſqq. & jam quiſquam neget vatem fuiſſe Sannazarium, & quidem veraciſſimum, modo cognitam habuerit illorum temporum hiſtoriam? in ejus imaginem feſtiviſſime luſit Joannes Pierius Valerianus,

Quo quo tam trepidus fugis, viator,
Ac ſi te Furiave, Gorgoneſve,
Aut acer Bàſiliſcus, inſequantur?
Non hic Julius, at figura Juli eſt.

Plurima & probroſiſſima in illum ſcripſit Ulricus Huttenus, ut jam alios prætercam. Ea qui legere volet, evolvat tomum tertium Deliciarum Germanorum poëtarum. Confer Epigramma quintum, quod apud Suetonium eſt Tiberii cap. 59. hunc Julium ajunt Juvenem ad ſtipem ſcalmum remo ſubigere ſolitum. V. Eraſmus adag. *a remo ad tribunal.* p. 725. ſed nihil tale apud Onuphrium reperire eſt, & fabellam puto. neque enim prateriiſſet noſter offenſo in Pontificem animo. tamen & hoc ipſum tradidit auctor Dialogi inter Julium & S. Petrum ap. Wolfium. Tom. 2. memorab p. 62. ſed hoc totum putidum eſt & nugatorium. male peccant noſtrates nimio partium ſtudio. de Pontifice Julio II. v. *il Tomaſi nella vita di Ceſare Borgia.* p. 412. ſqq. cum Eraſmo facit Junius noſter Cent. 6. Adag. 43. p. 514. & Jul. Cæſar Scaliger P. 2. Poëmat. p. 301. ſqq. ac *Lorenzo Capilloni dei Ragionamenti varii* L. 5. p. 14. 15.

Et peream, ni cuncta evertere jam volet hic, qui
  Nil meminit præter vincula, & exilium.

XLIX.

TUMULUS, IN QUO PLORATUR FILIUS UNICUS.

Cur heu lætitiam falſo dixere parentes?
  Triſtitiam qui me dicere debuerant.
Natus erat miſeræ lux unica matris, ocellus
  Unicus, hunc Lacheſis noxia ſubripuit.
I nunc, vel Nioben confer mihi, cujus habet ſors
  Hoc melius, fieri ſaxea quod potuit.

L.

IN PICTURAM.

Anna parens, cui cœleſtem ſperare nepotem
  Contigit, intactæ virginis Anna parens:
Ut tandem te te meliori in ſede locares,
  Credibile eſt artes edidiciſſe novas.
Scilicet obſcœnæ ſemper convicia turbæ,
  Et ſcelera antiqui perpetiar domini?
Vix hæc, & medicas invadis protinus artes;
  Nec mora, jam cæcis lumina reſtituis.
Accurrunt ægri, complentur compita rhedis,
  Occupat anguſtas ſedula turba vias.
Ecce in quo picta es paries excinditur, & te
  Accipit hoſpitio nata benigna pio.

Nimirum ſapis, Anna, hoc contulit ipſa ſenectus:
Haud aliter poteras hac caruiſſe domo.

LI.

DE JUNONE, ET GANYMEDE.

Juſſerat Iliacum menſis adſtare miniſtrum
Juppiter: at conjux, Quis mihi miſcet, ait?
Ille verecundis libat cryſtalla labellis:
Cui Dea, Amatori da, puer, iſta tuo.

LII.

IN CATONIS LAUDEM.

Quæ tegit extinctum cum libertate Catonem,
Inſultat tumulis, Cæſar, arena tuis.

LIII.

DE HOMERO IN LATINUM VERSO.

Quid ſeptem de vate ſacro contenditis urbes?
Ecce poteſt civem dicere Roma ſuum.
At vos aut noſtrum, ſi fas, auferte Maronem;
Aut alium vobis quærite Mœoniden.

IN

Digitized by Google

LIV.

IN TUMULUM ASSANII.

Tu, qui disjectos artus, inhumataque furtim
Aſſanii occulto membra refers tumulo,
Macte animi pietate, tamen nihil irrita buſti
Gloria tam claros afferet ad cineres:
Quandoquidem voluit potius ſic ſparſa jacere,
Quam cadere ad triſtes nobilis umbra rogos.
Nunc late exigui fines egreſſa ſepulchri,
Eoum fama verberat Oceanum.
Contempſit dulcemque animam, floremque juventæ,
Sanguine ut agnato dedecus elueret.
Cumque hauſit ſævi ſtricto latus enſe tyranni,
Laudem obitu ſtatuit quærere, non tumulum.
Quodque magis mirere, hilaris, ridenſque cruentos
Carnificis cultros cernere ſuſtinuit.
Diſſimulet patriam, taceat nomenque, genuſque:
Qui facit hoc, dicit ſe Lacedæmonium.

Videtur hoc referri debere ad Hieron. Olgiatum, de quo vidimus: ſed cum nomen diſcrepet, nihil habeo quod affirmem. res certe convenit Olgiato: illi enim vivo erepta ſunt viſcera, ipſumque cadaver diviſum in fruſta ad urbis portas ſuſpendenda. quanta vero cum animi conſtantia diriſſimam necem pertulerit, jam vidimus. hoc enim eſt illud

——— *hilaris, ridenſque cruentos*
Carnificis cultros cernere ſuſtinuit.

LV.

IN TUMULUM CAUDOLÆ.

Heu quæ te rigidi rapuit vis effera fati,
Quis matri miſeræ tot peperit lachrymas,
Flos veterum, Caudola, virum? tibi mœſta ſepulchrum
Illa dedit, triſtes Actius hos titulos,
Hos titulos, qui te nigras deſcendere ad umbras,
Obduci Stygia nec patiantur aqua.
Tempora miretur quivis ſua: talis Achilles,
Talis, cum caderet, Martius Hector erat.
I precor, i nullos non durature per annos,
Neſtoreos qui jam vivere dignus eras.

LVI.

DE JOVE, ET AMORE.

Juppiter infractos jactat dum ſæpe gigantas,
Et ſibi ſervati dat decus omne poli:
Sic eſt, inquit Amor, namque hoc mugire ſolebas
Tunc quoque, cum torva fronte juvencus eras.

LVII.

IN LEONEM X. PONT. MAX.

Sumere maternis titulos cum poſſet ab Urſis
Cæculus hic noſter, maluit eſſe Leo.

Quid

Magna eſt acerbitas in voce cæculus vid. Servium ad l. 7. Aen. v. 680. In hiſce nominum adluſionibus tam facile eſt laudare, quam vituperare *l'Arioſto* XVII. *del Furioſo* 79. ad eumdem Leonem:

Tu

Quid tibi cum magno commune eſt, Talpa, Leone?
  Non cadit in turpes nobilis ira feras.
Ipſe licet cupias animos ſimulare Leonis:
  Non lupus hoc genitor, non ſinit urſa parens.
Ergo aliud tibi prorſus habendum eſt, Cæcule, nomen:
  Nam cuncta ut poſſis, non potes eſſe Leo.

Tu gran Leone, a cui premon le terga
De le chiavi del ciel le gravi ſome,
Non laſciar, che nel ſonno ſi ſommerga
Italia, ſe la man l'hai nelle chiome.
Tu ſei paſtore, e dio t'ha quella verga
Data a portare, e ſcelto il fiero nome,
Perche tu ruggi e che le braccia ſtenda
Si, che dai lupi il gregge tuo defenda.

Merito mireris quomodo auſus fuerit Sincerus noſter tam nigro ſale defricare principem potentiſſimum, &, ut tum ferebant tempora, longe optimum. ſed hæc ſunt aliena a ſcopo noſtro, pergamus ad interpretationem. Joannem Cardinal. Me Medicem, jam Pontificem creatum, deridet quod Leonis ſibi cognomentum aſſumſiſſet, cum matrem haberet e gente Urſina. Erat autem Leonis mater Clarice Urſina, Laurentio Mediceo nupta. Leonem cur cæculum vocet, ac talpam, rationem reddit Jovius in ejus vita lib. 4. *Erat*, inquit, *ſtatura corporis admodum excelſa, toto habitu ſucceſo potius quam pingui, & quidem per ſingula membra venuſte commenſurato, teretibus ſcilicet directiſque cruribus, & manibus candore formaque longe pulcherrimis. ſed una capitis amplitudo cætera membra, enormi prope exceſſu, nec tamen ſine dignitate, ſuperavit: unde illi natura dono admirabilis ingenii captus, & memoria rerum omnium ſingularis: ſubtrahebant etiam magna ex parte oris ſuavitatem, obeſa mala, & oculi extantes, convolutique & hebetes, verum ſi ad pupillam inſpicienda propius admoveret, ſupra fidem acutiſſimi: ſupplices enim libellos, vel minutiſſimis literis & crebris ſyllabarum compendiis properanter exaratos, celerrime & diſtinctiſſime lectitabat: admota autem cryſtallo concava, oculorum aciem in venationibus & aucupiis adeo late extendere erat ſolitus, ut non modo ſpatiis & finibus, ſed ipſa etiam diſcernendi felicitate cunctos anteiret.* Hunc Leonem Chriſt. Longolius neſcio qua affectatione ridicula ſemper *Leontem* vocat in Epiſtolis.

LVIII.

HYMNUS AD D. NAZARIUM.

Nazari, heu quis me tibi ad hanc ſupremi
Littoris ripam, quis ad hos putaſſet
Tethyos fluctus, quis ad has daturum
  Tura paludes?

Poſt

Digitized by Google

Poſt tot emenſos pelago labores,
Tot pererratos populos, ſub ipſo
Fine terrarum datur ecce amicum
Cernere numen.
Ergo in extremis, pater alme, terris
Barbaræ norunt tua ſacra gentes,
Qua latus dextrum Liger æſtuoſis
Objicit undis.
Jamque & Aulercos genus acre, & ipſos
Cernis ad te Lexovios citato
Eſſedo, & picta volitare flavos
Puppe Britannos.
O mihi ſemper geniale cœli
Sydus, o famæ decus omne noſtræ,
Auctor o idem mihi gentis, & ſpirabilis auræ.
Se tibi debet proavorum origo, &
Sanguinis ſi ſunt decora ulla noſtri:
Debet & præſens genus, & futurum,
Debet & hæc lux
Sacra, quæ magnum mihi prima ſolem
Obtulit naſcenti, & inane aperti
Aëris, pulchroſque micantis æthræ
Tot ſimul ignes.
Hinc tuis per me dare grata templis
Munera, hinc natalitias coronas

Annuis

V. 13. *Jamque & AULERCOS genus acre, & ipſos*
Cernis ad te LEXOVIOS *citato*
Eſſedo, &c.

Aulerci populi varii Galliæ Celticæ. diviſi fuerunt in Aulercos Cenomanos, ubi nunc *le Maine* provincia; Aulercos Diablintes, ubi nunc regio *le Perche*; & Aulercos Eburovices, qui nunc *le Dioceſe d'Evreux*, in Normannia, ubi eorum partem rigat Sequana fluvius. Lexovii itidem ſunt populi Galliæ Celticæ: urbs eorum Epiſcopalis eſt in Normannia, *Liſieux*, ſub Archiepiſcopo Rothomagenſi.

Annuis ſuevit ſociare ſertis,
Dum fuit hæc ſors.
Nunc in ignotis vagor ecce campis,
Regis heu chari exilium ſecutus,
Dum fides, & fas, & amor, piuſque
Me rapit ardor.
I puer, buxum nemore e propinquo
Collige, & ſiquas tibi littus offert
Quercuum frondes: celebrare mœſtum
Sic juvat annum.
O ubi dulces patriæ receſſus
Abluis, Sebethe, loca illa myrto
Conſita, o, qui Pauſilypi virentes
Det mihi citros?
Qua tuum lambens maris unda fontem
Margines parvi minuit ſacelli,
Noſtrum opus, quo ſe recreet quotannis
Læta juventus.
Quæ tibi ſacris operata arenis,
Frondibus remos celereſque cymbas
Ornat, & forſan mea nunc, ut olim,
Dona requirit.
Heu pater, cur heu mihi ad inſtitutos
Non licet jam jam properare curſus,
Cur vetor templis, & adeſſe ludis
Rite dicatis.
Sit ſatis ventos toleraſſe, & imbres,
Ac minas fatorum, hominumque fraudes:
Da, pater, tecto ſalientem avito
Cernere fumum.

Digitized by Google

LIX.

DE AMORE FUGITIVO.

Quæritat huc illuc raptum ſibi Cypria natum:
Ille ſed ad noſtri pectoris ima latet.
Me miſerum, quid agam? durus puer, aſpera mater,
Et magnum in me jus altera, & alter habent.
Si celem, video, quantus Deus oſſa peruret:
Sin prodam, merito durior hoſtis erit.
Adde, quod hæc non eſt, quæ natum ad flagra repoſcat,
Sed quæ de noſtro bella cruore velit.
Ergo iſtic fugitive late, ſed parcius ure:
Haud alio poteris tutior eſſe loco.

Sumptum e Moſcho argumentum multi imitati ſunt poſtea, græci, Latini, Itali &c. Vide Menagium Antibajul. T. 2. p. 252. Moſchi Idyllion vertit Laur. Gambara. poëm. p. 72. Politianus. T. 3. p. 341.

LX.

DE CAMILLA SCALAMPA MEDIOLANENSI.

Fumantem ambuſtis olim Phaëtonta quadrigis
Excepit rapidis fluctibus Eridanus.
Ecce recens, Ticine, tibi de Sole tropæum
Erigit auratis culta Camilla comis.
Nam Deus ille tuis auſus concurrere ripis,
Majoris numen ſenſit adeſſe Deæ.
O fatum fluviorum: ergo nova fabula veſtris
Semper erunt Nymphis aut pater, aut Phaëton?

LXI.

DE VIOLANTE GRAPPINA FOEMINA PRÆCLARISS.

Unde mihi has violas affers, puer? accipe, mater;
Quando aliud calida de nive nil potui.
De nive tu calida violas? perſtrinxit ocellos
Candor, & ecce, nivem quod puto, pectus erat.
Mira refers: ſed tela ubi ſunt illa aurea? habebam
Cum legerem violas, nunc Violantis habet.

LXII.

DE MORINNA.

Sit ſpectanda comis, ſit pulchro corpore tota,
Sit Venus, & blandas ſpiret ab ore roſas,
Aoniaſque Deas, ipſam quoque Pallada vincat
Ingenio, & dulci pectore mella fluant,
Dum tamen ire mihi noctes Morinna quietas,
Et ſinat arbitrii libera jura mei.
Arſimus, & primos miſeri deflevimus ignes;
Hoc ſatis: extremo turpe in amore mori.

LXIII.

AD ANIMUM SUUM.

Arſiſti, & miſeras conſumpſit flamma medullas;
Aridaque in cineres oſſa abiere leves:
Fleviſti, roremque oculi fudere perennem,

Sebethus lachrymis crevit & ipſe tuis:
Ardendi, flendique igitur quæ tanta cupido,
O anime? exequias diſce timere tuas.
Neve iterum tua damna, iterum tua funera quæras:
Sirenum ſcopulos præteriiſſe juvet.

LXIV.

DE CASSANDRA MARCHESIA.

Deſine formoſæ dotes numerare puellæ,
Deſine jam extinctas ſollicitare faces.
Nam dum ſæpe comas, frontemque, humeroſque, manuſque
Commemoras, proprios extruis ipſe rogos.
Dumque oculis Caſſandra, animo Caſſandra recurſat,
Caſſandra heu mentis jus habet omne tuæ.
Blandus amor tacitis ſubrepſit in oſſa venenis.
Sic ſibi vel fatum quilibet eſſe poteſt.

LXV.

HYMNUS DIVO GAUDIOSO.

Gaudete cœtus virginum
Plenas habentes lampadas:
Sponſus ſacras ad nuptias
Venit repente: ſurgite
Venit ſerenus lucifer,
Nocturna pellens ſydera:
Optata lux ſolennibus
Adeſt dicata gaudiis;
Lux clara, qua fugans nigram
Mundi ſator caliginem,

Veſtri latere gloriam
Patris diu non paſſus eſt;
Qua Gaudioſi ſegmina,
Tot inreperta ſæculis,
Suis videnda civibus,
Dives retexit urnula.
O ter beate, & amplius,
Lapis puſille, qui tuo
Tanti verendum præſulis
Sinu recondis pulverem:
Præſul ſed o beatior,
Claræ decus Neapolis,
Tuæ benignus patriæ
Fer, Gaudioſe, gaudia.
Adſit fides, & veritas,
Adſit probata caſtitas:
Morbos, famem, pericula
Tuis repelle mœnibus.
Ergo tibi ſit gloria
Inſeparata Trinitas,
Verbum, Paterque, & Spiritus,
Qui condidiſtis omnia.

LXVI.

DE EODEM AD VESPERAS.

Audiat ſurgens pariter, cadenſque
Sol tuas laudes, meritoſque honores,
Urbis o noſtræ columen, tuæque
Gloria gentis.
Audiat cœlum, mare, terra, & aër,
Annuos ritus tibi dum novamus,

Dum damus flammis adolenda ſacris
  Tura per aras.
Huc ades feſta redimite fronde,
Cœlitum plauſus choreaſque linquens,
Et tuam ſedem, tua, Gaudioſe,
  Oſſa reviſe,
Oſſa, quæ longa tumuli ſub umbra
Abdita, ignaras latuere gentes,
Nocte mox pulſa redeunt apertas
  Lucis in auras.
Hic dies nobis celeber, precamur,
Lætior ſemper redeat, nec ullos
Hoſtium motus ferat, aut maligni
  Sideris æſtus.
Da tuis longam, venerande, pacem
Civibus, da perpetuos honores,
Da bonam mentem, ſuperique plenos
  Luminis hauſtus.
Juſta poſcentes animos benignus
Adjuva, injuſtos moderare ſenſus.
Sentiant per te patuiſſe caſtis
  Æthera votis.
Laus tibi cœli pater, atque princeps,
Omnium rector ſimul & creator,
Quem fides veri ſtudioſa trinum,
  Credit, & unum.

Digitized by Google

LXVII.

AD DIVUM NAZARIUM.

Dive, cui vaſti metuenda ponti
Vis, & iratæ famulantur undæ,
Quem per & ſpumas gradientem, & æſtus,
Nauta vocavit,
Ah miſer pœnas pelago daturus,
Cum niger circum ſtreperet procellis
Auſter, & turbata minax feriret
Sidera fluctus:
Te, mihi ſanctum, patriumque numen,
Te canam, gentis columen Latinæ,
Auream prolem patris Africani,
Perpetuæque
Matris heu vulnus grave, dum relictis
Tybridis ripis, Italoque cœlo,
Sponte trans Rhætos iter, & nivoſas
Arripis Alpes;
Lacte depulſus velut ille, primi
Quem rapit curſus generoſus ardor,
Pullus, & matrem fugit, & rapaceis
Tranſilit amnes.
Mox & ad Rhenum, horribileſque tendis
Treverum gentes animoſus hoſpes,
Morte feſtinans capere invidendæ
Præmia palmæ.
Hic, ubi e charæ gremio parentis,
Jam necis magnæ comitem futurum,
Excipis Celſum pater, & ſalubri

Perluis unda.
Perluis totas, mora nulla, & urbes:
Undique exhauſtis properatur agris:
Barbaros gaudent Druidæ ſacrorum
Ponere ritus.
Nazari nomen, meritique famam
Audiit, ſiquem Liger in remotis
Occulit ripis, refugove mundat
Sequana curſu.
Te neque injuſti rabies Neronis,
Impios jam jam minitantis ignes,
Non per exertos Anolinus urgens
Terruit enſes.
Jam voluptatum, gelidæque victor
Mortis, & lapſi reparator orbis
Diceris, mileſque peræque Iberis
Notus, & Indis.
Ergo ſperatum, genitor, triumphum,
Et parum factis meruiſſe cœlum eſt.
Aureum vultu jubar, & coruſcos
Fundis honores.
Salve Io magni nova lux olympi,
Cui per extentas operoſa terras
Templa tot ſurgunt, calidiſque fumant
Ignibus aræ.
Nos tibi hac grata ſcopulorum in umbra
Rite parvis ædiculam columnis
Ponimus: nos perpetuo ſacramus
Munere fontem.
Accipe æſtivam, nova ſerta, citrum, &
Virgines lauros, graciliſque myrtos,
Quoſque Mergillina tulit propinquo

Littore odores.
O mihi longos liceat per annos
Hic ſacra, & feſtos renovare ludos,
Et tuum caſtis ſine fraude votis
Poſcere numen.

LXVIII.

DE FERDINANDO HAVALO, PISCARIÆ PRINCIPE.

Admoveant iterum cœlo ſi caſtra gigantes
Hoc duce, quo Ligurum gloria fracta jacet:
Cum Marte Enceladus, cum Phœbo ſigna Typhœus
Conferet, ipſe Havalus cum Jove bella geret.

De Ferdinando Havalo Piscariæ Principe.] Hic eſt ille celeberrimus Davalus, (noſter enim metri gratia videtur Havalum appellaſſe) cujus vitam & res geſtas ſeptem libris complexus eſt Paulus Jovius. Habebat in matrimonio Victoriam Columnam, excelſi animi ac ſapientiæ matronam, & cum vetuſtis *Heroinis* comparandam, cujus vernacula carmina cum ſumma admiratione hodie quoque leguntur. ad eam ſcripta eſt ecloga illa M. Hier. Vidæ, quæ *Nice* dicitur.]

LXIX.

IN NOLAM URBEM.

Infenſum Muſis nomen, male grata petenti
Virgilio optatam Nola negavit aquam.

V. 1. *Infenſum Muſis nomen, male grata petenti*
Virgilio optatam Nola *negavit aquam.*]
Aulus Gellius lib. 7. cap. 20. *Scriptum in quodam commentario reperi verſus iſtos a Virgilio ita primum eſſe recitatos atque editos:*

Talem dives arat Capua, & vicino Veſevo
Nola jugo.

Noluit hæc eadem Joviano ruſtica vati
Hoſpitium parvæ contribuiſſe moræ.
Iccirco nimirum hoc dicta es nomine Nola,
Nolueris magnis quod placuiſſe viris.
At tibi pro ſcelere hoc cœnoſos fuſa per agros
Exhauſit populos Styx violenta tuos.
Jamque quid, o nullis abolenda infamia ſæclis,
Imprecer? & cœlum deſit, & unda tibi.

Poſtea Virgilium petiiſſe a Nolanis aquam uti duceret in propinquum rus; Nolanos beneficium petitum non feciſſe: poëtam offenſum nomen urbis eorum, quaſi ex hominum memoria, ſic ex carmine ſuo deraſiſſe, Oraque pro Nola mutaſſe: atque ita reliquiſſe:

——— & vicina Veſevo
Ora jugo.

Ea res verane an falſa ſit, non laboro, quin tamen melius ſuaviuſque ad aures ſit, quam Nola, Ora, dubium id non, eſt, &c. Verſus iſte Virgilii extat lib. 2. Georgic. ad quem ita Junius Philargyrius: *Ora: & hoc emendavit ipſe, qui Nola poſuerat. nam poſtea offenſus a Nolanis, qui eidem aquam negaverant, Ora pro Nola poſuit.* ſi quis autem legat quæ apud Gellium loco laudato ſequuntur, ſatis ſuperque videbit quam opinio hæc ſit futilis & ridicula, præſertim ſi addat Jovianum Pontanum in Actio, diligenter & perite de hoc ipſo verſu diſputantem. noſter autem poëta vulgarem opinionem amplectitur, ut tanto acrius injuriam a Nolanis Pontano ſuo factam ulciſcatur. Porro Nola urbs eſt Epiſcopalis in Campania, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. illic Auguſtus Cæſar ſupremum diem clauſit, ut e Suetonio diſcimus cap. 98. Atqui Atellæ in Campania mortuum eſſe aſſerunt Eutropius & Euſebius. Voſſius ad Vellejum Paterculum p. 124. Servius ad lib. 7. Aen. V. 740. ET QUOS MALIFERÆ DESPECTANT MOENIA BELLÆ: *Multi Nolam volunt intelligi: & dicunt Virgilium nomen ejus mutaſſe propter ſibi negatum hoſpitum: & ita aperte noluiſſe dicere ſed oſtendere per periphraſin. nam illic Punica mala naſcuntur ut nunc Bella pro Nola poſuerit.* quid dicam? certe ſi poetæ noſtri ætate ſeruius extitit eum potius, quam Gellium, ſequi debuit & res ipſa clamat. meminit hujus Sannazariani epigrammatis cum laude Jan. douza lib. 4. Salin. Epigr. II.

LXX.

IN BORGIAM.

Borgia cur ſumma nihili ſacra fecerit hora,
Cumque ſua dominos ſpreverit arce deos,
Parcite mirari, qui talia poſcitis, ac me

Credite

Digitized by Google

Credite Apollineo verius ore loqui:
Hoc, quod vos cœlum, quæ numina dicitis, ille
Eſſe apinas longo tempore crediderat.

LXXI.

IN LYGDAMUM.

Quæris, Lygdame, muſca cur voceris?
Nam muſca es, mihi crede, tam moleſta,
Quam nec ſunt culices, graveſque fuci,
Quam nec vermiculique, cimiceſque.
Unum te tamen arceat neceſſe eſt,
Turdelæ auxilium cacantis, ut te
Non muſcaria, milviique caudæ,
Non alæ accipitrum potentiorum
Avertant, abigantque ſævientem.

Digitized by Google

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* EPIGRAMMATON

LIBER TERTIUS.

I.

MARIÆ GARLONIÆ GRAPPINÆ.

Propago formoſæ arboris
  Formoſa virgo, quæ vagos
  Inter orta Cupidines,
  Veris lilia vincis,
Roſaſque molles, & croci
  Pulchre rubentis igneum
  Florem, & uvidulas comas
  Halantis hyacinthi:
Rediſti avitos ad lares,
  Felicem ocellulis tuis
  Redditura Neapolim,
  Charo adnixa marito:
Rediſti ad optatos choros
  Æqualium, & probos ſinus
  Matris, ac bene cognitum
  Fratris dulcis amorem.

Quis

Digitized by Google

Quis o, quis hunc albo mihi
  Signet diem lapillulo?
  Quis Sabæa calentibus
  Addat munera flammis?
Vocanda Muſarum cohors.
  Huc huc benigna, & abditam
  Barbiton cape, myrteis
  Frontem vincta coronis
Thalia: quid dignum tuo
  Promis favore? quid bonæ
  Voce, vel fidibus ſtudent
  Reſpondere ſorores?
Sed eſſe quid lætum, Deæ,
  Hic abſque amoribus poteſt?
  Non movet Chione ſuis,
  Non me Lyda, papillis.
Procul faceſſant hinc malæ,
  Sæcli pudor, libidines.
  Mi ſat eſt, minuat graves
  Si Garlonia curas.
Juventa, cur me tam cito
  Ludendo inepta deſeris?
  Hæc erat facies novis
  Non fraudanda libellis.

II.

AD CASSANDRAM MARCHESIAM.

Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris,
  Caſſandra, una choris addita diva tribus.

SE

III.

SE FIDEM SERVATURUM.

Si poſt fata novos animas errare per artus
  Vera docent Samii dogmata nota ſenis,
Nec pote mens eadem mutari, ſeu ferus altis
  Erret aper ſylvis, ſeu vaga cantet avis:
Ipſe ego (mens quoniam eſt uni ſervire puellæ)
  Exurgam mœſtis turtur ab exequiis.

IV.

IN ADRIANUM PONT. MAX.

Claſſe, viriſque potens, domitoque Oriente ſuperbus,
  Barbarus in Latias dux quatit arma domos:
In Vaticano noſter latet: hunc tamen alto,
  Chriſte, vides cœlo, (pro dolor) & pateris?

AD

Effectum eſt hoc Epigramma ad Ciceronis formam, Orat. pro Milone. c. 32. *Dura mihi medius fidius jam Fortuna populi Romani & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc rempublicam inſultare videret & pateretur.* quæ verba eo libentius adſcribo, ut perpendant homines elegantes, ſi recta ſit ac vera Lambini Lectio, delentis duas Voculas *videret &* quas ſane Sinceri ævo extitiſſe in membranis liquido hinc evincitur: At inquiunt Fortunæ non convenit *videre* hic erat ſcire, intelligere ſentire, ut ſæpe alias. Quam iniquo lividoque animo tulerint Itali Hadrianum vi. hominem Belgam, & obſcuro admodum loco natum, ad gubernacula Eccleſiæ ſedere, notius eſt ex hiſtorium monumentis quam ut referri debeat. v. *il Capelloni de i Ragionamenti Varii* 19. p. 47. 48. Sed & Hadrianus in eo peccabat, a quo diligenter ſibi caverat Tiberius, quod oſtenderet intempeſtivo rigore quibus vitiis eſſet impar. Hinc ille contemtus, odium illud, & veneficium denique. Hinc virulentum illud carmen Joan. Pierii Valeriani, viri alias modeſtiſſimi, ſed tamen Itali: quod, quamvis longiuſculum, adſcribam, quia non ubivis legitur.

Cum fluctuaret cymba, quæ magnos Deos,

Roma

Roma penates qua vehit,
Leone adempto: providum: vigilem, parem
Optabat infelix ducem.
Dum tota is ora quæritur Ligustica,
Totoque Tyrrheno mari,
Per Adriatici omne littus, per Padi
Ripas, Lemani per juga:
Per Celtiberos, Gaditanos, Gallici
Vaſtos per Oceani ſinus,
Quaque æſtuoſum Sarmatas lambit ſalum,
Qua circuit Britannias:
Repente nobis hunc dedit vecors furor
Regione Rheni ab ultima;
Nil tale Patribus facere ſe putantibus:
Nihil minus volentibus
Quam quem eligebant, nil minus poſcentibus
Quam quem vocabant, o mare!
O terra! votis Hadrianus omnium
Fit Pontifex; ſed omnibus,
Quis credat? invitis. Deum vis hæc,
Deum,
Deum abditum hoc arbitrium eſt.
Ut qui natantis diſpuunt regnum trabis,
Parere diſcant vipera:
Ut invicem qui ſe oderant Patres, ducem
Inviſum haberent omnibus:
Malarum ut eſſet ſævus ultor mentium,
Acri ipſe mente in ſingulos.
At dira quando Principum impotentia
Diſcet vereri quas ferunt
Leges? ut olim ſit locus aliquis probis,
Caſtis, honeſtis moribus.
Sit aliquis, o, mortalibus demum pudor,
Mens aliqua ſit, pectus aliquod,
Ut eluantur ſcelera, fœda ut ſæculi
Tollantur infecti nota:
Ne cuncta vis, fraus, & ſuperbia, & furor
Inceſſat, evertat, ruat.

Hæc ille, Hadriano tum demum Pontifice deſignato. Sed & de mortuo nihilo clementius loquitur l. 2. de Infelic. literat. p. 148. *Fuit & ſub Hadriano ſexto par bonarum omnium literarum infortunium. nam cum is Leoni Decimo ſuffectus eſſet, ad quem, utpote Literatum Principem, magnus Literatorum numerus confluxerat, dum non minora de Hadriano ſibi quiſque pollicetur, Ecce adeſt Muſarum, & eloquentiæ, totiuſque nitoris hoſtis acerrimus, qui literatis omnibus inimicitias minitaretur, quoniam, ut ipſe dictitabat, Terentiani eſſent. quos cum odiſſe, atque etiam perſequi cœpiſſet; voluntarium alii exilium, atque alias alii latebras quærentes, tam diu latuere, quoad dei beneficio, altero imperii anno deceſſit, qui ſi aliquanto diutius vixiſſet, gothica illa tempora adverſus bonas literas videbatur ſuſcitaturus* — v. Plempius de Valetudine tuenda. p. 206. 207. noſtri autem Sinceri Epigramma ſcriptum eſt cum jam Romam perveniſſet. Varia Hadriani Epitaphia leguntur apud Sweertium Delic. orb. Chriſt. p. 33. 34. duo ſunt Tranquilli Moloſſi, recta illa & vera, quæ recitat Pontanus in Sylloge Epiſt. Matthæi. p. 153. ejus Moloſſi nihil extat in Deliciis Gruteri quod miror. multo melius de Hadriano Auguratur Chriſt. Longolius. l. 3. Epiſt. 10. p. 118. & Epiſt. 11. 12. 24. 28. 29. & l. 4. Epiſt. 1. 2. 3. 13. Jovius in vita Hadriani: *Nunciabatur Solymannus Turcarum Imperator Rhodum validiſſimis tormentis, & cum incredibili militum & rerum omnium apparatu jam tertium menſem oppugnare: Præfectoſque Turcarum, qui in Illyrico fines tuerentur, Pannoniam citeriorem crebris incurſionibus vaſtare, nec Ludovicum Regem, uti ætate non integra, atque ingenii viribus parum validum, ſuſtinere hoſtes poſſe, niſi in ſtipendium Pontificia pecunia juvaretur. Quibus de cauſis neceſſe erat Pontificem rerum Italicarum penitus ignarum, & tum primum urbium ſuarum & provinciarum regulorumque nomina perdiſcentem, in omnibus conſiliis vehementiſſime conturbari, adeo ut cum his curarum fluctibus jactaretur, aliquando diceret, ſibi fuiſſe jucundius Lovanii gymnaſium cum ſtudiorum laude moderari, quam Romæ Pontificia in ſede Chriſtianam rempubli-*

publicam adminiſtrare, quando, inquit, in eam affectam omnibus malis, & reciſis nervis magnopere debilitatam, miſer inciderim. Confer. Sanſovinum *delle guerre de Turchi.* p. 178. Vides occaſionem qua nati ſunt amariſſimi verſus. *Cæterum Hadrianus,* ut idem Jovius loquitur, (*quod unum ei viri elegantes defuiſſe prædicant*) *eloquentiæ cultioris flores, & poëtarum amœnitates contemnere erat ſolitus: ſive quod putaret eas ſibi aliquid de graviſſimorum ſtudiorum authoritate detrahere, ſive quod caſtis & piis ingeniis poëtarum luſus pravos mores importare, & religionibus plurimum officere arbitraretur.* Imo ajunt eum, nullum hominum genus majore proſecutum fuiſſe odio quam poëtas, eo quod in antiquis exemplaribus Canonum a Gratiano digeſtorum legatur decretum Gelaſii in hæc verba: *Venerabilis viri Sedulii Paſchale opus, quod hæreticis deſcripſit verſibus,* &c. cum ibi *heroicis* legi debere jam pridem monuerint viri eruditi. Sed cum civem noſtrum innocentiſſimum ferre non poſſent corruptiſſimi Italorum atque Hiſpanorum mores, ipſe autem inter alia ſaluberrima decreta in animo haberet ſevera lege inquirere & punire juventutis corruptores; adeo terruerat maculoſos quoſdam tum aulæ tum civitatis, veluti deſperata ſecuritate publica, ut non defuerint, ſublato jam Hadriano, qui Joanni Antracino Pontificis medico poſtes feſta fronde per intempeſtam noctem protinus exornarent, cum titulo uncialibus literis inſcripto in hæc verba: LIBERATORI PATRIÆ S. P. Q. R. Scilicet ut eo joculari elogio non medicus, uti veneficus aut imperitus, ſed majeſtas ipſa ſanctiſſimi Pontificis, qui ſalutari cenſura, uti dignum erat Principe Chriſtiano, urbem atque aulam probroſis vitiis repurgare cogitaſſet, non obſcure carperetur. Hæc fere Jovius.

V.

AD FEDERICUM.

Litibus abſtinui ſemper, mihi teſtis Apollo eſt,
Et muſæ, & ſtudiis ocia grata meis.
Nunc me neſcio quis per triſtia jurgia verſat
Scotius, & rauci cogit ad arma fori.
Es fateor magnus pulſis, Rex inclyte, Gallis:
Pelle etiam Scotos, & mihi major eris.

AD

Digitized by Google

VI.

AD EUNUM.

Quicquid erat tripodum Cumis, Delphiſque, petiſti,
Diſcere fortunam dum cupis, Eune, tuam.
At deus, Extabis ſupra Regeſque, Duceſque,
Veridico tandem rettulit ore tibi.
Tu tamen hinc vanos ſumpſiſti, Græcule, faſtus:
Jam magni dominus, jam pater, orbis eras.
Ecce crucem aſcendis. non te deus, Eune, fefellit:
Omnia ſunt crepidis inferiora tuis.

VII.

AD PORCIAM BRANCIAM, ET ISABELLAM SOROREM.

Porcia & Iſabella, venuſtæ pignora matris,
Dicite, quis veſtras non amet illecebras?
Tu quoque dic, tali cum ſis digniſſima partu,
Quis, Leonora, tuo nolit ab igne mori?
Natarum illecebris, matris ſimul ignibus uri
Qui cupit, is mortis flagrat amore ſuæ.
Vita vale: in lucro eſt periiſſe: ſed hoc reliquum, mors,
Quod finis, eſt ipſis vix ſatis exequiis.

VIII.

IN LEONEM X. PONT. MAX.

Sacra ſub extrema, ſi forte requiritis, hora
Cur Leo non potuit ſumere: vendiderat.

AD

IX.

AD PATRIAM, ANTEQUAM IRET IN EXILIUM.

Parthenope mihi culta vale, blandiſſima Siren,
Atque horti valeant, Heſperideſque tuæ.
Mergillina vale noſtri memor, & mea flentis
Serta cape, heu domini munera avara tui.
Maternæ ſalvete umbræ, ſalvete paternæ,
Accipite & veſtris turea dona focis.
Neve nega optatos, Virgo Sebethias, amnes;
Abſentique tuas det mihi ſomnus aquas.
Det feſſo æſtivas umbras ſopor, & levis aura,
Fluminaque ipſa ſuo lene ſonent ſtrepitu.
Exilium nam ſponte ſequor: Sors ipſa favebit:
Fortibus hæc ſolita eſt ſæpe & adeſſe viris.
Et mihi ſunt comites Muſæ, ſunt numina vatum,
Et mens læta ſuis gaudet ab auſpiciis.
Blanditurque animi conſtans ſententia, quamvis
Exilii meritum ſit ſatis ipſa fides.

F I N I S.

Digitized by Google

CARMINA
DE
SANNAZARIO
ET AD
SANNAZARIUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRIUM POETARUM CARMINA AD SANNAZARIUM, ET DE SANNAZARIO.

CHARITEI.

Hos libros Juvenalis, atque Perſi
SYNCERUS Chariteïo Sodali
Miſit ACTIUS, optimus Poëta,
Ille maximus omnium Poëta,
Quos arguta Neapolis creavit:
Quem SANNAZARIUM autumat vetuſtas:
Mi dono dedit aureos libellos,
Ornatos minioque purpuraque.
Quare vos agite, o bonæ Camœnæ,
Meo nomine gratias Amico;
Virgo cui faveat Parens Tonantis:
Titoni ut ſuperet perennis ævum,
Suis perpetuo & bonis fruatur.

JOANNIS PIERII VALERIANI.

O Fauſtos hodie meos ocellos,
Queis tantum licuit videre pulchri!
Ut nunc ſubſiliuntque geſtiuntque!
Ut cordi, utque animo, intimæ ut medullæ
Spargunt illecebras petulciores!
Queis demum licuit videre amatam
Illam illam faciem optimi Poëtæ
ACTII, qui Italicum melos polivit,
ACTII, qui columen chelys Latinæ;
Qui ſummum decus Attici eſt leporis.
O fauſtos hodie meos ocellos!

BASILII ZANCHII.

Ex Elegia in Lycinnam.

ACTI, plectra movet cui lenia pulcher Apollo;
Gratia cui dulci ſemper in ore ſedet:
Te viridis Sebethus habet, te florea Tempe,
Cantantem faciles inter Hamadryadas.
Nunc molles Elegos, nunc culta Epigrammata pangis;
Nunc etiam magno digna Marone ſonas.
Nec pudet Arcadia carmen duxiſſe cicuta;
Quærere nec denſas Phyllida per ſalices:
Nec manibus tepidi tractare coagula lactis,
Nec calathos lentis texere viminibus.
Et tua litoreæ reſpondent carmina Nymphæ,
Saltat & ad numeros Naïca turba tuos,
Quidquid agis (nam te numquam ceſſare putandum eſt,
Tradere nec molli pectora deſidiæ)

Nemo

Nemo eſt, crede mihi, te fortunatior uno,
Nec cui tot dederint Numina delicias, &c.

EJUSDEM.

Has naſſas, hæc lina tibi, SYNCERE, ſepulto
Piſcator tenui dedicat arte Mycon.
Hos calamos, myrtumque tibi, viridemque coronam
Arcadia paſtor ponit ab arte Lycon,
Has lacrimas, vulſamque a vertice Mergillina
Cæſariem, & violas ſpargit, & ammineum,
Parthenope patria ipſa tibi de marmore buſtum
Condit, & extentis funera temporibus.
Quid mœror? æterni te ſuſpicit Umbra Maronis,
Et ſibi vicinum donat habere locum.

PETRI BEMBI.

Da ſacro cineri flores: hic ille Maroni
SYNCERUS Muſa proximus, ut tumulo.

ANTONII TIBALDEI.

Virginis intactæ Partum, Partumque videbis,
ACTIA quem docto pectore Muſa dedit.
Admirandi ambo: humanæ fuit ille ſaluti
Utilis, humanis hic fuit ingeniis.

M. ANTONII FLAMINII.

Quantum Virgilio debebit ſilva Maroni,
Et paſtor, donec Muſa Maronis erit:
Tantum pene tibi debent piſcator, & acta,
ACTI, divino proxime Virgilio.

PETRI GRAVINÆ.

Qui divina legis SYNCERI carmina Vatis.
Magnaque Virginei ſacra Puerperii:
Non hæc humano credas procedere ſenſu;
Auctori mentem movit, & ora DEUS.
Hunc ſibi delegit, quo non Cæleſtia quiſquam
Grandius, aut pleno cultius ore ſonet.

JOANNIS PARDI

Reſponſio ad eam epiſtolam, quæ incipit:

Parde, decus patriæ &c.

Acci, cui ſimplex peperit facundia nomen
Synceri, & vitæ candida ſimplicitas:
Si pecus exiguum nobis, ſi commodus eſſet
Qui pecus, & dominum paſcere poſſet ager;
Ipſe quoque in ſylvis non dedignarer opacis
Vivere, quas magni diique, deæque colant.
Ruris deliciis fruerer, ruriſque labores
Exciperem feſſis ſæpius agricolis.
Hic ego longa meæ cupiiſſem ſtamina vitæ
Deduci, hic atram rumpere fila diem.
Par igitur nobis ſtudium, diſparque facultas;
Hinc ſequimur vitæ munera diſparia.
Ergo prædiolis tu, qui potes, utere avitis,
Pinguius & Siculis paſce pecus gregibus,
Me quia nulla ſoli natalis cura relicta eſt,
Cura ſit externi ſydereique ſoli.

GABR.

Digitized by Google

GABR. ALTILII

Ad Actium Syncerum & M. Ant. fratres, epiſtola conſolatoria.

Unanimi fratres, rapta qui matre doletis,
Et deſiderio fletis uterque pio:
Deſinite ab lachrymis tam ſanctos lædere manes,
Vos vetat Elyſiis illa recepta choris.
Illic optatis longum complexibus hærens
Jucundo fruitur conjugis ore ſui:
Feliceſque animas inter, cœtuſque verendos,
Narrat natorum de pietate parens:
Scilicet his ut ſpem viduæ ſoluta juventæ
Deſerti tulerit frigida regna tori:
Addet & obſequia & dulces cum pondere mores
Jam tum cum patrias ferret uterque vices.
Cum ſimul & nymphas, Satyrorum & cantat amores:
Eſtque in Synceri carmine tota ſui.
Quod ſubito cantu turba excipiente deorum,
Hinc, illinc variis plauſibus arva ſonant,
Maſſiliam chorus omnis, & ætheriæ convalles,
Maſſiliam totis reddit & aura locis.
Illa autem æternos caro cum conjuge greſſus
Jungit, & Elyſium ſic terit alta nemus.
Quo jam pro lachrymis Panchæos urite odores:
Orphææque move tu fidis alter opus.
Non quibus infernas ille exoraverit umbras,
Flebilibus ſupplex auſus adire modis:
Sed quibus & divum laudes, ipſoſque canendo
Heroas cælo, ſyderibuſque locat.
Has mitti jubet inferias, hæc funera mater:
Ipſa ſibi has lachrymas, hæc ſibi buſta rogat.

Digitized by Google

HIERONYMUS CARBO

Actio Syncero.

Cum tibi cœleſti faveat de virgine natus,
Myſtica cui vatum ſacra canenda dedit:
Cumque ingens nova Muſa decus, laudemque pararit,
Innectens capiti Delphica ſerta tuo:
Famaque cum volitet circum plaudentibus alis,
Geſtiat & ſacræ limina adiſſe domus:
Quid ceſſas Syncere fores reſerare, Deamque
Excipere, & docto continuiſſe ſinu?
Illa tibi referet, quanto expectata triumpho
Carmina, & ingenii ſint monumenta tui.
Surge igitur, vivenſque piæ cape præmia curæ,
Poſt cineres ſera eſt gloria, ſerus bonos.

LATOMI.

Dum vacat, & terras quoties petit illa Tonantis
Mater, virgineo ſed nec honore carens:
Synceri ad tumulum properat viſura, vireſcant
Candida cum rutilis lilia ſparſa roſis.
Vivum dein laticem, dein altera munera flores
Fundit, & arrepta ſic canit orſa lyra:
Conſcie vive mei fœlix Syncere pudoris,
Atque idem partus conſcie vive mei.
Namque ego quo ſacrum ſecretum teſte peregi,
Hunc quoque tu teſtem carminis hujus habes.
Eſto: ventris onus fuerit ſine pondere pondus,
Dum celebres, pondus ſuſtinuiſſe velim.

EJUS-

Digitized by Google

EJUSDEM.

Major in aſſumpto ratio quo nomine conſtet,
Eſt ubi te cupiam fellis habere minus.

JO. MATTHÆI TOSCANI.

Plurima molitus præclara, per omnia ſummum,
Quod dare vel poterant ſingula, nomen habet.
Martis opus dignum teſtatur ſanguine equeſtri:
Exſilio in Regem eſt certa probata fides.
Sic illum piſcator amat, ſic acta remugit,
Ut pecoris cuſtos, ſilvaque Virgilium.
Jam ſacra quid vatum pepererunt pectora CHRISTO,
Virgineis quod ſe partubus æquiparet?
Sed nova Mænalias quod ducis ad antra Camœnas,
Et calami Tuſcos edidicere modos,
Hoc proprium, SYNCERE, *tuum eſt: hoc Itala tellus*
Ante Syracoſii carmina vatis amat.
Tu belli, tu pacis honos: tibi denique lingua,
Et renovata vetus debet, & aucta recens.

GEORGII FABRICII.

Ex Itinere Neapolitano ad Caſparem Nævium.

— — — — — *deinde cavatum*
Pauſilypi in tenebris, & iniquo lumine montem
Egreſſi, albentis templa ardua Mergillinæ
Ad mare conſpicimus, Cycno fundata ſonoro:
Cujus vox ultra Gangen audita, Tagumque,
Dulcibus implevit vaſtum concentibus orbem.
Nec poterant magnis alia oſſibus oſſa Maronis
Conjungi melius, quam quæ ſunt juncta. &c.

Digitized by Google

Nicolai Heinſii Dan. Fil.

PAUSILYPUS.

Ad Caſparem Kinſchotium.

Pauſilypi myrteta, & odoræ laurea frondis,
Laurea Caſtalio grata corona Deo,
Obvia cæruleas cui Doris porrigit ulnas,
Et liquido tremulæ murmure plaudit aquæ;
Frigore quam placido Zephyritis temperat aura;
O nunquam tacitæ garrula ſilva comæ.
Tu mihi concilia ſomnum ocius: ocius ægro
Tædia præruptæ tu mihi falle viæ.
Excipe me viridi gremio, nemus, excipe laſſum:
Sic amet umbroſam plurima Naïs humum.
Sic pia pacato Ceycis ab æquore conjux,
Mœſtaque in aëria Daulia fronde parens,
Fletibus alternam querulis tibi mulceat aurem;
Lugeat hæc natum, lugeat illa virum.
Delia perſpicuis ſic ſe miretur in undis,
Et Satyri caſta ſubmoveantur aqua.
Hæc me, Kinſchoti, Venerum pater, ora moratur;
Sæpe mihi totos hæc rapit ora dies.
Sive ſitis torquet, ſitienti grata palato
Præda fluunt manibus citrea mala meis:
Nec mitem arboribus deſunt ſtillare liquorem
Medica demta ſuis, Punica demta ſuis.
Pampinus hinc ulmum ſociis complexa racemis,
Hinc picturato germine ridet humus.
Et modo litoreo ſpeculamur in aggere fuſi

Otia

Otia tranquilli temperiemque maris.
Et modo, ſed facili, properat mihi carmen, avena,
Victuris utinam Muſa benigna modis!
Te tamen in primis, te ſuſpiramus abeſſe,
Vilius o cara non mihi luce caput.
Nulla placent ſine te mihi gaudia, nulla voluptas.
Vatis inoblito plurimus ore tui es.
Hoc equidem noſtis, reor, avia. vos mihi teſtes:
Et ſtupet ad ſanctam conſcia ſilva fidem.
Forſitan hac olim requieverit ACTIUS umbra,
ACTIUS Auſoniæ fama ſuperba lyræ.
Illum Aganippeæ raptum juga Mergillinæ,
Et vidua Siren fleſſe putatur aqua.
Tu quoque mutaſti veterem, Philomela, querelam.
Juſtior hinc lacrymis & pia cauſa tuis.
Non facit invidiam dolor hic tibi, Tereos uxor.
Quam bona nunc mater, quam bona nupta fores!
Tune eadem, æternum tun' fleſti hic ante Maronem,
Daulias, ab mœſtis ingenioſa modis?
Tun' tantum, infelix, ſperaras ferre dolorem?
Quid tibi tunc animi, quid tibi mentis erat,
Cum gemitus Phœbea pios ad buſta trahentem
Percita funeſtis ſilva ſecuta ſonis?
Audit, & admonito geminantur vulnera luctu.
Flebilius certe, quam modo, viſa queri eſt.
Perge queri, miſeranda, queri ſine fine memento
SINCERUMQUE tuum, Virgiliumque tuum.
At mihi ſit ſanctas venerari cominus urnas,
Aonium Tempe Parthenopæa nemus.
Tene Maro tumulum legit ſibi? tune Maronis
Oſſa foves placido, ſilva beata, ſinu?
Exulet, ingenium qui non habet, exulet inde
Fæce Epimethei plebs male ficta luti.

Jam

Digitized by Google

Jam minus admiror tua nomina, celſa vetuſtas.
Difficile, hic Clario non caluiſſe Deo.
Ipſe ego, Teutonici modo natus ad ultima Rheni,
Auſus in Auſonios plectra movere modos.
Dii facerent, tractu naſci licuiſſet in illo!
Patria, da veniam; ruſtica terra mihi es.
Non tibi Pauſilypus Peneida ventilat umbram:
Fragrat in infauſto laurea nulla ſolo.
Non platani genialis honor; non myrtus amatrix:
Non viridi luges qui, Cypariſſe, coma.
Neſcit odoratam ſpirare Favonius auram.
Non tibi perſpicuæ fons ſalit uber aquæ.
Non feſtinatam ter colligit area meſſem:
Non licet autumno bis dare poma tuo.
Ah nullo patriæ genio loquor! orgia duxi
Per tibi damnatos ſic quoque, Phœbe, lares.
Quæ pietas opto proſit mihi: proſit ab ungue
Jam tenero Clariam ſollicitaſſe chelyn.
Pectore vaticino ſi te non mentior; & ſi
Numinis interpres pagina noſtra tui eſt:
Huc agedum, Pæan pater, annue: debita poſco.
Non ego ſim domui gloria prima meæ.

GABRIE-

GABRIELIS ALTILII,

SANNAZARII SODALIS,

EPITHALAMIUM

In Nuptias Joannis Galeatii Sfortiæ, Ducis Mediolanenſis, & Iſabellæ Aragoniæ, Alfonſi II. Regis Neapolitani, filiæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

SELECTA
DOCTORUM VIRORUM
DE GABRIELE ALTILIO,
EJUSQUE SCRIPTIS
TESTIMONIA.

Paullus Jovius in Elogiis Virorum Literis illuſtrium.

Gabriel Altilius in Lucania natus, junioris Ferdinandi Regis præceptor, uſque adeo molliter, ac admirande in Elegis, & Heroico carmine excelluit, ſicuti ex Epithalamio Iſabellæ Aragoniæ perſpici poteſt, ut Pontani atque Actii teſtimonio, antiquis vatibus æquaretur. Is virtutis merito (1), Policaſtri (ea urbs olim Buxentum fuit) Antiſtes factus, a Muſis per quas profecerat, celeriter impudenterque diſceſſit, magno hercle ingrati animi piaculo, niſi ad ſpem non injuſtæ veniæ ob id culpa tegeretur, quod ad ſacras literas nequaquam ordinis oblitus tempeſtive confugiſſet. Mortuus eſt in ſacrata Sacerdotii Sede, ſexaginta annis

(1) A SIXTO IV. anno M CCCC LXXI. XIV. Kal. Octobr.

Digitized by Google

nis major (2), tulitque Pontani pietate, ſupremi officii nobile carmen, quod pro titulo urnæ marmoreæ incideretur.

Sannazarius Elegia XI. Libri I. v. 17.

Cui (*Pontano*) comes intactæ luſtrans ſacraria ſilvæ
ALTILIUS, docto pectore carmen hiet.

Idem Elegia II. Libri II. v. 21.

ALTILIUSQUE novos Superis laturus honores,
Pindarica feriat carmina docta lyra.
SFORCIADUM mox dicat, ARAGONIOSQUE Hymenæos,
Jure quibus cantus æquet, Homere, tuos.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo I. de Poëtis ſuorum temporum pag. 21. *Edit. Florent.*

Ex eadem (*Pontani*) Academia fuit GABRIEL ALTILIUS, cujus licet pauca legerim, in Nuptiali tamen Carmine in Iſabellam Aragoniam Regis filiam, miram habet & ſingularem quum eruditionem tum facundiam: affectatior tamen in quibusdam videtur. Pontificia hic dignitate apud Policaſtrenſes ornatus deceſſit.

(2) Anno Salutis MCCCCLXXXIV. *Ughellus in Epiſcopis Policaſtrenſibus Ital. Sac. Vol. 7.*

Julius

Digitized by Google

Julius Cæſar Scaliger Poëtices Libro VI. qui & Hypercriticus.

GABRIEL ALTILIUS Epithalamium cecinit longe optimum.

Jo. Matthæus Toſcanus Pepli Italiæ Lib. III. pag. 63.

ALTILIUM Lucania genitum eadem tempeſtate Neapolis ſuſpexit, qua Pontanum, & Sannazarium pari Poëtices ſtudio florentes. Ex ejus Poëmatis Epithalamium me legiſſe memini, & pauca quædam Epigrammata, quæ ſatis eum in Poëſi excelluiſſe declarant.

GABRIELIS ALTILII EPITHALAMIUM

In Nuptias Joannis Galeatii Sfortiæ, Ducis Mediolanenſis, & Iſabellæ Aragoniæ, Alfonſi II. Regis Neapolitani, filiæ.

PURPUREOS jam læta ſinus Tithonia conjux
Extulerat, roſeoque diem patefecerat ortu,
Cæruleum tremulo percurrens lumine pontum;
Qui cupido ſua vota Viro, deſponſaque dudum
Connubia, optatoſque toros, & gaudia ferret:
Quum dulces Patris amplexus, quum mœnia caræ
Parthenopes, notaſque excedens linqueret arces
Sforτiadæ Juveni domanda Aragonia Virgo.
Ipſe levi pater advolitans per cærula curru
Neptunus, late undiſonum ſubſtraverat æquor,
Inſidique minas pelagi: nec gratior undis
Temperies, cælove quies demiſſa ſereno
Adfuit, aut alias ſpirarunt lenius auræ.
Hic ſtudiis, varioque adſenſu lecta juventus,
Fronde nova redimita comas, myrtoque virenti,
Dum fremit, & validos certatim adnixa lacertos
Remigio

Digitized by Google

Remigio expediunt alacres, tranſtriſque locati
Exſultant, lætoque ſonant cava litora plauſu;
Dum patrio flet Nata ſinu; dum Neptis avito
In gremio, Fratrumque piis complexibus hæret,
Et longum inter ſe cara cervice morantur:
At gemitu ſimul urbs omnis ſimul ægra ſupremo
Digreſſu, deſiderio intabeſcit ituræ;
Litoreque effuſi toto atque e mœnibus altis
Proſpectant, mixtæque viris longo ordine matres,
Et lacrimis incedentem, votiſque ſequuntur;
Feliceſque vias abeunti, auraſque precantur.
Parte alia, qua perſpicuo delabitur alveo
Irriguis Sebethus aquis, & gurgite levi
Prata ſecat, liquidiſque terit ſola roſcida lymphis,
Tercentum diverſa locis ſe turba ferebant,
Virginei cœtus Nymphæ, Campana propinquis
Quas tulit ora jugis, quas dulcibus educat antris;
Centum Pauſylipi, centum de vertice Gauri,
Et totidem calidis e litoribus Bajarum:
Quæque etiam Lyrim, lentiſciferique receſſus
Linterni, Bacchæa tenent quæ rura Veſevi,
Conveniunt: nec Vulturni, Sarnive puellæ
Non adſunt, non æquoreæ Neſidos alumnæ.
Quas inter mediæ magna cingente corona
Bis ſenæ ſuperant forma præſtante Sorores,
Aurea Sebethi ſoboles, quas cærula mater
Parthenope una ſciens Muſarum, & docta canendi
Parthenope primis teneras formavit ab annis.
Imbuerat cantuque novo numeriſque modiſque.
Pars vitta, pars cæruleis implexa hyacinthis;
Illæ apio, hæ narciſſo, aliæ immortali amarantho.
Perpetuos namque hos ipſæ ſibi ludicra flores
Semper alunt, viridem ſemper de rore nitorem.

Digitized by Google

Ergo inter ſe ſe manibus per mutua junctis,
Compoſitiſque leves quatientes motibus artus
In numerum glomerantur: ibi variante reflexu
Nunc pedibus choreas, nunc carmina plaudere cantu,
Carmina quæ curvis in vallibus aſſultabant,
Incepere, omnis Hymenæo ut ripa ſonaret.
  Magnorum tædas Superum, noćteſque jugales,
Et cæli veneranda canunt connubia Muſæ:
Nos thalamos, Isabella, tuos, tua gaudia, conjux
Sfortiade, teneroſque choris cantamus amores,
Sanctaque jura tori: Muſarum nec pudet illos,
Nec te, Naïadum, Virgo: aut te carminis, Heros,
Pœniteat noſtri. dilectæ fontibus & nos
Pegaſeis: præbet Sebethus pocula nobis,
Sebethus liquidos fontes, & mollia Tempe. (phæ.
  Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Tuque novas viſure faces, age, Lucifer, almum
Pande jubar, roſeumque oriens caput exſere tandem
Exſpectate, redi, nec amantum vota moratus,
Coge tuis agedum flammis concedere noctem
Actutum, tibi ſi cupidi ſua vota Mariti
Concipiunt, tarduſque redis ſi ſemper eiſdem:
Si tacita quem mente diu optavere puellæ,
Primaque jucundæ voverunt tempora noctis,
Exortum timide nutanti corde paveſcunt. (phæ.
  Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Fortunate Gener! tibi lux, tibi pulcher Eous
Deſerit Oceanum: tibi candidus explicat ignes,
Candidaque ora refert: fauſto tibi ſidere portat
Conjugium, dulceſque toros, lætoſque Hymenæos.
Dexter enim e cælo dexter Jovis adſtitit Ales
Naſcenti, eripuitque novum ter plauſibus omen
Advolitans, dextrumque affulgens riſit Olympus.

Heſperia

Heſperia in magna multis e millibus uni
Virgineos junctura ſinus ARAGONIA Virgo
Adveniat, ſocioſque toros paret aurea Conjux.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Fortunate Gener! magnus tibi proſocer Atlas, (phæ.
Quoſque tibi a prima percenſet origine Iberus,
Adveniant Reges ſoceri Diis æqua propago:
Hos tibi per titulos atque hæc per nomina felix
Adveniet, felix eadem ſub ſtragula Conjux,
Sidonio tecum excipiat quam lectus in oſtro
Languidulos tenero ſociantem pectore ſomnos;
Maternum ſeri numerent genus unde nepotes,
Seque olim magnis jactent a Regibus ortos.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Illa tibi amplexuſque feret noctemque beatam, (phæ.
Implebitque tuos nivea cervice lacertos:
Qualem nulla tulit priſcis Heroibus ætas,
Ipſa nec Eurotæ viderunt flumina Nympham,
Taygeti aut juga virgineis luſtrata choreis;
Nec noſtri videre chori: quibus addita, qualis
Aurora exoriens ſtellis nitet alma fugatis
Purpureumve ſolet bruma cedente novum ver,
Candida ſe talem nobis ISABELLA ferebat.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Illam dia Parentum nixibus edit in auras, (phæ.
Ambroſio exceptam gremio Venus aurea fovit,
Et formam, formæque decus decori addit honorem.
Ac primas tibi, Virgo, aliis cedentibus, inquit,
Prima feres, Veneri tantum collata ſecundas. (phæ.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Admovit quoque blanda manus Saturnia Juno,
Permulcenſque artus, ſceptris haud, inquit, avitis
Sceptra minora geres; Latias Regina per urbes

Incedes, populiſque potens & divite regno.
Magna Jovis Conjux magni tibi Conjugis omen
Præcinit, hæcque ſuis oppignerat oſcula dictis:
Oſculaque in teneris ſonuerunt preſſa labellis.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Nec Pallas non læta ſuos impertit honores (phæ.
Naſcenti: primos eadem ad cunabula cantus
Concinuit, ſuaſitque leves tibi carmine ſomnos:
Atque animum tibi, Virgo, inquit, moreſque verendos
Trado Diva, mares ſenſus, & vincere ſexum
Pallas: acum doctaſque manus tibi cedet Arachne:
Cedam victa libens Dea, dixit. ibi aurea totis
Fluxerunt cunis flavæ inſtrumenta Minervæ
Et radius pectenque & inaurati calathiſci. (phæ.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Se Junone Samos, jactant ſe Pallade Athenæ:
Te Cyprus, Cytherea, colunt juga Cynthia Phœben:
At, Virgo, non una tuo de nomine tellus
Clareſcit; ſe noſtra tuis natalibus ornat
Parthenope, propriamque vocat Sebethos alumnam:
Claraque mox ipſis Inſubris terra feretur
Connubiis; flavuſque comas Ticinus, & ingens
Eridanus, pronoque ruens celer Abdua curſu
Attollent caput, & tanto ſe nomine cælo
Aequantes, celſis elati cornibus ibunt (phæ.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Maternam inviſens Delon Latonia Virgo,
Lætatur dulcique ſolo, & natalibus arvis,
Lætatur ſuperas repetens Proſerpina ſedes,
Myſtica maternæ quum ſacra reviſit Eleuſis.
Tu quoque SFORTIACOS, Virgo, acceſſura penates,
Cognatas i læta domos, genus inclyta Mater
Unde ferens, tanto talem te Diva Parenti

Proge-

Digitized by Google

Progenuit; quod deinde tuis felicibus auctum
Connubiis, duplici confirmes addita vinclo,
Ipſa viri fratriſque tui, conjuxque ſororque.
Dicite Hymen Hymenææ Hymen, ter dicite, Nymphæ.
Tales rite toros, taleſque iniere Hymenæos,
Saturno quos Rhea potens enixa marito,
Quum primos illi thalamos Thaumantias Iris
Inſtrueret, variis ſpectanda coloribus Iris,
Ambroſiæque manus ſucco perfuſa nitentes,
Adſtarentque ſuis incinctæ veſtibus Horæ:
Quum paſſim cæli per lumina læta frequentes
Cælicolæ obſtreperent, ac toto reddita Olympo
Frater io, Conjux & io, vox una ſonaret.
Dicite Hymen Hymenææ Hymen, ter dicite, Nymphæ.
O patriæ, o ſæcli decus, Heroina; jugales
Jam te ſub leges vocat & ſua jura Maritus.
At nos æquales, quibus idem ad flumina curſus
Et certamen idem florum, ſtudiumque decentes
Inſtaurare choros, noſtri jam ad munera luci
Mane revertemur; jam te ſine munera nobis
Illa quidem placitura minus. namque alta relictæ
Per nemora, ut querulis vitulæ mugitibus inſtant,
Et gemitu matrem implorant, quæ montibus altis
Erravit, viridi aut convalle oblita reſedit
Mollia prata ſecuta, novos aut forte hymenæos;
Cara, tui ſic nos memores abitura relinquis
Æternum, dulciſque animis hærebis imago:
Te noſtri recinent luſus, te noſtra ſonabunt
Carmina, te thyaſi, primæ tibi munera noſtra
Pendebunt ſuave halantes de more corollæ:
Prima tibi unguenta, & patrios fundemus odores
Umbroſam ſub loton: opaco vertice lotos
Sebethi patris ad ripas ſpectanda virebit,

Quodque oculo properante aliquis properante carina
Præteriens legat, hoc ſignabit litera carmen,
Grandior inciſum teneris quod præferat arbos
Corticibus: Cole me; Isabellæ ego regia Lotos.
Hæc ita nos: at tu Divis egreſſa ſecundis,
Ibis in amplexus cari exoptata Mariti,
Qui robuſta tuo circumdet brachia collo,
Virgineaque ſinum zona mox ſolvere pergat,
Fœcundam exercens optata prole juventam.
Inde tuos mox jam Matri miſſura Nepotes
In gremium, formoſa decor queis Matris ab ore
Miſceat ora, maremque ferant a Patre vigorem.
Dicite Hymen Hymenaæe Hymen, ter dicite, Nym-
Sed te jam placidis ſpirantes flatibus auræ (phæ.
Pacatumque vocat nautis properantibus æquor;
Increpat & ſumma rector de puppe morantem.
Ingredere optataſque vias pede ſuſcipe læto:
Oſcula Germanumque pios age deſere fletus:
Te quoque lacrimulas, Virgo, jam mittere tempus.
Abſtergent tibi ſingultus mox gaudia tantos,
Gaudia, quæ lacrimis aliter teſtere profuſis. (phæ.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Jam dextro claſſem tetigit pede: jam procul alta
Conſpicitur Virgo in puppi, lætique recepta
Clamorem tollunt nautæ, jam vincula ſolvunt,
Jam pontem, funemque legunt: cavaque æra coruſco
Igne tonant, crebriſque laceſſunt ictibus auras,
Ac validis diſploſa ſonoribus aëra complent,
Egreſſæ bona ſigna rati, & ſolventibus omen.
Talis ad Æmonium frenato piſce Maritum
Vecta Thetis, levis aut ſedit quum Cypria concha.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite, Nym-
Provehitur ſed jam pelago ratis, actaque remis (phæ.
Litora

Litora deſeruit: dubios jam lintea viſus
Paullatim, flenteſque oculos ſublata relinquunt.
Nos quoque vox, nos ipſa animi mens deſerit omnis;
Infractique labant gelido ſub pectore ſenſus.
Quod ſupereſt votis te, Virgo, & mente ſequemur.
Ergo ſeu patrio digreſſam litore, curvo
Excipiet Cajeta ſinu, ſeu te Anxuris arces
Circeoſque lacus juxta, & Tiberina legentem
Oſtia, nec fidum nautis mare, remige dextro
Flectentem facili adnitens tranſmiſerit aura
Puppis, & Herculeos inviſerit hoſpita portus:
Sive Argoa tuis ſpumeſcant æquora remis,
Qua patet effoſſis fœcundior Ilva metallis,
Et vaſtos pelagi in fluctus Populonia mater
Proſpectat, ſummoque attollitur ardua ſaxo:
Seu tua Neleæ remorentur lintea Piſæ,
Roranteſque imo tollens de gurgite vultus
Labentem niveæ præter vada cærula Lunæ
Adſpiciat procul, & Nymphis ſtipatus adoret
Macra ſuis adſtans ripis pater, ad ſua tandem
Litora delatam regnis Ligur ora maritis
Accipiat, prima & puppim veneretur herilem;
Dum ſacros Erycis portus, totoſque receſſus
Ipſa ſuis nantem excipiens Venus alma lacertis,
Invehat, optatiſque adſignet denique terris:
Nereïdes tibi, Nereïdes Tyrrhena propago
Numina Neſæe, Melitæaque, Cymodoceque,
Glauceque, Spioque, Janiraque, pulchraque Doto,
Amphinomeque, Opiſque, Pheruſaque, Dexameneque,
Atque Halye; atque Thoë, & flavo crine Amathuſa,
Maternumque Thetis nuc primum oblita dolorem,
Adſiſtant, ſternantque viam, & comitentur euntem,
Certatimque tuæ præludat turba carinæ.

Jam votis nos te, Virgo, jam mente ſequemur.
Mox ubi jam pelagi tantum, & permenſa viarum,
Contigeris cupidas dilecti Conjugis ulnas,
Grataque ſollicitos tandem nox junget amantes;
Æternos vobis Cypris Dea, Cypris amores,
Concordeſque animos, & mutua vincula nectat:
Vincula, quæ ſeræ maneant ad fata ſenectæ.
Fœcundet Latona torum, Latona perenni
Prole domum, Latona genus per ſæcla propaget.
Jupiter ingentes det opes, det Jupiter annos,
Regnaque, fortunamque domus ſine fine manentem.
Dicite Hymen, iterate Hymen Hymenæe, puellæ.
Dulcis Hymen Hymenæe Hymen, ades, o Hymenæe.

FINIS.

CARMINA
DE
ALTILIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRIUM POETARUM
CARMINA
DE GABRIELE
ALTILIO.

JACOBI SANNAZARII.

De Natali ALTILII Vatis.

Muſarum lux alma, meus cui tura quotannis,
Cui rite ALTILIUS fundit in igne merum:
Accipe ſervatos hiberno frigore flores;
Quæque madent Siculis annua liba favis.
Quandoquidem magnum Latio, rarumque dediſti
Pignus, & Aoniis non leve nomen aquis.
At tu, ſic triſtes numquam experiare tenebras;
Sic Phœbi nitido ſemper honore mices:
Fauſta, precor, longos tamen exſpectata per annos,
ALTILIOQUE tuo concolor uſque redi.

JOAN-

Comtis ALTILIUS placet puellis,
Incomtæ ALTILIO placent puellæ.
Iratam quia fecerit Dionem.
Cano candidior puella cycno,
Quam totis amor inſidens medullis
Fulgentis pueri uſſerat calore.
Oblatum ſibi dum ſuaviari,
Dum levi cupit hinc, & inde collo,
Utraque & ſimul implicare palma,
Hic trux ALTILIUS reflectit ora,
Et dextra cupidas manus repellit,
Ac verbis ferus, improbus minatur.
Tunc illa in miſeros abit dolores,
Et largus abit imber ex ocellis,
Torpent pectora, menſque, corculumque,
Semi & mortua lectulo recumbit,
Ultricem in puerum imprecata Divam.
Incomtæ ALTILIO hinc placent puellæ.

EJUSDEM

TUMULUS

GABRIELIS ALTILII, Epiſcopi Policaſtrenſis, ac Poëtæ doctiſſimi.

ET TIBI dant tumulos Muſæ, meritumque ſepulcrum,
Et tibi dat titulos quæ tibi culta Charis.
ALTILI o venerande, jaces hic! hac jacet urna
Pontificale decus? Pontificalis honos?

Ergo

Digitized by Google

Ergo agite, o Nymphæ Sebethides, ergo age, virgo
Parthenope, ad tumulum ſpargite veris opes:
Sparge tuos flores, florum fœcunda Patulci:
Et tu ſparge tuas, Antiniana, roſas.
ALTILIO requiem dic, o Chari, dic age, Clio:
Luceat ALTILIO lux ſine fine meo.
Quiſquis adeſt, pia verba ſonet, madeatque ſepulcrum
De lacrimis: madeat, Pieri, rore tuo.

BASILII ZANCHII.

MINCIADE in ripa veteris prope mœnia Mantus
Errat & in Tuſco concinit Umbra lacu:
Dum canit, argutos cantus imitatur oloris,
Dulcius extremum dum canit ante diem.
Scilicet ALTILII poſt funera dulcis imago
Nunc repetit patriæ limina cara ſuæ:
Nunc tumulum inviſit magni prope buſta Maronis
Sebethus placidis qua fluit amnis aquis.
Talis Perſephone, talis Ledæa propago,
Alternis ſuperas itque reditque vias.

HIERONYMI AMALTHEI.

Protulit ALTILIUM, quæ protulit ora Maronem:
Protulit una duos, abſtulit una duos.
Felicem eventum ſortita eſt utraque tellus
Altera per cunas, altera per tumulos.

JOANNIS MATTHÆI TOSCANI.

Carminis arguti, dulces qui ſpiret amores,
ALTILIO palmam detulit ipſa Venus.

Digitized by Google

Sic decuit vatem, quem culta Neapolis inter
Perpetui voluit vivere veris opes.
Unde ſuas lecto diſtinxit flore Camœnas,
Struxit & Aoniis condita mella favis:
Enthea quos Phœbi libabit turba liquores,
Citria dum gignet Parthenopea roſas.

Digitized by Google

DANIELIS CERETI

SALIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

DANIELIS CERETI

SALIX.

Forte ſub intonſæ conſederat Ilicis umbra
Flava Salix, caſtæ comitum pars fida Dianæ:
Implebatque ſinus Zephyris, nexuque ſoluto
Errabant nitidi per eburnea colla capilli,
Qua pater aurifera redimitus tempora Citro
Verberat ingenti Benacus littora planctu.
Dum ſedet, oblitam dominæ, Faunique procacis,
Florilegæ tenuiſtis apes, volucreſque canoræ,
Et quæ proceras mulcebant flamina quercus
Propter aquæ rivum, ſomno jamque illa gravatum
In pharetram, & laxos caput acclinaverat arcus:
Ante pedes lapſum fronti crinale jacebat,
Et jaculum Triviæ magnum, ac memorabile munus.
Viderat hanc (ut erat dulci reſoluta ſopore)
Forte ſenex Glaucus, latratas æquore cautes
Dum colit, & captos adducit arundine piſces
Stans celſo in ſcopulo: viſa ſtupet ille, ſiletque
Improbus, atque atrum flagranti corde venenum
Concipit, & cæcum totis bibit oſſibus ignem.
Jamque ſuas artes, nodoſaque lina peroſus,
Cœruleas damnabat opes, centumque ſorores
Poſt Salicem poſuiſſe ferunt. Ergo ille trementi
Luctantique ferox, & inania bella moventi

Vim tulit, at cæſis virgo Saloina lacertis
Laſſavit plangore nemus, latoſque per agros
Haud intermiſſas fudit miſeranda querelas.
Non illi volucres urgere in retia cervos
Cura, nec in laxos leporem deducere caſſes
Amplius aut timidas calamo transfigere damas.
Nec rapidis vacuos canibus circundare ſaltus,
Sed latet, & ſcabro laqueata cubilia tofo
Incolit, & longo domus eſt ſpelunca receſſu,
Qua nitidos colles, ſubjectaque collibus arva
Spectat oliviferos quaſſans Taureta capillos.
Sæpe illam Dryades fruſtra lenire jacentem
Tentavere, quid hos, dixerunt, cara dolores
Perpeteris Nymphe? quæ cauſa indigna decoram
Turbavit faciem? quid fles mœſtiſſima virgo?
Virginis ad nomen ſuſpiria traxit ab imo
Corde Salix, ſilet illa tamen, nec prodere cæcas
Suſtinet inſidias, timidi ſed pondera ventris
Celat, & interdum læſi dat ſigna pudoris.
Dumque oculos vix tollit humo, nunc pingitur oſtro
Puniceas incenſa genas, nunc flebilis hæret
Pallidior buxo, qualis Tithonia conjux
Quum rubet, & ſubita tegitur caligine mœrens
Memnonis admonitu. Jam ſol altiſſimus axe
Fecerat exiguas ſpatiis æqualibus umbras,
Ecce tumens ſpoliis, atque oblita cæde ferarum
Antra ſubit, lucis Hecate laſſata ſub altis,
Antra, hedera, & raris labruſcæ ſparſa racemis.
Intus aquæ, viridique obſeſſa ſedilia muſco:
Ante fores Thymbræ ſurgunt, flenteſque Hyacinthi,
Et cum flammeolis lethæa papavera Caltis,
Innumeræque herbæ grato quas murmure labens
Rivus, & attritos verſans alit unda lapillos,

Non

Digitized by Google

Non latices illic, nitidi non uda profundi
Lanigeræ turbaſtis oves, ſaltuve protervo
Indomiti ripis inſultavere juvenci;
Non fera, non imis ſerpens educta cavernis,
Nec, cum ſe paſtæ referunt e monte capellæ,
Sæpe tamen Dryades feſſos venatibus artus
Fonte lavant, humeroque tenus contingere gaudent.
Quo ſimul intravit, trepidantem, ac multa timentem
Tergaque jam dantem vidit Titania Nympham,
Vidit, & exarſit, pharetramque arcuſque retentos
Corripuiſſe ferunt. At virgo concita curſu
Tranſvolat arva fuga, rapido velocior Euro,
Donec arenoſum vitrei Mellonis ad amnem
Pervenit; hic junci ſteriles, & candida circum
Populus & pigram velabat canna paludem,
Et cum caricibus limo quod crevit acutis
Molle ſiler, calamique leves, ulvæque virentes.
Subſtitit hic lacrymans, ſparſoſque a fronte capillos
Rejicit in tergum, pleno ſingultibus ore
Pallidulo, tales effundens pectore voces:
O qui me fluctus, quæ me nunc ima dehiſcens
Abſcondat tellus, penituſque in viſcera mergat?
Cœlicolæ ſi qua eſt pietas, ſi conſcia veri
Numina deceptas ſpectant ſine fraude puellas,
Eripite hanc animam miſeræ, & ſuprema roganti
Munera ferte: atque o finiſſem morte dolores,
Cum mea virginitas erat illibata, libenter
Nam potui tunc caſta mori: ſuperos tamen omnes
Infelix teſtor, contra mea vota pudorem
In ventos abiiſſe leves, ſi mentior, in me
Vertat inexhauſtas agilis Dictynna pharetras.
Audiit hæc Phœbe, celereſque morata ſagittas
Languit ad gemitus, ſparſiſque in terga venenis,

Arbor eris, dixit, ſed quæ nec poma, nec ullas
Divitias domino, præter fera vincla miniſtres:
Nec tu militibus, nec tu clamata Theatris
Serta feres, cultis circum ſua tempora nymphis
Frons tua pendebit, nec te dignabitur inter
Alticomas quercus, aut aërias cupreſſos,
Sede nemus nigra, vel nubilus abiete lucus:
Sed procul extremis ignota jacebis in arvis,
Perque lacus patulos, obliquaque flumina paſſim
Fœda tibi querulæ facient convitia ranæ.
Ver quoque cum ſilvis ſuccos infuderit altis,
Quam bene tunc ſalicis dempta cute membra rigebunt.
Tunc nova direpto de cortice fiſtula fiet,
Fiſtula non doctis germani inflanda labellis.
Nec feſtis animanda choris, cum tibia nuptam,
Legitimaſque faces, ſacroſque Hymenæon ad ignes
Læta canit, balbo ſed quam puer ore fatiget.
Nec ſat erit laniaſſe cutem, ferus ora laceſſet
Ruſticus, & tortam per mille volumina reddet.
Sic tua dum ſimæ carpent virgulta capellæ
Tytirus, innitens baculo ſilveſtris olivæ,
Multifora vetitas narrabit arundine flammas:
Flaventeſque comas tibi quæ nocuere placendo
Ruſticus incurva deponet falce quotannis,
Contemnetque tuos imo de gurgite vultus
Semifer ad molles juvenilior ille rapinas
Semper, & injuſti fex vulgatiſſima regni.
Urgebitque tuam dum ventilat hordea vannum
Theſtylis, & genibus feriet cava texta recuſſis.
Mox ſimul obliquam terris inverterit urnam
Tros puer, atque vias pluviis fœdaverit Auſter,
Te vulgus calcabit inops, te fœmina virque
Induet, & ſoleis plangetur terra ſalignis.

Digitized by Google

Atque aliquis pictos nodoſo in robore qualos
Fronde tua texens, aut candidulos calathiſcos
Raſilibus virgis, o quantum flexilis iſta
Nympha fuit, dicet, quantum florentibus annis
Iſta ſalax viſa eſt: tum te culpabit, & inter
Fabula fœmineas diceris longa catervas.
Deſierat Jove nata loqui, cum territa virgo
Ter conata ſolo teneras divellere plantas
Mollia ter niveis percuſſit pectora palmis,
Dumque pedes ſubita queritur radice teneri,
Pes ubi ſit, quærit, digitique, ungueſque cutiſque.
Jam teretes ſuræ, jam candida crura, ſinuſque
Rugoſo ſenſim cœperunt cortice claudi:
Brachiaque, ad cælum quæ forte tetenderat, altos
Induit in ramos: reſtabant ora, comæque:
Quid facis exclamat, Latonia; parce, nec uno
Funere perde duos, uteri miſerere, nec ultra
Iram tende tuam, ſic, me periiſſe juvabit.
Parce precor, clamabat adhuc, clamantia cortex
Occupat ora recens, & vox ſub ſtipite cæcum
Ultima murmur erat, latebroſo quale ſub alveo,
Pumicibuſve cavis Sicula exauditur in Hybla,
Horrida cum vario ſaturatas flore catervas
Clauſit hyems tectis. crocei jam vertice crines
In longas abeunt frondes, quæ nunc quoque (mirum)
Corpora mutatæ velant pudibunda puellæ.
Sed poſtquam teneras abſumſit cura medullas
Cura vigil, queruluſque dolor, ſævique labores,
Arentis nodi traxerunt oſſa figuram:
Proque nova mollis crevit lanugine muſcus.
Pallor ineſt foliis, ſcires timuiſſe, vicemque
Sanguinis in lenta gelidus gerit arbore ſuccus.
Hinc juga montivagæ nimium dilecta Dianæ,

Odit; & inviſos Phœbi ne perferat ignes,
Gaudet aquis umbriſque & opacæ frigore vallis:
Neve parum cautis deſint exempla Napæis.
Indicium luctus foliis novus hæſit amaror.
At puerum Nymphæ, (poſtquam Lucina dolenti
Affuit) obſcuris enutrivere ſub antris:
Signa tamen partus, veteriſque infamia facti
Durat adhuc, uteroque manet deſpecta capaci,
Quæ fuerat cunctis olim prælata puellis.

TRIUM

TRIUM FRATRUM AMALTHEORUM, HIERONYMI, JO. BAPTISTÆ, CORNELII CARMINA.

Digitized by Google

Digitized by Google

JO. GEORGIUS GRÆVIUS
LECTORI S. P.

Verſificatorum uberrimus ſemper fuit proventus ubique gentium, in quibus litterarum ſtudia viguerunt: poëtarum vero mira paucitas, ſed dignitas maxima. Neminem, quamvis pedibus ligare ſciret verba, verſumque pangere, manſuram hujus nominis famam exiſtimabant implere poſſe, niſi

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum.

ut vere ſentit Horatius, & ipſe poëta magnus, & qui de arte poëtica ſcienter ſcripſit. Nam, quod idem in illa docuit arte, nulli licet eſſe mediocri poëtæ. Talem ait nec Deos, nec homines, nec ipſas locorum, in quibus recitabant carmina, columnas ferre, ſed quaſi explodere, poëtæque nomine perſonaque exuere. Quanto autem in pretio poëtæ fuerint apud omnes liberalis & elegantioris ingenii homines vel ſolus Homerus ſit exemplo. Nunquam ab omni hominum memoria ulli, non dicam Philoſopho, Medico, Oratori, ſed ulli Duci, Regi, aut Imperatori tantus fuit habitus honor, quam Homero. Reges quidem nonnullos aut ſtatim poſt obitum conſecrarunt cum cives, tum ſocii & fœ-

derati

Digitized by Google

derati populi, aut vivis videntibuſque templa poſuerunt, & ſtatuas, ſive grati animi monumenta, quod pro meritorum magnitudine hæc eis exiſtimarent deberi, ſive fœdæ adulationis argumenta, quod eorum captarent benevolentiam & gratiam. Homero ſoli inter mortales ingenii divinitas tantam apud omnes omnium temporum homines politos admirationem peperit, ut non modo ejus ſcripta tanquam oracula quædam divinitus data ſuſpicerentur, ediſcerentur, a legiſlatoribus ad decidendas graviſſimas controverſias adhiberentur, a maximis cujuſcunque ſectæ Philoſophis illuſtrarentur, ſed ut ei ante multa ſecula mortuo templa dedicarentur, aræ, flamines, ſacerdotes conſtituerentur, & tanquam Numen quoddam non ab uno Rege, ſed paſſim a Regibus maximis, & gentibus non babaris coleretur; quod nemo, niſi qui hoſpes eſt in rerum humanarum memoriis ignorat. Socrates apud Platonem cum diſputaſſet de morte, nihilque in illa mali eſſe docuiſſet, ſive diſſolutio corporis eſſet, ſive ex hoc in alium locum, in quo mortuorum animæ ſint, migratio, rem valde optandam mortem eſſe colligit, quoniam aut nullius rei ſenſus ſit mortuis, aut ſi hinc proficiſcantur ad manes animæ, magni ſit ducendum, agere & verſari, cum Orpheo, Muſæo, Homero,

Heſio-

Digitized by Google

Heſiodo, tanquam hos haberet eximios in humano genere, ſummaque in fructu conſuetudinis iſtorum hominum felicitas eſſet poſita, præterito Lycurgo, Solone, Pythagora, Empedocle: quorum, ſi poëtis præferendos cenſuiſſet, fortunas potius laudaſſet apud inferos. Ceteros quoque vates apud Græcos & Romanos primi mortalium, hoc eſt ſapientiſſimi ſemper plurimi fecerunt, quam diu ulli liberali arti ſuus conſtabat honos. Poſtquam vero barbararum & immanium gentium colluvies magnam vaſtitatem ut reipublicæ ſic & omni liberali doctrinæ importarat, in tanta rerum bonarum omnium amiſſione, tantiſque orbis terrarum tenebris & ruinis, diu Muſæ conticuere. Simul nova doctrinarum ſtudiis lux affulſit ante hæc duo quaſi ſecula in Italia, ſimul etiam refloreſcere cœpit Poëtices ſtudium, & tanto quidem proceſſu, apud varios Europæ populos, ſed præcipue apud Italos, ut nonnulli ad beatæ illius ætatis Juliæ, quæ ingeniorum ſummorum ferax fuit, decus & gloriam prope acceſſerint. In quibus principem fere locum tenet *Hieronymus Amaltheus*, & ei ut & ætate ſic ingenio proximus in multis *Joannes Baptiſta*, nec non minimus *Cornelius*, fratribus majoribus natu proximus, ſed longo intervallo. Equidem optimis quibuſque, qui hoc genus ſtudii a renatis litteris mag-

na cum laude coluerunt, ſi non anteferendus, comparandus certe Hieronymus eſt. Horum trium fratrum poëmata primo collegit & junctim Venetiis edidit anno hujus ſeculi viceſimo ſeptimo, qui eis neceſſitudine conjunctus erat, Hieronymus Aleander, Vir clariſſimus & doctiſſimus, cum pauca quædam antea in deliciis poëtarum Italorum publicaſſet Joannes Mattheus Toſcanus, & qui ejus preſſit veſtigia Janus Gruterus. Cum autem in pauciſſimorum hominum manibus verſarentur, (nam editio Veneta, quæ unica eſt, ne a doctiſſimis quidem viris & iſtarum Muſicarum lautitiarum cupidiſſimis, ſi a perpaucis diſceſſerimus, hic terrarum eſt viſa) digna vero ſint, quæ legantur a pluribus, tanta in illis eſt venuſtas, lepor, cultus, tantus denique Latini ſermonis ſplendor, Henricus Wetſtenius, vir optimus, & optime de litterarum ſtudiis meritus, ſuis ea typis deſcribi denuo voluit, ſecutus auctoritatem virorum quorundam. Nullus dubito quin omnes φιλόμουσοι hoc illius conſilium magno cum applauſu ſint excepturi, & fauſtis ominibus proſecuturi. Vale.

TESTI-

Digitized by Google

TESTIMONIA
DE
AMALTHEIS.

M. ANT. MURETUS
in Epiſt. ad Dionyſium Lambinum.

Hic ille Hieronymus Amaltheus eſt, quem tibi affirmavi, magiſque & magis affirmo, omnium, qui hodie vivant Italorum, quos ego quidem noverim, præſtantiſſimum eſſe poëtam, eundemque Medicum ὐ τῶν τοχόντων, *imo, ut ille ait,* πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων.

Q. MARIUS CORRADUS
de lingua Latina Lib. XII.

Luſerunt alia doctiſſimi viri, Pontanus, Caſtillio, Varchius, Cotta, Naugerius, Fracaſtorius, Amaltheus, Gambara, Faſcitellus, quorum ſcriptis non minus quam Virgilii, Horatii, aliorumque veterum poſteritas omnis adjuvabitur.

JAC. AUG. THUANUS
Hiſtoriarum Libro LIX.

Abſtulit & hic annus (CIↃ IↃ LXXXIII) *nobile par fratrum Hieronymum & Jo. Baptiſtam Amaltheos Opitergii in Tarviſino natos, quorum ille Philoſophus ac Medicus præſtantiſſimus, ea morum ſuavitate fuit, ut vel ſolo adſpectu omnium in ſe benevolentiam allice-*

Digitized by Google

alliceret. in verſibus pangendis præterea ita excelluit, ut M. Antonius Muretus, acerrimus harum rerum judex, ei inter Italos palmam detulerit. Obiit in patria XIII. *Kal.* VIIIbr. *annos natus* LXVII. *ad S. Martini ſepultus. Hic pariter Græce Latineque eruditiſſimus, in aula Romana toto vitæ curriculo verſatus, ac tribus ordine Pontificibus cariſſimus, Cardinalibus Tridentinæ Synodi interpretibus a ſecretis fuit, ac multa vernacula lingua luſit, & fratre junior, vix* XLVII. *annum attigerat. Ad meliorem vitam Romæ migravit* XIV. *Kal. Mart. ad S. Salvatoris in lauro ab Attilio fratris F. conditus.*

HIERONYMUS ALEANDER in Dedicatione, qua horum trium fratrum Poëmata tribus fratribus Barberinis, Franciſco S. E. Cardinali, Thadæo Arcis S. Angeli Præfecto, Antonio, Bononiæ Priori offert.

Amaltheorum fratrum tam mira fuit in ſcribendis carminibus felicitas, tam nitidus candor, tam jucunda ſuavitas, ut non ſemel viros doctiſſimos, cum ea legerent, dulcedine quadam delinitos pronunciaſſe audiverim, aut non alium fuiſſe Muſarum cantum, aut Muſas ipſae in Amaltheos Pythagoræo veluti commento eſſe transfuſas. Perinde quaſi tres illi fratres veterem de tribus Muſis famam præſenti fide aſtruerent, quarum auxit poſtea numerum, & ter ternas fecit non tam æthereum cœlum, quam cœlum ſculptorium, diis ethnicæ ſuperſtitioni progignendis nimis fœcundum, tametſi Cornelius, ſi verum fateri volumus, duobus quidem germanis conſanguinitate proximus, at vero in præſtantia poëtica non niſi longo intervallo proximus apparet. Eorum

carmi-

carminum pars magna deperiit deploranda ſane jactura, quæ reliqua erant, ut eorum, qui Poëſin amant, ſatis cupiditati facerem, diſperſa colligere, & quaſi in unum corpus compingere libuit.

JAN. NICIUS ERYTHRÆUS
Pinacotheca altera de Attilio Amaltheo.

Huic ſi non divinarum humanarumque rerum ſcientia, ſi non vita laudabiliter acta, ſi non mores ex vetere illa atque ſanctiſſima diſciplina, ſi directum illud ad virtutem iter, quod ſemper tenuit, non propriam ac peculiarem laudem, non æternam nominis famam confeciſſent, magno honori ac decori dandum exiſtimem, quod ab Amaltheorum familia genus & originem duxerit. Nam patrem habuit Hieronymum Amaltheum, Jo. Baptiſtæ fratrem, quos ex iis, qui noſtra, ac paulo ſuperiore ætate ad ſcribendos verſus ſe contulerunt, quibus & ſententiarum gravitate, verborumque ſplendore, ſuavitate, elegantiaque cedere debeant, plane non video.

IDEM in priore Pinacotheca in Hieronymo Aleandro

Forum Julii, optimorum ſemper ingeniorum, ad omnis eruditonis, ac præſertim ad Poëticæ facultatis laudem eſſloreſcentium, feraciſſimum extitit, atque, ut innumeros taceam, quos, ex ſuperiorum ſeculorum memoria edidit, & inprimis, ut Hieronymum, Jo. Baptiſtam, & Cornelium fratres Amaltheos prætercam, quorum carmina ſuavitate, cultu, ac nitore veterum poëtarum gloriæ proxima, in laudem & admirationem

Digitized by Google

ſui ævi ſuſpiciuntur, noviſſimo demum fœtu ager ille fertiliſſimus, Hieronymum Aleandrum juniorem extulit, Hieronymi Aleandri Cardinalis Brundoſini, omnis doctrinæ laude cumulatiſſimi pronepotem, & Amaltheis, quos diximus, materna arctiſſima cognatione implicitum; fuit enim maternus illi avus Hieronymus.

BASILII ZANCHII

In Hieronymum & Joannem Baptiſtam Amaltheos.

Egregii fratres, queis Julia terra ſuperbit,
Meſulis irriguis quam lavit uber aquis:
Vos nutrix dilecta Jovis Libethrida ad undam
Pavit, & expreſſis nutriit uberibus:
Et nomen cum lacte dedit, mox docta Thalia
Inſpirat doctis munera pectoribus:
Et lauru, myrtoque ſimul, gravibuſque corymbis
Ornat, & arguta pulcher Apollo lyra.
Vos vatum ſtudioſa cohors, vos inclyta virtus
Attollet, priſcis æmula temporibus.

Digitized by Google

HIERONYMI
AMALTHEI
CARMINA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PIO IV. PONT. MAX.

VELLUS AUREUM.

Lucidus ille Aries, fulvo cui tergus amictu,
Cui geminum cornu cœlo ſcintillat ab alto,
Hactenus intonſo tulit aurea vellera dorſo,
Nec ſpoliis unquam ſplendentibus exuit armos.
At, poſtquam ſonuere Pium Capitolia, poſtquam
Voce Pium ingenti montis reſpondit imago,
Quo Latium exultet, quo Rege ſuperbiat Orbis,
Divinæ quæ penſa trahunt fatalia Parcæ,
Cœlituum monitus & grandia juſſa ſequutæ,
Fulgentes ſecuere jubas, ſecuere beatum
Vellus, & aurato viduarunt tegmine dorſum.
Nec mora. nobilibus penſis, ac divite lana
Centum involventes operoſis orbibus orbes
Fatalem cinxere colum; digitiſque micantem
Dum redigunt in fila globum, nent longius ævum,
Nent fortunatos invicti Principis annos,
Et ſeram numeroſa trahunt per luſtra ſenectam.
Dumque agilem celeri torquent vertigine fuſum,
Stamina purpureis ſcintillant morſa labellis,
Tortaque lucentes jaculantur penſa favillas,
At Lacheſis, cui ſcire datum eſt arcana Deorum,
Teſtatur, pretioſa Pio ſub Rege reverti
Sæcula, qui Latium belli formidine ſolvat,
Et ferrum effrænos & cladem vertat in Indos.
Salve ingens pietate Heros, Dîis æmule ſalve,
Limina qui nitidi reſeras argentea cœli,
Et caligantis fauces occludis Averni.

Digitized by Google

Te duce cana Fides Solymas vexilla per oras
Trans Gangem attollet, trans divitis arva Canopi.
Jam video oblitis trepidum dare terga pharetris
Regnatorem Aſiæ, & Scythicis ſeſe abdere ſilvis.
Non illum fugientem hiemes, non invia montis
Fragmina, non rupti pontes, non flumina ſiſtunt:
Sed pernicis equi ſtimulans calcaribus armos,
Fertur in occultas per inhoſpita luſtra latebras,
Dum Syrios Italo compleri milite campos,
Dum trabibus cingi circumſpicit Helleſpontum,
Sentit & irato te fulmine pone ſequentem.
O ſeptem gaudete arces, gaudete Latinæ
Najades, Hetruſci colitis quæ Tybridis amnem:
Urbibus Eois, totoque Oriente ſubacto
Victrices Romanæ acies ad veſtra redibunt
Littora, & antiqui Latio reddentur honores.
O quæ, magne Heros, o quæ felicia ſurgent
Tempora, cum gemino creti ſub cardine Reges,
Et quâ Sol rutilum ponto caput exerit, & quâ
Serus in optatæ gremio ſe Tethyos abdit,
Ad Tyberim unanimes, ad caſta altaria current,
Ut ſacrum accipiant ſupremo in vertice rorem,
Et ſubmiſſa tuis affigant oſcula plantis.
Tunc, mihi fatalem ſi nondum è vertice crinem
Perſephone abſtulerit, fidibus mea Muſa canoris
Dulcibus implebit reſonas concentibus auras;
Dum canet, ut profugam revocaris ad ocia Pacem,
Ut fœcunda Ceres te Principe onuſta recludat
Horrea, ut immenſas concedat prodiga meſſes,
Et vacuas Liber ſitientibus impleat urnas.
Ipſa etiam irriguos mecum ſpaciata per hortos
Pæonias gremio Naïs tibi colliget herbas,
Quas formoſa Salus medicos cuſtodit in uſus.

At

At tu fragrantes ne deſpice Pæonis herbas,
Textilibus calathis quas porriget obvia Naïs:
Quandoquidem hæc illa eſt Diis non incognita Virgo,
Quæ ſonitus Curetum inter per devia Cretæ
Regem aluit Superum felicis lacte capellæ,
Cum tener in cunis ſacra vagiret in Ida;
Et nunc illa eadem te pectine cantat eburno.
Sed quid ego, o nentes vitalia penſa Puellæ,
Aſpicio his oculis? decreſcunt ſtamina, dum vos
Aſſiduo nimium veſtitis pollice fuſum.
Nete Deæ optati paulatim Principis annos,
Ac lenta tenuate manu tam nobile vellus,
Et trahite ad ſeros hæc aurea penſa nepotes.

PAULO IV. PONT. MAX.

GIGANTOMACHIA HAERETICA.

Ergo iterum ex Erebi proles infanda tenebris
Rege ſub Encelado, ſuperos quæ Marte laceſſat,
Exiit in lucem, & Ditis retinacula rupit?
Ecce minas inferre audet gens impia cœlo,
Gens ſcelerum inventrix, & quæ decreta Deorum,
Et leges, quas alma Fides, quas cana Vetuſtas
Inſtituit, rabido latratu abolere laborat!
Qua genita illuvie, retro veſtigia torſit
Relligio, & poſito viſa eſt vileſcere cultu.
Hinc abigi è caſtis cæpere altaribus hymni,
Hinc inconceſſi violarunt jura Hymenæi,
Hinc projecta focis ſimulacra arſere Deorum,
Nec vetitæ timuere dapes ſe credere menſis.
Sed tot inauditas ſcelerum percurrere formas
Cui datur, ille idem Stygius quot navita manes

Tranſvehat, ille Ætnæ potis eſt numerare favillas.
  Magne Heros, orte antiquo de ſanguine regum,
Parthenope quem clarum atavis cum læta tuliſſet,
Nunquam alio tantum ſeſe jactavit alumno:
Æmule Dîis Heros, quo fortunata ſuperbit
Roma Duce, & ſeptem contingunt ſidera colles;
Si tua mortales ſubeunt præcordia curæ,
Ne patere, Auſonias labem hanc ſævire per urbes,
Sed diram compeſce luem, & contagia ſiſte.
Hic labor, hæc in te moles oneroſa recumbit.
Tu quodcunque jubes, animo quod concipis, & quas
Conſtituis leges fati inviolabilis inſtar,
Dîi ſuperi in ſolido ſtatuunt adamante notari.
  O ſolo inferior cœleſti principe princeps,
Lucida qui nitidi penetralia pandis Olympi,
Et caligantes fauces occludis Averni;
Aggredere infidum telis ultricibus agmen,
Aggredere. æthereo deſcendunt cardine tecum
Centum invictæ acies, levibus per inania pennis
Vectæ acies, tonitru quæ longe audita coruſco
In conjuratas torquebant fulmina gentes.
Jam lituos cœli, ſonitus audire tubarum
Jam videor. ſtipata cohors radiantis Olympi,
Quam Zephyri, quam picta Iris, quam nubila cingunt,
Seſe ultro ad pugnas alis plaudentibus offert.
Tu medius volitantum humeris ſublatus in auras,
Flammarumque globos trepidos jaculatus in hoſtes,
Ferventi miſeros Cocyti in gurgite perdes;
Unde iterum fulvo rutilabunt ſæcla metallo.
Tunc levibus quodcunque rotis Sol aureus ambit,
Quodque ſinu madido complectitur Amphitrite,
Te Regem agnoſcens Regi tibi ſerviet uni.
  Tempeſtate illa, ſi nondum oblivia Lethes

Ebibe-

Digitized by Google

Ebiberim, reſona non me teſtudine vates
Threïcius, non me concentu vincet Arion.
Et quamvis tua clara auro, tua lucida gemmis
Atria Pæonio non ſint adeunda poëtæ,
Nec tremulos greſſus, hebetes nec vertere fas ſit
In te oculos, nec ferre tuis prona oſcula Plantis,
Forſitan ex alta me Turrius arce canentem
Audiet, & citharæ ſonitum cognoſcet eburnæ.
Forſitan ille idem Tarpeio in vertice, ſi non
Vivaci ex hedera, non è Peneïde fronde,
Ex humili ſertum ſaltem mihi texet hibiſco.

PRECES CHRISTO DEO FACTÆ; DUM PIUS V. PONT. MAX. SACRIS OPERARETUR.

Dum Pius ille Heros, quo Principe Roma ſuperbit,
Et qui pacato Diis æmulus imperat orbi,
Concinit ante aras; vos o, quos fonte ſalubri
Abluit alma Fides, hymnis advertite mentem.
Ille nihil mortale ſonans cœleſtibus orſis
Æthereum regem alloquitur, qui cardine ab alto
Dulcibus intentas adhibet concentibus aures.
Sed geminas Heros dum tollit ad æthera palmas,
Et divina refert exili verba ſuſurro,
Unde tot erumpunt radii? cur nobile templum
Luce nova, cur Sole novo delubra coruſcant?
O ſtupido ſuſpenſa animo Natura, beati
Luminis incaſſum primordia noſſe laboras,
Incaſſum exerces fallaci indagine mentem!
Hæc arcana tuæ non intellecta Minervæ,
Ne fruſtra ſpeculare. Deus, Deus æthere ab alto
Exiguum Caſtæ Cereris deſcendit in orbem

Et frugem in ſeſe (dictu mirabile) vertit,
Talis ſidereo delapſus vertice, qualis
Extitit, horrendi cum nos è faucibus Orci
Eruit immeritos, & vitæ prodigus almæ
Erecto voluit moriens in robore figi.
Maxime Rex, Deus orte Deo, nos ſupplice voto,
Nos tua progenies ſacras oramus ad aras,
Ut triplices precioſa trahunt quæ penſa puellæ,
Fataleſque Pii devolvunt Principis annos,
Longam illi numeroſa neant per luſtra ſenectam.
Hoc Duce cana Fides Pariis tua templa columnis
Trans rapidum Euphratem, trans nigros eriget Indos,
Et Romana colet Solymus delubra ſacerdos.
Me verò, Deus alme, humiles quem Pæonis artes
Exercere jubes, miſerum ne deſpice; ſed ſi
Mentis inops unquam cœleſtia numina læſi,
Fulmine depoſito clémens mea crimina dele,
Ut melior pars una mei cum deſeret artus,
Libera ab his vinclis, oneroſa hac mole ſoluta
Sublimem ſe tollat humo, cui prævius altum
Monſtret iter, ſonituque tubæ ſuper ardua vectum
Nubila in æthereo ſiſtat ſacer ales Olympo.
O modo poſt cineres hæc tam felicia nobis
Gaudia ſuccedant, non me rugoſa ſenectus,
Non me ſqualenti terret Mors horrida vultu.
Quin age, falce minax celeres huc dirige curſus,
In me verte iras, in me verte obvia ferrum.
His anima exuviis, tenebroſo hoc carcere ſolvi
Flagitat, & ſuperis miſceri heroibus ardet,
Regis ut æterni divina luce fruatur.

AD CARDINALEM COMMENDONUM.

NAIS AMALTHEA.

Supremo dilecta Jovi pulcherrima Nais,
Quem fortunatæ paviſti lacte capellæ,
Cum tener in cunis celſa vagiret in Ida:
Dic age, dum virides mecum ſpaciata per hortos
Pæonios flores, & olentes colligis herbas,
Quæ valido funeſta abigant contagia ſucco:
Cur reſona attollunt lætos Capitolia plauſus,
Ingeminat curvæ quos abdita vallis imago?
Sic ego; ſic orſa eſt almi Jovis innuba nutrix.
Sauromatum gelida tandem regione relicta,
Horrida perpetui ſpirant ubi frigora Cauri,
Soſpes Aventinas Heros remeavit ad arces:
Lux Europæ Heros, quo tam generoſa ſuperbit
Hadriaci Regina maris, quam Romula tellus
Mille altrix procerum præſtanti exultat alumno.
Hinc hilares ſonitus, hinc alti in turribus ignes,
Hinc ſeptemgemini reſono clangore tubarum
Pulſati colles, Tyberinaque ripa remugit.
O niſi biſſeni premerent te pondera luſtri,
Ni Muſis inviſa foret rugoſa ſenectus,
Et tua ni raucos vox ederet aſpera cantus,
Nunc ego te ſumpta teſtudine (ut ante ſolebas,
Cum viridi florente ævo per littora Minci
Indigenæ poteras numeros effingere cycni)
Hortarer fidibus linguam ſociare canoris,
Et vacuas implere novis concentibus auras.
Nam, qua præcipiti per ſaxa ſonantia lapſu
Neptuni cupidas Liquentia fertur in ulnas,

Con-

Concineres, vocemque procul nemora alta referrent:
Ut quondam Uranie, quæ ſæpe, Helicone relicto,
Concilio aſſuevit, dapibûſque accumbere Divum,
Ad Vaticanas heroem vexerit arces:
Cui Dea naſcenti prima oſcula fixit, & olli
(Neſcio quid majus præſaga mente volutans)
Ornavit Tyrio felices murice cunas.
At pubeſcentes ſimulac adolevit in annos,
Facundo Juvenem eloquio, numeriſque ſonoris
Erudiit, linguamque favis aſperſit Hymetti.
Præterea caneres Peneïde fronde revinctus,
Ut ſolo inferior cœleſti Principe Princeps,
Sanctius in terris quo nil videt aurea Phœbe,
Delectum Heroem per iniquas juſſerit oras,
Trans glacialem Albim, trans rauca binominis Iſtri
Littora ferre gradus, rigidumque inviſere Pontum:
Gentis ut indomitæ, quæ ſemine creta furentis
Enceladi, leges abolere audebat Olympi,
Conſilia in melius fandi dulcedine vertat,
Effræneſque animos linguæ compeſcat habenis,
Et cæca ignaras ſolvat caligine mentes.
Ille autem, horrendis quamvis mugitibus Auſtri
Æthera perflarent, quamvis ingentibus urnis
Funderet everſos undoſus Aquarius imbres,
Et ſtreperent fractis tonitrus ac fulmina nimbis;
Semidei Regis juſſa inviolanda ſequutus,
Mercurio ſimilis ſuperum decreta ferenti,
Sæva hyeme invita gelidam properabat ad Arcton,
Vectus equo; qui tantum alacer telluris obibat,
Sol rutilo curru quantum luſtrabat Olympi.
At retro numeroſa cohors calcaribus armos
Quadrupedum urgebant, cum vix ſequerentur anheli.
O quoties illum poſt tot diſcrimina vidi,

Vidit & algenti miratus ab axe Bootes,
Mulcentem placidis regales vocibus aulas:
Dum Scythici proceres, & amantes prælia Daci,
Aſſueti galeis haurire capacibus Iſtrum,
Penderent ſtupidi facundo orantis ab ore.
Quorum ubi dura magis rigido præcordia ferro
Molliit, & dulci perſuaſit nectare linguæ
Romuleos ritus, & juſſa capeſſere legum,
Quas pia Relligio Tarpeio in vertice ſanxit:
Nunc levior curis, & pondere laudis onuſtus
In procerum amplexus Capitolia ad alta recurrit,
Divinum illuſtrans animi ſplendore Senatum.
Haud aliter, quam cum tranquilla nocte minores
Scintillant ignes, Veneris ſi ſtella reſurgit,
Cætera Lucifero redeunti ſidera cedunt.
Quid memorem, ut veteris qui fortunata Quirini
Sceptra manu vaſtumque humeris fert pondus Atlantis,
Purpureo reducem Heroëm decoraverit Oſtro,
Et collabentis ſolido pro Cardine mundi
Legerit, ac magno laudum cumularit acervo?
At, licet exornent tam grandia dona merentem,
Majus ab æternis munus promittitur aſtris,
Majus opus ſupereſt. audi, quid ſanxerit ingens
Juppiter. ille mihi ventura quid afferat ætas
Scire dat, ille mihi Cretæa nuper in Ida
Hos rerum eventus, hæc abdita fata recluſit.
Ante vagus novies quam Sol duodena per aſtra
Ducat equos, noviesque comam Ver fronde coronet,
Concordes animo, concordes voce Quirites
Auguſtum Heroem ſuprema in ſede locabunt,
Pronaque divinis affigent oſcula plantis.
Tempeſtate illa, nitidum radiantibus aſtris
Cincta caput veneranda Fides, quam conditor orbis

Digitized by Google

Elegit comitem, vitæ cum prodigus almæ
Annuit erecto moriens in robore figi,
Per domitam Ægyptum Pario de marmore centum
Templa ſibi attollet: ſuperos ubi thure Sabæo
Romanum in morem venerabitur accola Nili!
Et patera caſtus ſparget rorante ſacerdos
Jordanis latices in vertice gentis Eoæ:
Et Commendono ſub Principe lætior orbis
Sœcula conſpiciet fulvo rutilare metallo.
O nimium ſegnes, alis pernicibus Horæ
Currite iter, properate Horæ, ſtimulate morantes
Solis equos, laxaſque jubis concedite habenas,
Et cupido celeres afferte hæc gaudia mundo.

MICHAELI TURRIO EPISCOPO CENETENSI.

IOLAS.

Qui colitis ripas, vitreis quas irrigat undis
Meſulus arguto ſaliens per ſaxa ſuſurro,
O mecum agreſti calamos ſuſpendite collo
Curarum immemores, & qua reſpondeat Echo
Garrula, diſparibus labra exercere cicutis.
Nam pia Libertas, nam Pax redit aurea nobis
Ambæ Dîis genitæ, Dîis natæ auctoribus ambæ,
Te, Turri, venientem ambæ, dominumque ſequutæ,
Te, cui cura gregis, cui pingua pabula creſcunt,
Cui ſervare datum eſt tutis in ovilibus agnos.
Jam tibi Meſulides ſpargunt vaccinia Nymphæ,
Jam tibi nexilibus texunt umbracula ramis,
Et centum aëriæ ſervant tua nomina quercus.
Ipſe autem reſonis jactans ſua gaudia ſilvis

Et

Et jubet in molli colludere gramine pubem,
Et ludentum animos donis invitat Iolas.
Nam quicunque ſuos ſtipula ſolatus amores
Aptius inflatos digitis percurret hiatus,
Et melius numeros, & ſibila dulcius edet,
His genitum ripis ſibi victor habebit olorem,
Implumem eripuit quem matri Meſulus, & quem
Creſcentem erudiit muſcoſo Nais in antro,
Nais, quæ celeres ſiſtit concentibus Euros,
Et rapidos curſus fugientum frænat aquarum.
Nunc niveis ales certat candore liguſtris,
Et potis eſt dulces Sirenum vincere cantus.
Præterea celerem in gyrum quicunque volutus
Turbinis in morem ſeſe leviore rotatu
Tollet humo, & torto ſe vortice flectet in orbem,
Hinnuleum accipiet; qui luſtra inculta peroſus
Aſſuevit veniente die per rura vagari,
Aſſuevit fugiente die ſuccedere ſeptis.
Illum venatrix dumoſa in valle repertum
Inter oves interque canes nutrivit Ianthis,
Quæ niveo laſciva ſinu, quæ lumine nigro
Scintillas jaculatur, & obvia torret amantes.
Aſt ubi floret humus, rivos ubi Pinus opacat,
Lacte ſatur, vinoque hilaris cantabit Iolas,
Ut prius exuti ſqualerent gramine colles.
Ut viduæ amiſſo languerent conjuge vites,
Ut Cererem ſulci, fructus Pomona negaret:
At ſimulac veniens ſua Turrius attigit arva,
Pinxerunt lætos vernantia gramina colles,
Fœcundæ vites ulmis hæſere maritis,
Riſerunt ſegetes, pomis ſeſe induit arbos,
Canaque Libertas peperit ſolatia ſilvis.
Aurea Libertas nullis gravat horrea clauſtris,

Nec patitur meſſes ſub avaris poſtibus abdi.
Libertas, quo flectit iter, ne gaudia deſint,
Incuſtodito ſitientes replet Iaccho.
Hac duce, maturas legeret cum meſſor ariſtas,
Primus inexperto formavit gutture cantus.
Hac duce paſcentes errant impune capellæ,
Et tuto enixæ diſtentant ubera vaccæ.
Salve hominum cuſtos, ſalve Diis æmula Virgo:
Te Dea, te puris deduxit Turrius aſtris,
Turrius, in medio veneror quem pronus agello;
Et ſeu mane novo pecudes in paſcua mittam,
Veſpere ſeu ſero ſaturas ad ſepta reducam,
Ante alios illum ſupplex in vota vocabo.
Sancte veni, ſervaque tuum miſeratus Iolam,
Qui tibi Pæonias affert è collibus herbas,
Quas illi quondam puero monſtravit Apollo,
Cum tener Euganeæ forma tabeſceret Ægles,
Nec dum veſtiret prima languine malas.
Quem Deus, impubes ne ſic conſumeret annos,
Admonuit pereuntem: O non incognite Muſis,
Te maleſanus amor, te perdit iniqua puella.
Ah ne oculis, ah ne detectis fide papillis,
His captum illecebris ne te mala torqueat Ægle.
Quin mecum intonſi luſtrans latera ardua Cynthi
Et caſiæ vires, & olentis diſce cyperi.
Dicam ego, cur ſomnos Lethæa papavera ducant,
Cur valido evellat Dictamus ſpicula fotu,
Et cur letalem jaculatus ſcorpius ictum
Eruat è venis, quod fixerat ante, venenum.
Nec tibi turpe puta, Phœbo duce, noſſe latentes
Aſparagum vires, & quid colocaſia poſſint.
Ex illo, ſuadente Deo, vim novit Iolas
Herbarum, & florum, & depreſſarum radicum.

Et

Et nunc apricæ prærupta cacumina rupis,
Nunc obit umbroſæ ſinuoſa cubilia vallis,
Expleat ut calathos pubentis germine terræ,
Utque metat flores, quos in fragrante receſſu
Sol generat, pariunt auræ, ver educat, udi
Noctis alunt rores, oriens Aurora recludit:
Et qui præterea roſtrati vaſis in alvo
Ignis ope in medicas ſolvant ſua viſcera guttas.
At tu textilibus ne deſpice lecta caniſtris
Munera. Diis etiam cordi ſunt munera ruris.
Hæc funeſta ſuo pellent contagia ſucco,
Seu cælum madida caligine polluat Auſter,
Frigida ſeu cladem Saturni ſtella minetur.
Quare age te ſacro quamprimum prolue potu,
Ut tandem incolumi Tyberis gratatus alumno
Sidonio caſtam cingat tibi murice frontem,
Unde olim ingeminent altos Capitolia plauſus.
O mihi tum veſci liceat vitalibus auris,
Nam neque me Amphion, nec me fide vincet eburna
Vectus curvati dorſo delphinis Arion.
Hic licet immites concentu mulceat orcas,
Erigat ille ſua quamvis teſtudine muros.
Nunc, ſi forte tuis quæ murmurat aura viretis
Attulerit numeros ad te ſtridentis Iolæ,
Ne paſtoralis faſtidi ſibila cannæ.

AD CARDINALEM TURNONUM.

Te lætum, te, magne heros, tua Delphica Laurus *
Incolumen ſervat, cujus vernante ſub umbra
Dum reſides, tibi rore ſuo carcheſia replet

Y Alma

* *Alludit ad [illegible]illum præſtantiſſimum, qui Laurus appellabatur.*

Alma Salus, viridemque tibi dant fata ſenectam.
  Fortunate heros, illa aurea naſcitur ætas,
Qua te ingens Tyberis, qua te Capitolia læto
Excipiant plauſu, & te rege ſuperbiat orbis.
O qui tum Soles, o quæ felicia current
Sæcula, cum Tyrio redimiti murice frontem
Te reducem auguſta proceres in ſede locabunt,
Pronaque divinis affigent oſcula plantis!
Tunc humeris, Lambine, fidem ſuſpendere eburnam
Tempus erit. tunc tu Tyberinæ in margine ripæ
Dulcibus implebis reſonas concentibus auras,
Et Turnonum hilaris, Turnonum Roma ſonabit.
  O nimium ſegnes, alis pernicibus Horæ,
Currrite iter, properate Horæ, ſtimulate morantes
Solis equos, laxaſque jubis concedite habenas,
Nec differte diu cupidæ ſua gaudia Romæ:
Hoc Europæ urbes, inhians hoc ſupplicat orbis.

DE COMETE.

Forte cadente die pelagi tranquilla ſecabant
Marmora remigio facili Meliſæus, & Alcon,
Et pedibus captus, ſed præſtans mente Melampus,
Florentes illi, ſeris hic grandior annis.
Dumque levi volitant piſcoſa per æquora cymba
Doridis Adriacæ placidas obeuntia ſedes,
Triſtia curarum cithara cantuque levabant;
Nereidumque choros, vitreo quæ gurgite lætos
Extulerant vultus, mulcebant carmine blando.
  Et jam noctivagos accenderat Heſperus ignes,
Undaque ſub tremula ſplendebat imagine lunæ:
Cum ſubito attollens oculos Meliſæus ad aſtra,
Ecce novum ſidus radiis ſplendere coruſcis

Suſpi-

Suſpicit, & nitidum diffundere vertice crinem,
Igniferamque facem longo flammeſcere tractu.
Atque ut tum dulces Gallæ cantabat amores,
Fallor? an hæc ipſa eſt Gallæ coma, quam ſibi duro
Nuper (ait) ferro ſecuit de vertice tondens,
Et Veneris templo donum immortale ſacravit?
Sic equidem, ſic eſſe reor Venus aurea cœlo
Retulit, atque novum claris decus addidit aſtris.
At non hæc animo levia, aut ludicra putabat
Sollicitus monſtris Alcon, cui pectore fixa
Hærebat patriæ dudum ſqualentis imago,
Hærebant vultus caræ genitricis, acerbo
Funere quam miſeranda lues extinxit: &, eheu
Exclamat, quid ſtella nocens mortalibus ægris
Adportas? luctuſne novi prænuncia forſan
Appares, gravibuſque orbem terroribus imples?
Ah ne iterum ſuperas Alecto miſſa ſub auras
Sæviat, & morbi triſtes, & pallidus Orcus.
Ah ne iterum profuga linquamus puppe penates,
Hadria pulcra. tuos. ſat fœda cadavera mæſti
Vidimus, immenſos & diræ ſtragis acervos.
Hæc ille. at ſenior vates, quem docta Minerva
Ipſa ſuis aluit ſtudiis, cœlique meatus
Uranie docuit, poſtquam mirabile ſignum
Aſpexit, gaudens animis, Timor anxius hoſtes
Sollicitet noſtros, inquit: nil triſte minatur
Hoc etenim ſidus Latio, nec lumine lævo
Territat Auſonias urbes, aut littora noſtra.
Longe alios populos Phœbo ſub utroque jacentes
Hæc portenta petunt. vehit illis dira Cometes
Excidia, & caſus varios, & funera regum.
Jamque adeo manifeſta fides: nec ſera nepotum
Proferet hæc ætas. jam nunc Rhodopeïus Hebrus,

Et vagus Euphrates, & Medo potus Idaſpes
Bella movent. video paribus concurrere telis
Eoas inter ſe acies, ac ſanguine largo
Armeniam, Taurique cavas pingueſcere valles.
Nec minus Oceanum juxta, Soliſque cubile
Heſperium ſævis Mavors ferus intonat armis,
Æthiopumque domos bello quatit. ultima tellus
Dat gemitum, gemitum longe dat cœlifer Atlas.
Interea Pax Italiæ felicibus arvis
Regna dabit. Pax læta feret veſtigia gentes
Per Latias, quam blanda Quies, quam pura Voluptas,
Et Decus, & Virtus comitentur paſſibus æquis,
Et populis pleno gratiſſima Copia cornu.
Nos vero in primis hæc circum littora nota
Ocia ſecuti Muſis degemus amica,
Atque Deos, atque Heroum benefacta canemus,
Inſignes plectro, nec non teſtudine dulci.
Teque adeo Hadriacæ ductor clariſſime gentis,
Sanguinis & noſtri decus ingens, carmine grato
(Sic meritum) numeriſque novis tollemus ad aſtra.
Dixerat: aſſenſu ſocii plauſere ſecundo,
Certatimque alacres cecinerunt omina læta,
Omina, quæ nulli diſpergant irrita venti.

ADORNÆ PUELLÆ

PROSOPOPOEA.

O qui funeſtas imples ſingultibus ædes,
Et luctu, miſerande parens, tabeſcis inani,
Parce comis, deſiſte queri, compeſce cadentem
Ex oculis imbrem; nec te mea funera perdant.
Non mihi fatalem ſecuit Proſerpina crinem;

Non

Digitized by Google

Non me Lætheæ retinent oblivia ripæ:
Non execrata me judicat Æacus urna:
Sed proceres ſtellarum inter, gentemque beatam
Me Deus inſontem cœleſtibus intulit ulnis;
Sol ubi me inferior curſus moderatur equorum,
Et multo inferior flectit Latonia bigas.
At divina premam quamvis pede ſidera, quamvis
Sim ſuperis curæ, ſim gratum pondus Atlanti,
Nec tamen immemorem cari me rere parentis,
Oblitam ne rere ſui genitoris Adornam.
Supplicibus nam ſæpe hymnis radiantis Olympi
Regem oro, ut longum ſimulac expleveris ævum,
Et ſenii curas & inertes oderis annos,
Liber, & à fragili vitæ compage ſolutus
Concilio aſſueſcas, divumque accumbere menſis,
Ambroſias ubi caſta dapes mihi porrigit Hebe.
Nec prece deſiſtam, donec vultu ille ſereno
Annuat, & tonitru firmet promiſſa coruſco.

AD N. SUPERANTIUM.

Patavii Prætorem.

Exere cæruleam muſcoſo è gurgite frontem,
Euganeam riguo qui flumine diluis oram
Medoace, & poſita formidine lætior exi:
Nam ſimulac generoſus avis Superantius Heros
Fortunata tuis fixit veſtigia ripis,
Ac nitidi Solis tenebras de more fugavit,
Protinus ad cœlum querulas attollere voces
Vulgus, & ex oculis effundere deſiit imbres.
Protinus alma Ceres populis opulenta recluſit
Horrea, & immenſas largita eſt prodiga meſſes.

Ipſe mero undantes ſitientibus attulit urnas,
Et vetuit claudi ſua munera dulcis Iacchus.
Omnia nunc rident: bellum procul exulat, & quæ
Martia conſuerat proſternere fraxinus hoſtes,
Nunc cultrum, rigidaſque manus experta bubulci
Scinditur in ſtimulos, & tela inviſa juvencis.
Quique prius fuerant infanda cæde cruenti,
Nunc formam accipiunt obtuſi vomeris enſes,
Aurea Saturni teſtantes ſæcla reverti.
O ſuperis dilecte Heros, quo ſe inclyta jactat
Hadria, & ingenti regina ſuperbit alumno,
Nuper ad antiqui felicem Antenoris urbem
Cœlituum juſſu vexit te nautica pinus,
Quam centum adverſo traxerunt Najades amne,
Dulcibus implentes reſonas concentibus auras.
At, cum olim Hadriaca revocatus ab urbe redibis,
In procerum amplexus radianti clarior aſtro,
Non iterum ſulcabis aquas volitante phaſello,
Non ſonipes, nitidum forma qui vincat Eoum,
Non fulvo ſaturata auro te plauſtra reducent:
Sed dorſo te Fama ſuo, Fama illa canoris
Candidior cycnis, pulcherrima Fama Dearum,
Aëra per vacuum plaudentibus afferet alis.
Et, ſive Heſperios, ſeu nuncius ibis ad Indos,
Effrænes ut regum animos, & ferrea corda
Mercurio ſimilis fandi dulcedine flectas,
Te vehet illa eadem latum indefeſſa per orbem.

N. ERI-

Digitized by Google

N. ERICO SALUTEM DICIT.

Diſcute Lethæum, Polyhymnia, diſcute ſomnum,
Et ſequere Auſonias Heroem diva per urbes,
Hadria quem peperit, quem nectare dulcis Hymetti
Paverunt Charites, & quem Tritonia virgo
Creſcentem erudiit, pueroque immobilis hæſit.
At floreſcentes ſimulac adolevit ad annos,
Egregium referens animi ſplendore Catonem,
Illum ſancta vehit Latias Aſtræa per oras,
Tercentum qui monſtra domet, magni Herculis inſtar,
Et collabentis mundi ſub mole laboret.
Magnanimi ſed quanquam Erici præcordia ſemper
Mille premant curæ, nunquam tamen ille canoras
Reſpuit Aonidas; rumpe ocia, caſta virago,
Et domini placidas his imbue vocibus aures.
Qui Jovis à dulci nomen nutrice recepit,
Quique ſalutiferos Parnaſſi in vertice flores
Colligit, immites hebetant cum ſidera morbi;
Ille tuis idem centena dat oſcula palmis,
Et ſuperos votis, & olente precatur acerra,
Ne te Pæonii capiant oblivia vatis.

EIDEM DUOS PISCES DONO MITTIT.

Galla puellarum pulcherrima, Galla Napæis
Æmula, quæ cantus dulcedine vincit olores,
Infidum querula revocabat voce Perillum,
Qua fugit irriguo piſcoſa Liquentia curſu.
Dumque repercuſſas mulcet concentibus auras,
Unde arguta procul montis reſpondet imago,
Audierunt gemini miſeræ ſuſpiria Gallæ,

Digitized by Google

Qui colludebant vicino in littore, piſces.
Nec mora, mobilibus caudis, rictuque ſupino
Virginis ad numeros celeri venere natatu,
Et bibula dulces hauſerunt aure querelas.
Interea, qui forte comam tondebat anethi,
Pæonius Lycidas, quo non præſtantior alter
Decipit irriguis Acheloïa monſtra ſub undis;
Squammoſas pecudes ut primum littore ab alto
Attonitos vidit fixiſſe in virgine vultus,
Protinus incautis ſoliti non immemor aſtus
Texuit inſidias; oneroſaque retia plumbo
Circuitu ingenti latum diffundit in amnem:
Mox iterum ad ſeſe fallacia lina reducens
Exeruit ſalientem udo de carcere prædam;
Quam nulli caſſes, quam nulla incendia terrent,
Non ingrata tuæ modo ſint ſua viſcera menſæ.
Magne Erice, exiguum munus ne deſpice:. nam ſi
Piſcibus ornari geminis dignatur Olympus,
Nec tua contemnant geminos convivia piſces.

AD AUSTINUM BARBADICUM.

Forſitan ignoti Muſam mirabere vatis
Ad te ferre gradus, quem mille negocia torquent,
Mille premunt curæ, dum non minor Hercule magno
Monſtra domas, urbiſque tuæ ſub mole laboras.
At generoſe Heros mirari deſine, namque
Non illum ambitio, non gloria vexat inanis;
Natorum ſed dulcis amor, qui flectere tygres,
Qui potis eſt iras etiam mulcere leonum.
Ad mea nam deni reſident convivia nati,
Altera pars quorum ſtudiis addicta Minervæ
Nititur occultas rerum cognoſcere cauſas,

Altera

Altera Caſtaliis non eſt incognita Muſis,
Et facili didicit calamos inflare labello.
Hæc animum, & mores in te admirata Catonis
Non obſcura tuæ referens præconia laudis
Te canere incipiet; vocem modo dulcis avenæ
Non adimat jejuna fames, diræ æmula mortis.
Nam ſimulac ſulcos mihi contudit horrida grando,
Seminibus quæ pænè omnes viduavit ariſtas,
Quod reliquum Cereris cultor mihi pauperis agri
Legerat, externis cogor conſumere menſis,
Et cubat ante meos gracilis penuria poſtes.
Magne Heros, Aſtræa ſuo quem nectare nutrit,
Pallentem eſuriem procul hinc averte, nec aures
Tam placidas occlude meis, Auguſte, querelis.
Sed, mihi quas olim parvo conceſſit agello
Cœlituum pietas, me frugibus annue veſci,
Te mea progenies exili voce precatur.
Exili, nam longa hebetant jejunia vires,
Et miſeræ incipiunt ſenſim tabeſcere Muſæ.

AD DOMINICUM VENERIUM.

Plene Deo vates, atavis Heroibus orte,
Elargita ſuum quibus eſt Venus aurea nomen,
Dum Tuſcæ clangore tubæ, dum fulmine linguæ
Irruis in pavidos veluti facto agmine Thracas,
Et nova pugnantes armas in prælia Muſas,
Trans Solymos fines, ultra cunabula Nili
Effugit extremos Aſiæ regnator ad Indos,
Et pernicis equi fodiens calcaribus armos
Fertur in occultas per inhoſpita luſtra latebras.
Namque audita tuæ magis ille tonitrua vocis
Perditus horreſcit, quam cum victricibus armis

Tergemini Heroes, tria lucida fulgura Martis,
Aſſyriam vaſto ſtravere in gurgite claſſem:
Naupacto mirante ſui fracta agmina regis,
Et per ſanguineos enare cadavera fluctus,
Tercentumque trahi captas ad littora puppes.
Dîs inviſe Selim, Stygii ſate ſanguine Ditis,
Te nimis audentem ſi terruit horrida clades,
Cui ſimilem longæva ætas non vidit avorum,
Poſtera nec forſan ſpectabunt ſæcla nepotum;
Nunc te alius terror, nunc te cura acrior angat.
Hadriaci tecum certabit Muſa poëtæ,
Donec onus cœli dorſo toleraverit Atlas.

PHARMACEUTRIA.

(Hanc Elegiam ſcripſit auctor admodum Adoleſcens.)

Nocturnæ ſalvete umbræ, maneſque profundi,
  Quos vaga Lethæis turba veretur aquis.
Vos æterni ignes; tuque æthere ſemper ab alto
  Conſcia fervoris candida Luna mei,
Annue, dum tacito non obſtant nubila cœlo,
  Aura nec in denſis murmurat arboribus.
Nunc mea Theſſalico perfundite lumina ſucco;
  Solvenda eſt magico flamma veneficio.
Sparge puer ſterili collecta abſynthia campo,
  Et ter Lethæo merge liquore caput.
Dic Hecatæ bona verba. Hecatem per inania duci
  Nubila, latratu ſigna dedere canes.
Ter vinctas age ſolve comas: ter plauſtra Böotæ
  Conſpice, & hæc lævo ſtans pede verba cane.
Vincula nunc ſolvo, capitiſque ut vincula ſolvo,

Sic

Sic erat ex omni parte ſolutus amor.
Rore pio confunde focos, uſque interit ignis,
Sic meus exſtincto cedat amore calor.
Fallorne, an noſtri pariunt oblivia cantus?
An ſunt hæc oculis ſomnia vana meis?
Libertas mihi prima redit: jam ſolvor amore:
Jam mea ſunt dempto libera corda jugo.
Nunc libet in placitum Muſis Helicona reverti:
Ceſſit Amor, ceſſit deſidioſa Venus.
Pierii fulſere apices: mihi pandit Apollo
Illa oculis toties templa petita meis.
Sed neque me belli cantus juvet, arma valete:
Nil mea cum duris carmina militibus.
Non ego, ut incurſent Thracum per rura Geloni,
Nec referam, ut celeri Parthus anhelet equo.
Nec quondam exitium Gallis ceciniſſe cometas,
Cum tremuit victo rege ſuperbus Arar.
Dicam ego te Heroum clarum genus, utque ſereno
Maximus Hermeti riſerit ore Deus.
Ipſe canam interdum, concordi ſidera motu
Fœdera in arbitrium compoſuiſſe tuum.
Et cum te ſuperi, ſupremaque fata vocabunt,
Qua tibi ſit cœli parte futura quies.
Tum vagus Euphrates me non ignota canentem
Inter odoratos audiet Armenios.
Parte alia Æthiopum ſolabor littora cantu,
Ipſe ubi fœcundis Nilus abundat aquis.
Heu quantum invideas Hyale formoſa licebit,
Me numeris alium conſtituiſſe meis.
Tunc mihi fas molles nec erit laudare papillas,
Ipſa nec Hyblæis tincta labella favis.
Heu, heu quo rapior? flammis creſcentibus uror,
Uror ego, & ſolitum pectora vultus habent.

Nec

Digitized by Google

Nec mihi Lethæo componere pocula ſomno
  Profuit, aut ſacro tingere rore comas.
Ite procul, quibus eſt noſtræ data cura ſalutis;
  Quiſquis amat, medicæ non eget artis ope.
Jam ſubeunt niveique ſinus, atque æmula cœlo
  Lumina, in exitium lumina nata meum.
Ah pereat, quicunque ſuos non ſervat amores,
  Et dominæ aſſiduas non amat illecebras.
Illum Caucaſea foverunt rupe leones,
  Dura vel inſanis cautibus unda tulit.
Mallem ego cum domina longas deducere noctes,
  Quam quot Erithræis dona leguntur agris.
Gauderem interdum niveas tractare papillas,
  Et dare compreſſis oſcula blanda notis.
Illá mea implicitis vinciret colla lacertis,
  Lætaque non ſolito vellet amore frui.
Dî facite, ut cupido votum ſuccedat amanti,
  Et bona ſis vati nunc Erycina tuo
Sic, tecum Idalio dum Mars agit ocia lecto,
  Mulciber, & tota nocte quieſcat Amor.
Tu quoque, dum vernant laſcivæ dona juventæ,
  Ne fuge complexus blanda puella meos.
Tu puero teneris, Hyale, mihi flamma ſub annis;
  Tu mihi in extremos ultimus ardor eris.
Nec te Pierides, nec te mea plectra ſilebunt,
  Et tua poſt cineres forma ſuperſtes erit.
Interea, Antiſtes, promiſſa ignoſce neganti:
  Eſt meus in Muſas imperioſus Amor.
Te celebrent alii, quibus eſt mens libera, vates:
  Mi ſat erit dominæ poſſe placere meæ.

Digitized by Google

GENETHLIACON FRANCISCI APROINI MEDICI.

Naſcere, par magno puer evaſure Galeno,
Et querulo matrem ſolve puerperio,
Naſcere: te molli gremio, te mollibus ulnis
Excipiam, & dulci nectare labra linam.
Nuſquam abero, ſeu blanda tibi dabit ubera nutrix,
Seu tibi ſit cantu concilianda quies.
At cum pubeſcens agili pede venerit ætas,
Teque Erato Aoniis fontibus abluerit;
Ibis ad antiquam generoſi Antenoris urbem
Bellerophontæi tergore vectus equi.
Illic in nitida Sophiæ ſpaciaberis aula
Divini Herois grande ſequutus iter,
Quem Stagira tulit dias in luminis auras,
Stagira illuſtris nomine Ariſtotelis.
Hic tibi naturæ penetralia cæca recludet,
Vix fortunatis cognita cœlitibus.
Scilicet immoto cur alti principe cœli
In gyrum æternis motibus orbis eat.
Cur vaga materies vultu ſeſe induat omni:
Et ſeſe inductis privet imaginibus.
Cur ſiccis Boreas, madidis Notus evolet alis,
Ætna vomat flammas, vaſta Charybdis aquas.
Innatus fluat unde calor, quo vivimus, & quo
Cogimur extincto trans Styga carpere iter.
O te felicem, tali qui principe fretus
Olim ſuſpenſis auribus iſta bibes.
Mox virides hortos magni ingrediere Galeni,
Prataque divino nota Dioſcoridi.

Mille ubi quid valeant flores, quid poſſit amomum,
Quam det opem panace,quam det acanthus opem,
Inventor medicæ tibi deteget artis Apollo,
Et te Pæoniis artibus erudiet.
Tunc Silis exultans, tantoque ſuperbus alumno,
Ardua muſcoſum tollet ad aſtra caput.
Teque parem Hippocrati patriam revocabit ad urbem:
Sed rediens nullo rurſus egebis equo.
Nam nive candidior volitans pernicibus alis
Te revehet dorſo Fama canora ſuo.
Et, cum Neſtoreos Lacheſis tibi neverit annos,
Illa tibi æternas nebit Olympiadas.
Sic olim Euphroſyne Charitum pulcherrima dixit,
Cum tua te peperit, docte Aproine, parens.

AD MAXIMILIANUM BOEMIÆ REGEM, IN HISPANIA DEGENTEM.

O quæ rotatu vecta volubili
Uſtis ab Indis ad gelidos Scythas
Nunc blandienti, nunc minaci
Cuncta ſupercilio coërces;
Ne me per altos divitis Antii
Regina montes, ne per inhoſpitas
Me coge valles fabuloſam
Hinc panacem legere, hinc cyperum.
Ut inſalubri qui lue tabuit,
Formidoloſæ vim fugiat necis,
Audente me leges deorum
Pæonio violare ſucco.
O mentis expers Iäpeti genus,

Mutan-

Mutanda nullo eſt conſilio dies,
Quam fata nobis dormiendam
Perpetuo ſtatuere ſomno.
Fallacis ergo Pæonis ars vale:
Oblivioſo ſat mea torpuit
Fides veterno: nunc loquaces
Tange, Erato numeroſa, nervos.
Longumque rumpens voce ſilentium,
Nulli tacendum concine Principem,
Seu malit armis, ſeu ſagaci
Conſilio ſuperare malit.
Quem nunc anhelo pectore Norici
Lugent morantem finibus exteris:
Quem mille votis ſepticornem
Vindelici revocant ad Iſtrum.
O ſolve Ibero carbaſa littore,
Et luctuoſas, maxime Principum,
Solare gentes, & paternos
Exhilara reditu penates.
Qualis reducens poſt tenebras diem
Sol nigriorem diſcutit aëra,
Regnumque Junonis ſerenat
Nubibus exiliens fugatis:
Talis, reverſus cardine ab altero,
Subjecta ſeptem regna trionibus
Caliginoſa nocte ſolves,
Major avis, ataviſque major.
Tu bellicoſas frangere fraxinos,
Tu doctus enſem flectere Noricum,
Urbes ſubactas, juſque avitum
Eripies Aſiæ tyranno.
Tu rurſus urbis Martia Romulæ
Vexilla tolles, ſubjiciens tibi

Digitized by Google

Sol quicquid ambit, quicquid undis
Uberibus lavit Amphitrite.
Quod ſi ſuperſtes muneribus fruar
Vitalis auræ, me fide Lesbia
Juvabit & prædas & hoſtes
Dicere compedibus revinctos.
Te rege, latus dum Capitolio
Parebit orbis, dulci ego pectine
Molles in amplexus euntem
Nereidum Tyberim reflectam.
Sic ſaxa quondam Threicium ferunt
Sequuta vatem, dum per inhoſpitas
Rupes ademptam, dum per imas
Quæreret Euridicen latebras.
Qui poſtquam Averni conſtitit ad fores,
Et cor ahenum leniit Æaci,
Flexitque ſuſpenſis bibentes
Auribus Eumenides querelam;
Heu legis amens immemor, & ſui,
Effudit altas fruſtra iterum preces:
Fruſtra revertentem puellam
Ad tenebras iterum ſequùtus.
Quam mox nivali flevit in Iſmaro,
Flevit ſub Hæmi cautibus horridis;
Seu ferret atras veſper umbras,
Sive diem veniens Eöus.
At cum occupavit plectra ſilentium,
Inſanientum cum Cyconum furor
Sparſit cruenti membra vatis,
Stipitibus lacerata quernis:
Cum lingua ſacris faucibus eruta,
Futura mergis eſca voracibus,
Ter viſa flecti, ter ſub Hebro

Ah miſeram Euridicen vocaſſe.
Sed ſiſte inanem, barbite, næniam.
Nunc in beatis Thracius inſulis
Exultat Heros, & repertæ
Conjugis in gremio recumbit.
Quin Martialem dic potius ducem
Illuſtriori carmine, quem legat
Ætas nepotum, donec Atlas
Orbis onus grave ſuſtinebit.

IN LAUDEM LAMPRIDII.

Cum fortè Inachiæ cornua virginis
Lesboa caneret Lampridius fide,
Sævos unde feras, unde fugacium
Curſus ſiſteret amnium;
Benaci riguum tum prope marginem
Pingebat viola Doris amaracum,
Doris, qua melior nulla ſagacibus
Sectari canibus feras.
Quæ poſtquam numeros audiit, O Dei,
Errabundam etiam vertite me in bovem,
Ne me (inquit) tacitam Lampridius ſinat
Plectro nobilis aureo.

DE HERMETE STAMPA.

JOLAS.

Valete aprica montium cacumina,
Valete opaca vallium cubilia:
Veſtris Iolas it procul receſſibus.
Miſelle Iola, non videbis amplius

Dorſo recumbens graminum virentium
Depræliantes cornibus juvenculos.
Non tibi ſuſurri fluminum ſonantium,
Non ſibilantes blandientur ilices,
Inire nec ſuadebit aura ſomnulos.
Abire certum eſt, & minaci in æquore
Iras videre inſanientis Africi,
Videre monſtra per fretum natantia,
Et imminentis mille leti imagines.
Amens Iola, parce, parce conqueri:
Tibi ſequendum, ſive Nili adiverit,
Hermes latentis ultimas origines,
Inhoſpitalis ſive ſaxa Caucaſi.
Quare valete montium cacumina,
Valete opaca vallium cubilia.

URCEUS.

Plenus Falerno quem videtis Urceus,
Olim fuit Gubertus ille Noricus,
Qui ceteris bibacior potoribus
Palmam ferebat ſemper inter ebrios.
Is æſtuante Sole ſub Canicula,
Dum mente læta, dum ſolutus omnibus
Curis vetuſto proluebat ſe mero;
Quo dulcius, fragrantius, potentius
Cretæ feraces non tulere pampini,
Clauſis repente faucium meatibus,
Et ſpiritu in præcordiis coërcito
Dictæo obivit dolio tumentior.
Cujus cadaver ſaturo obeſius ſue
Cum molle tandem putruiſſet in lutum,
Rota peritus artifex volubili

Effinxit,

Digitized by Google

Effinxit, hunc & expolivit Urceum,
Tuo, Lyæe, dedicatum nectari.

In O. U.

Inique, inique Phormionis accola,
Cui nuda ſordet mentienti veritas,
Quid anſerina voce nimbos invocas,
Cœlumque tetra obnubilas caligine?
Quid execrata fiſus arrogantia
Purum ſuillo more flumen inquinas?
At hoc venenum fers ab incunabulis,
Calumnioſe Phormionis accola.
Sic, ſic clientes faſcinas miſerrimos,
Quos aucuparis ut facillimas aves,
Vere clientes omnium miſerrimos.
Sic uſque ad ipſam garriendo nauſeam
Obtundis aures judicum mendaciis;
Et peſtilentem viperino anhelitu
Ructas odorem, qui colonos inficit.
Nunc vero Iolam, qui tibi dicaverat
Suos ocellos, intima & præcordia,
Et ſi quid eſſet carius præcordiis,
Ritu laceſſis oblatrantium canum.
Amens Iola, cui te, Iola, ſideras?
Tanto hic bilinguis pejus angue ſibilat,
Quanto eſt patronus omnium deterrimus.
Sed o nefande Phormionis accola,
Te pœna ſero non morabitur pede,
Digna & cachinnis, & ſtrepente tympano,
Et mugiente cornu, & ære tinnulo,
Tuaque fies fabula in peninſula.
Abde erubeſcens abde vultus Phormio;

Jam jam ſalignis liber a præſepibus
Salax aſellus provehetur in forum,
Ut jubilante plebe, factoque agmine
Ridentium, clamantium, ſtrepentium,
Peninſularis iſte ſordidiſſimus
Ferat jocoſum gentibus ſpectaculum
Rudente ductus hac per urbem bellua:
Quæ conqueretur, fætidum nihil magis
Tuliſſe dorſo, ſive merce nautica
Foret gravata, ſive faſce ruſtico.
Abde erubeſcens abde vultus Phormio.
O quot videbis ova ſemiputria,
Quot ſeminoſæ cortices cucurbitæ
Roſtrum loquacis inquinare gracculi!
At tu impudice Phormionis accola
Non hæc vel aſſis æſtimabis unius:
Nam Baldus ille, quem ſequutus es ducem,
Iſthoc per urbem vectus eſt ludibrio.
Tuam quid ergo mirer impudentiam?
Hac es parente natus, hac vis emori,
Inique, inique Phormionis accola.

AD PIUM IV. PONT. MAX.

Proxime Dîs Heros, cui maximus incubat orbis,
Quique humeris vaſtum pondus Atlantis habes;
Si genita Encelado veteris non immemor iræ
Torſerit auguſtos ſæva podagra pedes:
Illine roranti plantas aſpergine lactis,
Quod dabit uberibus fida capella ſuis.
Illa Jovem in cunis aluit juvenilibus annis,
Nunc ſervare ſenem nititur illa Jovem.

AD

AD PIUM V. PONT. MAX.

Dum titubat deſeſſus Atlas ſub pondere mundi,
Et rurſum Herculeam poſcit anhelus opem;
Dî ſuperi in præceps veriti ne corruat orbis,
Indefeſſum oneri ſuppoſuere Pium.

AD CAROLUM CARD. BORROMÆUM.

Ingentem dum molem Orbis magni inſtar Atlantis
E Vaticana ſuſtinet arce Pius,
Herculeo tu more humeros ſuppone labori,
Et validis feſſo viribus affer opem.
Magne Heros, aſſueſce oneri juvenilibus annis,
Longævo imponent quod tibi fata ſeni.

AD MICHAELEM TURRIUM
Epiſc. Cenetenſem.

Mille tibi Doris ſervat conchylia ponto,
Mille tibi in ſilva paſcit Ianthis oves.
Ut cum olim procereſque inter, gentemque togatam
Te gremio accipiet Martia Roma ſuo,
Altera nympharum tibi vellera tondeat uni,
Altera Sidonio murice tingat oves.

DE EODEM.

Cum nitido candore animi reſplendeat Heros
Turrius, & niveis moribus eniteat;
Canicie natura illum nunc induit, ut ſit
Candidus interius, candidus exterius.

Digitized by Google

AD GABRIELEM FLAMMAM

Epiſc. Clodien.

Quem tibi Romuleus Princeps committit alendum,
Ablue pollutum, candide Flamma, gregem.
Ablue: nam ſordes ſimulac deterſeris, & cum
Vellera reddideris candidiora nive,
Illa tuo capiti Sarrano murice tingi,
Nuper Aventina ſanxit in arce Pius.

IN EQUUM GALLORUM REGIS.

Tu, quæ mobilibus volitas per inania pennis
Nubila, & es rapidis ocior alitibus,
O quanto huc illuc ſolito velocior ibis,
Si magni Henrici, Fama, veheris equo.

AD SILVIUM PURLILIORUM COMITEM.

Cum fueris pars magna ducum, qui clade cruenta
Aſſyriis tulerunt puppibus exitium;
Fama ſuo cycnis candore ſimillima, quæ te
Cantat ab Eoo littore ad Heſperium,
Has generoſa ſuis pennas evulſit ab alis,
Quas galeæ infigit, Martis alumne, tuæ.
Accipe dona, Heros, quibus olim fretus Achilles
Hectoreo victor ſanguine tinxit humum.

AD

AD N. ERYCUM.

Illa nivi alpinæ candore ſimillimà, quæ te
Trans rapidum Gangem Fama canora vehit,
Dum caram è levibus pennam ſibi velleret alis,
Hoc Eryci (dixit) nobile munus erit.
Scribe, Eryce, hoc calamo tua carmina: munere tali
Mæonides claram condidit Iliadem.

IN EJUSDEM OBITUM.

Finierant Eryci fatales penſa puellæ;
Cum nudam arripuit Fama canora colum.
Non defecturo quam ſtamine veſtiit: unde
Perpetuas Eryco nebit olympiadas.

DE N. SUPERANTIO.

Captus ut igne tuo flagret Superantius Heros,
Tingis Hyella comam, pingis Hyella genas.
Quære alium ſed mentis inops, qui te ardeat: illum
Virginis Aſtrææ caſtus adurit amor.

AD VALERIUM SUPERCHIUM MEDICUM.

Illa adeo formoſa Salus, qua nulla Dearum
Gratior Eois, gratior Heſperiis,
Mille tibi, Valeri, collegit Pæonis herbas,
Quas tepidus primo vere tulit Zephyrus.
E quibus, ut rores poſſis haurire ſalubres,
Gutta ſub impoſito ſtillat odora foco.

Digitized by Google

Et jubet, ut diſcedat edax è corpore languor,
Te pereunte uno, ne medica ars pereat.

FRANCISCO REGHINO PERDICES MITTIT.

Has, Reghine, alto captas in colle volucres
Semine Pæonio nutriit alma Salus.
Nutriit, ut dapibus veſcare ſalubribus, & te
Languentem triſti ſolvat ab illuvie.
Læto igitur generoſe animo cape dona Salutis,
Quarum ope longæuo tempore ſoſpes eris.
Et tua ſic omni præcordia labe carebunt,
Ut nive candidior mens tua labe caret.

AMICO CUIDAM DUOS HÆDOS MITTIT.

Hos tibi depulſos querulis à matribus hædos
Pœoniis aluit frondibus alma Salus.
Tu, ſeu forte veru torrère ſalubria malis,
Seu coquere hæc malis viſcera fictilibus,
His ale te dapibus; Divæ nam munere fretus
Viginti explebis ſoſpes olympiadas.

DE INCENDIO NAVALIS VENETI.

Quod circum Hadriacam volitent incendia turrim,
Et rutilus flammas ejaculetur apex.
Proditor horreſcat, qui ſulphure fretus Averni
Inſtruxit Venetis navibus inſidias.
Fulminis hic ardor prænuncius indicat, hujus
Criminis ultorem ſe ſtatuiſſe Jovem.

ABSTE-

ABSTEMIUM SALUTAT.

Quamvis languida ſis Thalia, quamvis
Eructes aloën modo voratam,
Veloci tamen i Thalia curſu
Abſtemi ad nitidos lares: ſed illi
Ne amarus ſapor hæreat labellis,
Os rore Aonio prius lavabis,
Mox dulci dabis oſculum poëtæ.

IN FUREM LIBELLI LAMPRIDII.

Audeat has quercus ne quis violare bipenni,
Nocturnis Hecate vecta tuetur equis.
Ut qui Lampridi numeros, & Lesbia furtim
Muſarum è gremio carmina ſurripuit,
Vinctus fune manus; & collum fune revinctus
Pendeat è triplici robore vulturibus.

DE FIDUTIO.

O modo me culti ſuſpiret muſa Fiduti,
Hæc mea fatales ſolvite penſa Deæ.
Solvite, nam fidibus quem fleverit ille canoris,
Eſt potis æternas vivere olympiadas.

DE MICHAELE BRACCETTO.

Dum Silis irriguas caneret Braccettus ad undas,
Exeruit madidum Nais ab amne caput.
Et mentis mirata nives, mirata pruinas,
Quæ nitide circum tempora vatis eunt;

Digitized by Google

Littore in hoc (inquit) tam dulci voce canentis
Non alius cycni debuit eſſe color.

AD IO. PLAZONUM.

Albo candidior poëta cycno,
Intacta nive purior poëta,
Cui Cynthi Deus, & novem ſorores
Tingunt Cecropio labella melle;
Ah ne me immemorem tui putato,
Donec Parca meos revolvet annos.
Nam te plus amo, quam meos ocellos,
Albo candidior poëta cycno,
Intacta nive purior poëta.

AD EUNDEM.

Eroſit caries, voravit ætas
Verſus, quos mea condidit Thalia,
Quos in ſcriniolo latere credis.
Namque carmina vatis imperiti
Vident interitum ſuum repente:
Sicut carmina vatis eruditi,
Qualem ſæcula noſtra te tulerunt,
Suum nunquam obitum videre poſſunt.

IN POCULUM AUREUM BENEDICTO VARCHIO A CARD. MENDOTIO DONO DATUM.

Quam ſacer è puro dederat Mendotius auro,
Vidit, & admovit Cynthius os pateræ.
Mox ita: Caſtalios hoc uno munere rores
Hauriat, hoc uno Varchius ambroſiam.

IN

IN EUNDEM.

Pocula Tyrrheno Mendotius aurea vati
  Cum daret, implevit rore Thalia ſuo.
Vos alii (dicens) haurite Helicona poëtæ
  Fictilibus: diti Varchius ære bibat.

FRANCISCO MELCHIORI.

Per juga, per rupes, per celſa cacumina Pindi
  Veloci nimium dum pede curris iter,
Me tua ſervantem lento veſtigia greſſu
  Melchior expecta, Melchior affer opem.
Neve cadam in præceps, tremulo mihi porrige dextram:
  En titubant feſſi languida crura ſenis.
Quod ſi forte meæ ſupereſt ſpes nulla ſalutis,
  Et ſum Lethæas ebibiturus aquas;
Ah querulo ſaltem deſle mea funera cantu,
  Et mea lugubri carmine fata geme.
Nam ſi me exanimem cithara cantabis eburna,
  Poſt obitum invita morte ſuperſtes ero.

DE GABRIELE ALTILIO.

Protulit Altilium, quæ protulit ora Maronem;
  Protulit una duos, abſtulit una duos.
Felicem eventum ſortita eſt utraque tellus,
  Altera per cunas, altera per tumulos.

DE ROBERTELIO, qui dixerat, frigidos ſibi videri quinque Poëtas illuſtres.

Quid mirum illuſtres ſi friget veſtra poëtæ,
 Si fervet tumidi muſa Robertelii?
Ille mero aſſidue fauces irrorat obeſas:
 Ebibitis gelidas vos Heliconis aquas.

DE SINGULARI CERTAMINE MARTII COLLORETI, ET FREDERICI SAVORNIANI.

Cum gemini juvenes, peperit quos Julia tellus,
Ambo pares animis, invictis viribus ambo,
Effoderent nudum per mutua vulnera pectus;
Vidit, & ex alto veniens Pax aurea cœlo
Sanguine rorantes pugnantibus abſtulit enſes,
Ac tali ambiguum certamen voce diremit:
Eſte pares in amore, pares velut eſtis in armis.

IN ANIMI DEFECTUM UXORIS.

Languentem Annibalem mater dum perdita luget,
 Ne, famulæ, immemores eſte gementis heræ.
Obſervate illam, rapido ne ſe obruat amne,
 Neve ſuos nudo finiat enſe dies.
Me miſerum! celeres accurrite. marmore conjux
 Frigidior medio ſtrata jacet thalamo.
Ferte citæ Aſſyrio fragrantia pocula ſucco:
 Spargite rore genas, ſpargite rore ſinus.
Erigite exanimem: manibus pars vincula nectat:

Pars

Digitized by Google

Pars gelidis nectat vincula poplitibus.
Surge hilaris conjux, querula te voce requirit
Annibal: ad carum flecte iter Annibalem.
Cernite: ſuffuſos lacrymis recluſit ocellos,
Dilecti nomen ſenſit ut Annibalis.
Dî, puerum ſervate. illo pereunte verendum,
Ne puer, & genitrix, & pater intereat.

TUMULUS ALOISII TURRII.

Qui Turri miſeranda paras dare membra ſepulchro,
Ne Parium lapidem, neu marmor quære Laconum:
Illum illum obſerva, ſicco qui lumine tranſit,
Nam lapis eſt, urnamque illo de marmore conde.

IN OBITUM LUCINÆ VIRGUNCULÆ.

Nunc gemina in cœlo fulget Lucina: puellis
Una favet nuptis, altera virginibus.

DE ACONE NAPEN LUGENTE.

Hæc, Zephyri, illacrymans vobis colocaſia, vobis
Lilia textilibus ſpargit Acon calathis.
Vos, dum mobilibus vecti per inania pennis
Prata coloratis floribus induitis,
Vobiſcum miſeri ſuſpiria ferte bubulci,
Dum gemit extinctam perditus ille Napen.

TUMU-

Digitized by Google

TUMULUS AUFIDI.

Bacchi ſatelles cum periret Aufidus,
Supplex rogavit, ut cadaver illius
Quieſcat hoc in dolio, qnod antea
Plenum falerno millies inaniit.

EPITAPHIUM PHILOMELÆ.

Lenierat Ditis querulis concentibus aures
Garrula, trans Lethen dum veheretur, avis.
Annuerатque illi captus dulcedine vocis
Æacus, illicitam poſſe redire viam.
Et jam vitales iterum rediiſſet in oras,
Remigium alarum ni lapis oppimeret.

HOROLOGIUM PULVEREUM, TUMULUS ALCIPPI.

Perſpicuo in vitro pulvis qui dividit horas,
Dum vagus anguſtum ſæpe recurrit iter,
Olim erat Alcippus, qui Gallæ ut vidit ocellos,
Arſit, & eſt cæco factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis, miſeros teſtabere amantes
More tuo nulla poſſe quiete frui.

IDEM,

Digitized by Google

IDEM, IOLÆ TUMULUS.

Horarum in vitro pulvis nunc menſor, Iolæ
 Sunt cineres: urnam condidit acer Amor.
Ut, ſi quæ extincto remanent in amore favillæ,
 Nec jam tutus eat, nec requietus amet.

PALLADI ET APOLLINI.

Hanc oleam formoſus Acon tibi, caſta Minerva,
 Ille idem hanc oleam, Phœbe, tibi inſeruit.
Tu, Dea, crudeles paſtorum averte bipennes:
 Tu teneram miti, Sol, ale temperie.
Quod ſi unquam domino fœcunda adoleverit arbos,
 Si cum creſcenti ſtipite creſcet Acon,
Humida non deerunt bibulæ fomenta lucernæ,
 Quæ procul invita nocte fuget tenebras.
Dumque aliis molles ſuadebunt ſidera ſomnos,
 Non poterit deſes vincere Acona ſopor.
At, ſi veſtra aderunt dii numina, diſcet, Apollo,
 Ille tuas artes, ille, Minerva, tuas.

DE JUVENCA.

Magna Jovis conjux, ripis ſi forte ſub altis
 Seu Naucele tuis, ſive Timave tuis,
Videris errantem niveo candore juvencam;
 Parce: ſub hac tegitur nulla puella bove.

AD GELLIAM.

Illa tua horrendam facies imitata Megæram,
 Corycii ſemper ſparſa colore croci:
Ille tenax, olidis ſtillat qui naribus, humor,
 Aſſiduo linctu quem tua labra bibunt:
Illa è rugoſis palearia pendula mammis,
 Quæ redolent cepas, allia quæ redolent:
Sunt validæ antidoti, ſunt, Gellia, Pæonis artes,
 Quæ prohibent, ne me cæcus adurat Amor.

AD MARIANUM.

Seu niveos, Mariane, ſinus, ſeu candida nudet
 Brachia, ſeu blando rideat ore Nape:
Incautos averte oculos; ne callidus auceps
 His laqueis, hac te compede nectat Amor.

DE GEMELLIS FRATRE ET SORORE LUSCIS.

Lumine Acon dextro, capta eſt Leonilla ſiniſtro,
 Et potis eſt forma vincere uterque deos.
Blande puer, lumen, quod habes, concede puellæ:
 Sic tu cæcus Amor, ſic erit illa Venus.

DE URSA PUELLA.

Luceat Urſa aliis ſeptem dilecta trioni,
 In me oculos flectit clarior Urſa ſuos.

Illa

Digitized by Google

Illa iter infauſtum nautis oſtendit avaris:
Hæc mihi felicis monſtrat amoris iter.

IN OLEAM.

Vix olea hæc humiles æquabat vertice dumos,
Cum tenero incidi cortice Leucothoen,
Nunc erecta ſolo quantum ſe attollit in auras,
Tam cum creſcenti ſtipite crevit amor.

DE SUIS LACRYMIS.

Hoc quoties ſe fonte videt formoſa Lycoris,
In lacrymais toties ſe videt illa meis.
Nam tot ego his oculis fudi miſerabilis imbres,
Ut me conſumpto fons novus exierit.

DE LYCORIDE.

Fert nitido duo poma ſinu formoſa Lycoris,
Illa eadem nitido fert duo fraga ſinu.
Sunt mammæ duo poma: duo ſunt fraga papillæ:
Poma nives vincunt, fraga colore roſas.
Hæc Amor exugens, valeant, ait, ubera matris:
Dulcius his manat nectar ab uberibus.

DE DUABUS AMICIS.

Me lætis Leonilla oculis, me Lydia torvis
Aſpicit: hæc noctem nunciat, illa diem.
Has Cytherea meo ſtellas præfecit amori:
Hæc meus eſt Veſper, Lucifer illa meus.

DE HYELLA.

In me oculos quoties vertit meus ignis Hyella,
  Suſpirat toties ignis Hyella meus.
Hinc flammæ, quas illa ſuis jaculatur ocellis,
  Me redigunt auctæ flatibus in cinerem.

DE EADEM.

Non incerta mei video præſagia leti:
  En mihi funeſtum nunciat omen Amor.
Nam gelidæ ſectata feras per frigora brumæ,
  In nive dum nomen fingit Hyella meum;
Protinus ardentes oculis jaculata favillas
  Igne ſuo inſcriptum nomen Hyella liquat.

DE ACONE, ET LEONILLA.

Ut fugeret fervorem æſtus ſub ſidere cancri,
  Nudus in algenti flumine nabat Acon.
Qui ſimulac alto Leonillam in littore vidit,
  Ah miſer in gelidis ferbuit uſtus aquis.

DE IOLA, ET GALLA.

Abditus in dumis dum ſibila promit Iolas,
  Et viſco incautas fallere tentat aves.
Detexit niveas fortè obvia Galla papillas,
  Quæ miſero exhalantem eripuere animam.
Inſidias, volucres, quid adhuc horretis Iolæ?
  Illum Galla ſuo perdidit aucupio.

DE

Digitized by Google

DE GALLA.

In me Galla ſuos ut primum flexit ocellos,
In me eadem geminas eſt jaculata faces.
Hinc ego tam metuo glacialis frigora brumæ,
Quam timet hibernum Sicelis Aetna gelu.

AD EANDEM.

Galla, tibi totus ſua munera dedicat annus:
Ver roſeas malas, & labra rubedine pingit:
Mille oculis ignes radiantibus imprimit æſtas:
Autumnus duo poma ſinu, duo fraga recondit:
Quod reliquum eſt, aſpergit hiems candore nivali.

AD EANDEM.

Heſterno indueres cum veſpere tegmina lyncis,
Credideras amens, Galla, fugaſſe gelu.
Heu te non hiemis, non brumæ tædia lædunt,
Sed tuus interno frigore ſanguis hebet.
Nec potis eſt glaciem vis ulla arcere medullis,
Cum non ipſa ſuo ſit potis igne Venus.

DE EADEM.

Mirabar, qua Galla rubum ſibi velleret arte;
Cum latitans in me ſpicula torſit Amor.
Eque ſinu exiliens, Quod ſentis, perdite Damon,
Non alio (dixit) Pæone vulnus eget.

Digitized by Google

DE EADEM.

Venatu leporum, venatu laſſa ferarum,
Murmur ad irriguæ Galla quieſcit aquæ.
Texite vos illi virides umbracula quercus,
Tu ſacer, arguto labere fons ſtrepitu.
Sic iterum Hyblæi vobis è cortice rores:
Sic tibi nativo lac fluat è lapide.

DE EADEM.

Texebat mihi Galla roſas, nec bina negarat
Oſcula, cum miſeræ labra momordit apis.
Invida apis, ne turpe puta dulcedine vinci,
Invida ne Gallæ læde labella meæ.
Tu ſi mella tuis occultas roſcida cellis,
Cœleſtem illa ſuis occulit ambroſiam.

AD EANDEM.

Et calathum, & molli vibrandos pollice fuſos,
Quaſque tibi invideat cærula Doris acus,
Mane domum referes, ſi cari in ſepta Lyconis
Te ſero attulerint veſpere, Galla, pedes.

AD

AD SOMNUM.

Hoc tibi Lethæo perfuſum rore papaver,
Hæc annoſa tibi, Somne, falerna dico.
Tu face, nocturnos Meroë dum garrit ad ignes,
Morſaque vibrato pollice penſa trahit,
Ebria fabellas, quas cœperit, interrumpat,
Deſerat & pigro victa ſopore colum.
Expleritque ſuum donec nox humida curſum,
Dormiat, ut Gallæ tutus amore fruar.

DE ACONE

Dum queritur rapuiſſe lupum ſibi Galla capellam,
Et gemit, & flenti fons cadit ex oculis;
Audiit infelix, & ſeſe è rupe daturus
Præcipitem, prono jam capite inquit Acon:
O modo me lacerum ſuſpiret Galla, cruentis
Faucibus hæc avidi membra vorate lupi.

DE EODEM.

Cum neque muneribus, dulci nec arundine Gallam,
Nec lacrymis Gallam flectere poſſet Acon;
Se miſerum querno ſtatuens ſuſpendere trunco,
Et jam cervicem fune revinctus, ait:
Hanc execratis animam fornacibus Orci,
Hæc dat Acon rapidis viſcera vulturibus.

Digitized by Google

DE EODEM.

Trans Styga Tiſiphone miſerum dum torret Acona,
Et ſuperinjecto ſulphure flammam acuit;
Ille ardens, tercentum Erebi mirantibus umbris,
Clamat, adhuc Gallæ ſævior ignis erat.

JO.

JO. BAPTISTÆ AMALTHEI CARMINA.

Digitized by Google

Sex Eclogas, quæ primo loco poſitæ ſunt, ſciat Lector, primæ adoleſcentiæ fœtus fuiſſe.

Digitized by Google

LYCIDAS.

EREPTAM ſilvis, ereptam dulcibus agris
Dicemus Lycidæ muſam, quem flumina circum,
Quem flevere ſuo ſpoliati gramine colles.
Tu modò, cui patriæ ſurgunt jam libera regna,
Blandaque pacato ridet Concordia vultu,
Coſme ades, & noſtris nunc primum allabere votis.
Ipſe tibi irriguo ponens in margine templum,
Qua virides ſaltus fluvio ſecat Arnus amœno,
Velocis quondam inſtituam certamina curſus.
Illic victor ovans quæſitæ inſignia laudis
Accipiet, populiſque ſuos teſtatus honores,
Victrices referet Tyrrhena per oppida lauros.
Interea agreſtes ne dedignare Camœnas.
  Aurea vix primo cedebant ſidera Soli,
Cum Lycidas terras juſſus luſtrare repoſtas
Effudit miſeros extremo hoc carmine queſtus.
  Formoſi colles, & Nymphis hoſpita rura,
Et liquidi fontes. atque abdita fontibus antra,
Silvarumque valete umbræ, quæ dulcia nobis
Ocia, quæ caros olim peperiſtis amores.
Jam me complexu eripiunt fata impia veſtro,
Ut videam iratas errantia monſtra per undas,
Deſertoque iterum mœſtos in littore queſtus.
Quod ſi quando ima audiſtis ſub rupe canentem
Paſtorem Lycidam, teneros dum paſceret agnos:
Idem ſi tenui vobis alluſit avena:
Hoc ſaltem viridi ſignatum in cortice carmen,
Suſpenſamque ſacra lauro defendite avenam,

Quam non ulla dies ſuperet, non ulla vetuſtas.
Hinc ego ad ignotos ſaltus, & vaſta Pyrenes
Rura vocor: (quis enim tanto caruiſſe receſſu,
Et ſeſe dubiis committere fluctibus ultro
Crederet, ah, miſerum Lycidam?) feliciaque arva
Deſerere, & notis cogor decedere ſilvis.
Ipſe igitur pecudes alio ſub Sole requiram,
Externaſque petam diverſa per æquora terras.
Nec mihi jam blando decurrens murmure rivus
Herbarum in gremio ſuadebit carpere ſomnos;
Nec teneris poſthac incidam Amaryllidis ignes
Arboribus, quam mille greges comitantur euntem:
Quæ mecum inter oves, atque inter opaca ſalicta
Suerat odoratis intexere lilia ſertis,
Aut defeſſa levi componere membra ſopore.
Ah dolor! & patriæ fines, & commoda curis
Parta meis, ſemperque virentia prata relinquam;
Scilicet ut ſurdis jactem lamenta procellis,
Et patrias medio ſuſpirem in gurgite ſedes.
Me non excipient herboſo in margine ripæ,
Non ſalientis aquæ gelida ſub rupe ſuſurrus,
Non dorſo nemoris ſolabitur aura jacentem.
Spirabant dulces Zephyri, ſpirantibus illis
Cantabam, quo Sole pyrum, quo ſidere vitem
Inſererem, & certis mandarem ſemina ſulcis.
Vos veris comites auræ divumque miniſtræ,
Quandoquidem cœlo infertis mortalia vota,
Vos placidæ ſalvete auræ, mecumque per æquor,
Atque per inſuetos mecum decurrite campos.
Huc gemitum, & noſtras referetis ſæpe querelas,
Quos fors accipiet madidis Amaryllis ocellis.
O mihi, ſi veteres recolens Amaryllis amores,
Et noſtri deſiderio crudelius ardens

Illacry-

Digitized by Google

Illacrymet, ſi ſollicito ſuſpiria corde
Ducat, & inſanis revocet me triſtis ab undis!
Forſitan indignos terræque, mariſque labores
Hinc tandem querar: & vacuo reſupinus in antro
Te fugiente die, te decedentibus aſtris
Tunc, Amarylli, canam, ſed jam his divellor ab agris.
Rura valete iterum: ſic vobis mella geniſtæ,
Sic inarata graves tellus effundat ariſtas;
Pabulaque ut longo tondent ſub Sole juvenci,
Exigua ſic nocte novis ros veſtiat herbis.
Aurea mala prius ſterili naſcentur in alno,
Atque inculta ferent mites dumeta racemos,
Quam veſtri curam abjiciam. tamen altera rura
Ipſe colam, audaci permenſus cærula pinu.
Ergo & oves cuſtode alio per pinguia prata
Errabunt, paſtæque ſimul cava in antra redibunt.
Tu verò ſpes fida gregis, quæ nam arva pererres
Infelix aries? quis te in convalle reducta
Nunc molli viola, croceis nunc floribus ornet?
Gramineoſque toros viridi de ceſpite ponat?
At vos o lauri, quarum fragrante ſub umbra
Et noſtra inſolitis caluerunt pectora flammis,
Noſtraque Mænalios meditata eſt fiſtula cantus,
Sic ver aſſiduum foveat, neu frigora lædant,
Neve unquam læto rami ſpolientur honore.
Ipſi etiam auratis aſſurgant cornibus amnes
Supra Indum, & Gangem, lacrymis quos ſæpe profuſis
Auximus, & noſtro latè ſuccendimus igne,
Cum me ad delicias, formoſa Amarylli, vocares.
Nunc verò, quoniam ſuperi tot gaudia nobis
Invidere, trucis tentare pericula ponti,
Inque Pyrenæo conſidere vertice, certum eſt.

ACON.

A C O N.

O qui Dictæi ſtatuat me in vertice montis,
Aut fortunatos Erymanthi ſiſtat ad amnes,
Ut ſaturis panacen calathis, ut molle cyperum,
Dictamumque legam, & fragrantia germina myrrhæ,
Et relevem infirmos artus languentis Hyellæ?
Illa quidem vix ægram animam ſuſtentat anhelo
Pectore, & indignis ſingultibus interrumpit;
Nec vis ulla poteſt ſævum lenire dolorem.
Illam etiam lacrymantem, etiam ſua fata querentem
Stellarum vigiles ignes, & primus Eous,
Et Sol Heſperias vidit devexus ad undas.
Sol pater, æterno cœlum qui lumine luſtras,
Et quæcunque parit tellus vegetaſque, foveſque,
Adfer opem, & mœſtam auxilio ſolare puellam.
Jam tibi Acon teneras vicina ad flumina lauros
Inſeret, atque ut nil unquam ſurgentibus obſtet
Frondibus, avertet glaciem, & defendet ab æſtu.
Has tibi Acon. at ſi macies, ſi pallor Hyellam
Liquerit, & niveos decorarit purpura vultus,
Ipſa feret, cum ver nitidis ſe floribus ornat,
Ipſa feret, mites cum ſtringit vinitor uvas.
Scilicet & viridi in ripa, qua ſe hoſpita denſis
Extendit ramis arbos, altaria ponet,
Semper flore novo, ſemper quæ veſtiat herbis.
Illic agreſtum chorus, & vicinia ruris
Sacra feret, ſupplexque tuos cantabit honores;
Straveris ut quondam iratis Pythona ſagittis,
Tinxeris & fœdo victricia tela cruore.
Mille tibi aëria pendebunt ſpicula quercu,
Mille arcus, atque apta ſuo venabula ferro.

At

Digitized by Google

At vos, quæ nemora, & rorantia fontibus antra
Incolitis Nymphæ, veſtras ſi ſæpius aras
Verbena, primiſque roſis donavit Hyella,
Et dedit aureolis inſignia ſerta corymbis,
Vos ferte Eoos ditantia cinnama lucos,
Felicemque Arabum meſſem, Aſſyrioſque liquores.
Vos ægram refovete, & triſtes pellite morbos.
En virgo, exanimis virgo, tabeſcit, & ille
Ille decor roſeo jam jam defloruit ore.
Qualis purpureus ſecreta in valle hyacinthus,
Quem mater tellus aluit, gremioque receptum
Eduxit largo rore, & felicibus auris,
Si cœli invaſit vitium, aut immanior Auſter,
Paulatim lento formæ ſpoliatus honore
Deficit, & moriens arentibus incubat herbis.
Nunc etiam inſuetos teſtantur rura dolores,
Et deſolatis ſqualeſcunt pabula campis:
Pro viola mediis horret paliurus in agris:
Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrſo:
Et nulla irriguas pingunt vaccinia ripas:
Et deſunt nemori frondes, & gramina pratis.
Fons quoque deſiliens prærupti tramite clivi
Contraxit liquidas nunc terræ in viſcera venas,
Et deſiderio formoſæ accenſus Hyellæ
Vix fertur tenui per levia ſaxa ſuſurro.
Abde caput miſerande, & fracta turbidus urna
Muſcoſo occultare ſitu, cæciſque latebris:
Non eſt, quæ vitreis tecum colludat in undis.
Abde caput miſerande, cavoque incluſus in antro
Et lucem indignare, & aperti lumina cœli:
Non eſt, quæ blando currentem carmine ſiſtat:
Non eſt, quæ dulces latices dulci hauriat ore.
Crudeles morbi, veſtro de ſemine labes

Digitized by Google

Inſedit roſeiſque genis, roſeiſque labellis,
Dejecitque deorum oculis, & ſævior eheu
Ingruit, & miſeram ſilvis avertit Hyellam.
Ah ne dira lues contagia proferat ultra:
Ah ne artus ultra, pallentiaque occupet ora.
Parcite jam teneriſque genis, teneriſque labellis,
Et color, & pulchræ redeat ſua gratia formæ.
  Tu vero, mea Hyella, meæ pars altera vitæ,
Pone metum, en tibi Pæonios fert munera ſuccos
Ipſa Pales, alacreſque ferunt ſua dona Napææ,
Coſtumque, Illyricamque irim, veſcumque papaver,
Quorum ope & effœto fugiant è corpore morbi,
Et placidus feſſis obrepat ſomnus ocellis.
Jamque pedem in ſilvas referes, notoſque receſſus,
Adventuque tuo fonti curſum uberis undæ,
Et nemori frondes, & pratis gramina reddes;
Et fœcunda novis ridebunt frugibus arva,
Et tibi odoratos ſubmittet terra colores.

C O R I D O N.

EN iterum me rura vocant, dulceſque receſſus,
Et juvat agreſti meditari carmen avena
Propter aquam, umbroſo qua lenior aura ſalicto
Murmurat, & liquidis Atheſis circumfluit undis.
  Tu quoque, dum magnus tibi ſuggerit ocia Cæſar,
Madruti Heroum genus, & diis æmula proles,
Paſtorum aſſueſce hoſpitiis, atque arboris umbræ.
Hic paſſim in molli ponent altaria ripa
Agricolæ, & plenis ſtatuent convivia menſis;
Ut tibi lacte novo libent, & pinguibus agnis,
Solemneſque ferent pompas, ne ſidera divis
Invideas, ſed & ipſe hominum jam vota ſecundes.

Ergo

Ergo ades, & tenuis luſus ne deſpice muſæ.
Nam fortunati moles ubi celſa Tridenti
Tollitur, hæc vacuas Coridon jactabat ad auras.
  Felices auræ, quæ circum roſcida culta
Mollibus incinctæ Zephyris, & vere perenni
Æternos alitis flores, & amœna vireta,
Vobis Idalia è myrto, ac Peneide fronde
Conſtituit lucum, viridique è ceſpite ponit
Septem aras Coridon muſcoſi fontis ad undam:
Vos lenite æſtus, atque alludente ſuſurro
Mulcere ardentis radiantia lumina Solis.
Sic nunquam veſtros obſcurent nubila curſus,
Sic tellus vobis, ſic vobis rideat æquor.
  Jam ſilvas mea Niſa colit, jam cincta pharetram
Audet obire nemus, celereſque avertere damas;
Nec timet ingentem clamore impellere cervum.
Invideo vobis auræ: adſpiratis eunti.
Illa petit montes, & inhoſpita luſtra peragrat
Venatrix arcu inſignis, levibuſque ſagittis;
Et ſive aëriæ luſtrat latera ardua rupis,
Seu vaſtos nemorum ſaltus indagine cingit,
Vos fidæ comites eſtis, ſociæque laborum.
  Audax heu nimium! ſolos errare per agros,
Et ſumma intonſi ſuperare cacumina montis,
Haud tutum eſt. hic torvus aper conſurgit in armos:
Multa hic monſtra acuit rabies, & dira cupido:
Multæ hic inſidiæ. non eſt Dea neſcia fraudis,
Quæ violas, Siculaque legens nova ſerta ſub Ætna
Infelix rapta eſt horrentes Ditis in umbras:
Infelix timuit manes, & triſtia regna:
Infelix latè ardentes exhorruit amnes.
  Tu quoque, ſæve Aquilo, per devia rura vagantem
Arripuiſti avidis complexibus Orithyiam.

Sæve Aquilo, hinc averte dolos, & flamina pone.
Vos vero tenues animæ rorantibus alis
Et cœlo regnate, & iniquum arcete calorem.
Invideo vobis auræ: vos carmine blando
Detinet, & roſeis exceptat Niſa papillis,
Aut gremio herbarum, aut vacuo projecta ſub antro.
Illic & noſtros ſecum meditatur amores:
Adſurgunt ſilvæ, & tacito ſtant gutture circum
Intentæ volucres, & curſus flumina ſiſtunt;
Dum canit, arridet pleno tum lumine cœlum.
Nunc intertexto vaccinia pingit acantho,
Nunc gaudet niveis cultum variare liguſtris,
Nunc etiam gracili calathos detexere hibiſco.
Quod ſi languentes ſomno declinat ocellos,
Paulatim rapido feſſam refoveris ab æſtu;
Et læto ambroſios motu ſpiratis odores.
Invideo vobis auræ: luſtratis opaca
Silvarum hoſpitia, incuſtoditoſque receſſus,
Et noſtis, quo Niſa jugo, qua valle reſidat.
Illa quidem duris ſeſe venatibus aptat,
Cum matutino perfundit gramina rore
Lucifer, atque avium reſonant concentibus agri.
Sed prius inflexo quam lucos terreat arcu,
Arbuteis aries evinctus cornua ſertis
Florentem ad cythiſum, atque ad pabula nota vocatur.
Fortunate aries, te non felicior alter;
Non qui per tumidas aurato tergore Phryxum
Vexit aquas, & nunc ſomoſa intermicat aſtra.
Te virides hederæ, te mollis amaracus ornat,
Et modo laſcivo detondes paſcua morſu
Aſſuetus campis, placidi modo ſibila venti
Excipis, & pulſæ miraris murmura ſilvæ.
O ego ſi poſſem niveo tua vellera dorſo

Induere,

Induere, & patulæ prætendere cornua fronti,
Cum ſe nocte domum prædis onerata cruentis
Niſa refert, & te conſueta ad ſepta reducit!
Tunc mihi porrigeret ferrugineos hyacinthos,
Ridenteſque crocos, tunc oſcula dulcia furtim
Virgineis ferrem manibus, lætuſque petulco
Proſequerer curſu properantem ad tecta puellam;
At vos o magno natæ Iove, vos ego multa
Sæpe prece, & vario venerabor munere florum,
Felices auræ, quæ circum roſcida culta
Mollibus incinctæ Zephyris, & vere perenni
Æternos alitis flores, & amœna vireta.

SARNUS.

Has inter ſalices vacua projectus in umbra,
Dum placidæ ſpirant auræ, proniſque ſuſurrat
Flumen aquis, miſeros Sarni meditabor amores:
Utque ſuo lacrymans de nomine fecerit amnem,
Has inter ſalices referam projectus in umbra:
Tu mihi, ſeu veteres miraris Tibridis arces,
Seu jam Pauſilypi lætis in collibus erras.
Annue, Mænaliam non aſpernatus avenam.
Ipſe tibi (niſi fata vetent) incognita menſus
Æquora, & optata quondam tellure potitus
Tercentum Hadriaco deducam è littore puppes,
Certantes curſu puppes, oſtroque decorus
Victori pretium ſtatuam, & nova munera ponam
Stans celſo in ſcopulo, ac notas procul ære ciebo.
Nunc vero, Cervine, humilem ne deſpice muſam.
Namque olim gelido feſſus ſucceſſerat antro
Sarnus, & argutis complebat ſaxa querelis,
Lyriopen fruſtra per devia rura ſequutus,

Lyriopen, qua nec melior quæ flecteret arcus,
Nec fuit intacta præſtantior altera forma.
Viderat hanc maleſanus amans ſub valle jacentem,
Ut forte acclivis gremio conſederat herbæ,
Viderat, & ſubitum defecta per oſſa furorem
Corripiens, tacitoque dolos in pectore verſans
Explorabat iter, facileſque ad furta latebras.
Illa ubi ſe viſam agnovit, jam conſcia fraudis
Erubuit, totoſque repente expalluit artus;
Atque exoſa virum, & volucri pernicior Euro
Præruptos ſuperat montes, & inhoſpita luſtra.
At Sarnus, quamquam & ſenio genua ægra labant, &
Diffugiens virgo ſaltus evaſerat altos,
Lyriopen tamen inſequitur ſpe captus inani.
Quem poſtquam invalido ſenſit confidere curſu
Aëriis aſſueta jugis, & credita certæ
Nympha fugæ, ſumma è ſpecula ſe oſtentat amanti,
Brachiaque enudat puro candore recentes
Exceſſura nives, quas nec violaverit æſtus.
Interea impatiens exuritur acrius Heros:
Ac veluti arentes ſi quando decidit ignis
In ſtipulas, rapidæ creſcunt per pabula flammæ,
Non aliter majora ſenex incendia paſcit.
Quid faciat? ſentit gravius caluiſſe medullas,
Et defeſſa novo ſuccumbere membra labori.
Quid faciat? duræ ſuperanda cacumina rupis
Proſpicit, accenſoque trahens ſuſpiria corde,
Incuſat deſerta loci, quo candida virgo,
Et ſperata vocant ſolatia. tum furit amens,
Affectatque viam, & curſu nemora avia tranſit.
Jamque alacri propior nymphæ ſuſpirat, & eheu
Gaudia nequicquam viſus ſperare, quid, inquit,
Ocyor effugias? neque enim induluiſſe precanti

Te

Te modo pœniteat, cui ſit mea forma pudori.
Me quoque (ſi quid id eſt) Nerei pulcherrima proles
Deperit Eurynome, quæ largo nectaris hauſtu,
Et latis pelagi campis donaret amantem.
Illa tamen fugitura ſenem ridebat anhelum;
Tum ſe proripiens, ſtudioque intenta ferarum
Quæſivit ſocias obſcuro tramite nymphas.
Verum ubi deceptos cognovit Sarnus amores,
Infelix (quid enim tanto ſupereſſe dolori?)
Ingentemque dedit gemitum, & divertit ad antrum,
Vaſtum immane antrum, clauſumque horrentibus umbris.
Illic ſollicito cautes plangore replebat,
Lyriopen, cum ſe è magno Sol gurgite tollit,
Lyriopen ſub nocte querens, atque irrita vota,
Et lamenta leves fruſtra jactabat ad auras.
Heu quid Amor miſerum torques? quin, vita, querentem
Deſeris, & tantos mavis abrumpere luctus!
Ah quoties ſub rupe, ſuos dum fleret amores,
Illum deſerta proſtrati Panes in herba,
Illum etiam Nymphæ deploravere per agros,
Exanimes Nymphæ, deſolatumque ululatu
Implevere nemus; viduataque frondibus arbos
Aruit, & nullæ ſilvas coluere Napææ.
Hinc exhauſta ſenis conſumptaque lumina fletu
In fontes lacrymarum abeunt: hinc corpore toto
Liquitur, & vaſto tandem diffunditur antro,
Et vada jam pleno Sarnus perlabitur amne.

SILIS.

Aureus è roſeo fulgebat Lucifer axe,
Et matutina reſonabant alite ſilvæ,
Cum nondum orta dies ſubluſtri ſidera cœlo

Diſcutit, extremæque terit confinia noctis.
Tum primum ecce Silis liquidis ſeſe extulit undis
Ingentes humeros glauco velatus amictu,
Centum cui vitreis famulantur Najades undis.
Pars violam, & variis texunt vaccinia ſertis,
Sacraque nectareo perfundunt membra liquore:
Pars etiam aurato deducunt ſtamine fila,
Aut ſaturant Tyrio Mileſia vellera ſucco,
Cymodoce, Xanthoque, Thœque, & cærula Drymo,
Atque Ephyre, atque Hyale, flaviſque Arethuſa capillis.
Quas inter Galatea novos experta hymenæos
Enitet, & molli componit lilia muſco.
At pingit nitidis variata monilia gemmis.
In medio Silis undanti late imperat amni:
Cui torvam adſtringunt argentea cornua frontem,
Centenique fluunt herboſo è pectore rivi.
Ille alta ſub rupe jubet conſiſtere circum
Flumina: quo juſſu curſus frænantur aquarum,
Et ponunt taciti ſtrepitantia flamina venti.
Tum canit, ut Clymenes olim correptus amore
Sol modo purpureum revocarit ab æquore currum
Serius, auricomæ gremio Nereidis hærens,
Et modo, dum notas rapidus deflectit ad undas,
Lucis iter ſpaciumque ſui contraxerit orbis.
Tum miſeram Halcyonem, & cari conjugis umbram,
Demerſamque refert mediis in fluctibus Hellen.
His infelices adjungit Adonidis auſus.
Sæpe Venus puerum, triſti deterrita fato,
Ad tenerum amplexum, atque ad dulcia furta vocabat:
Parce puer ſilvis, ſunt multa pericula ſilvis:
Huc ades, & mecum placido junge oſcula luſu.
Ah tibi ne rapidis urantur ſolibus ora,
Neu ſævo occurras denſis in ſaltibus apro.

Ille

Digitized by Google

Ille tamen plena geſtans venabula dextra
Nunc juga montis obit, nunc horrida luſtra peragrat,
Sectaturque feras; nec ſera nocte reverſus
Occidit heu rapido demum confoſſus ab apro.
Fleverunt nemora, & ſpoliati gramine colles,
Et Nymphæ inſolitis implerunt arva querelis.
At Dea fracta metu, & ſubito exanimata dolore
Devolat, indignaque videns jam cæde tepentem
Ingemit, & formæ divinum exuta decorem
Corpus inane fovet, terraſque & ſidera damnat.
Tum canit, ut blandus vexiſſet Ariona delphin,
Et Methymnæos audiſſet ab æquore cantus.
Tum fugientem acri compellat Theſea queſtu:
Perfide, quid ſolam deſerto in littore amantem
Liquiſti? nec te morituræ fata puellæ,
Nec te conſcia mens, nec te perjuria terrent?
Flecte ratem, male grate hoſpes; da lintea retro.
Nonne vides puppim invito contendere ponto,
Nec tantum perferre nefas? & conjugis eheu,
Ad mœſtaſque preces, atque ad pia vota reflecti?
Illa quidem, male grate hoſpes, te à morte redemit:
Illa tibi primos etiam donavit amores.
Flecte ratem; cupit inſuetis objecta periclis
Per freta cæca ſequi fugientem, & brachia tendit
Credita jam jam undis, vaſtumque ingreſſa profundum.
Tum quercus, Dodona, tuas, Phœboque ſacratam
Ortygiam, Nilique refert ſeptemplicis ortus.
Te quoque, cui Venetum imperium debetur, aperto
Deducit pelago: tibi ſubjicit ultima Thules
Littora, & Oceani magnas promittit habenas.
Macte animo, Federice, tibi Neptunia regna,
Et quæcunque oriens luſtrat, quæcunque cadens Sol,
Parebunt, orbiſque æterna pace fruetur.

Te duce, caſta Fides cum fecerit ocia terris,
Aurea reſtituent concordes ſæcula Parcæ:
Et præceps toto fugiet Diſcordia mundo.
Perpetua tunc lætus ager flaveſcet ariſta,
Tunc Hyblæa cava manabunt ilice mella,
Et ſteriles ſalices pingueſcent germine myrrhæ.
Tunc impune lupis audax miſcebitur agna:
Cyaneas etiam cautes, Scylleaque ſaxa
Tranſmittent tuto volitantia carbaſa ponto,
Nec pelago abruptas horrebit nauta procellas.
Felices tali rerum ſub principe gentes,
Tuque adeo felix hoc tanto munere princeps.
Quid caſum Phaëthontis, & horrida vincula narrem
Andromedes? Thamyramve, ſuo qui orbatus honore,
Muſarum quondam ultrices agnoverit iras?
Omnia quæ Venetis Proteus cantarat in undis,
Forte ut Carpathio deceſſerat æquore vates,
Ille refert: plauſum ingeminant lætæ undique ripæ
Vicinumque nemus, donec ſe fluminis alveo
Condidit, & pronos curſus emiſit aquarum.

DAPHNIS.

Surge age, blanda Hyale, amplexu te ſubtrahe matris,
Subtrahe te matris gremio, tua ſepta reclude,
Et furtiva refer notis veſtigia ſilvis.
Te vigil argutas invitat Daphnis ad auras.
En matutinis rorantia gramina guttis
Balatu clauſis repetunt ab ovilibus agni.
Surge Hyale, nec compta veni, ſed nuda papillas,
Semiſopora ſuis qualem te mater ab ulnis
Ad nitidos fontes, ad roſcida prata remittit,
Pallidulos primo referens è lumine vultus,

Ut

Ut formoſa novo pallent violaria Sole.
Nec tibi neglectum è ſomno compone capillum,
Nec viola præcinge comam, ne cultus amores
Differat, ingrataque mora mea gaudia perdas.
Nec tereti ſuſpenſa move tua tympana clavo,
Tinnula maternos ne rumpat bractea ſomnos,
Et te dura parens tenero ſubducat amanti.
Ipſe tibi crinem aſſueſcam per colla fluentem
Aut flexu formare levi, aut compeſcere nodo,
Silvarum quo more Deæ per rura vagantur.
Addam puniceis halantia ſerta hyacinthis
Auroræ lapſa è gremio, dum florea dona
Explicat, & foliis divinum inſpirat odorem:
Et, ſeu dexter Amor, ſeu ſors mihi candida flores
Obtulit, una Deæ molli redimita corona
Incedes gelido in nemore alludentibus auris,
Et cultu formoſa novo, formoſior ore,
Attonitas ad rara trahes ſpectacula Nymphas:
Invida muſcoſo Chloris mœrebit in antro.
Præterea varios flectet mea fiſtula cantus,
Fiſtula, ſeptena quæ nectit arundine carmen;
Longaque dum preſſis modulabor ſibila cannis,
Tu Dryadum tardo choreas imitabere ſaltu;
Nunc progeſſa pedem referes, dextrumque viciſſim
In latus exilies, nunc alternante reflexu
Terque quaterque gradus facilem glomerabis in orbem:
Pictus ab intorto laxabitur aëre limbus.
O mihi quam dulces ſubeant præcordia flammæ,
Seu caſtigatæ ſpectem veſtigia plantæ,
Seu ſpectem nivea blandos in virgine vultus.
Sæpe leves calamos intermittente labello
Ocyor injiciam formoſo brachia collo,
Eque tua pendens avidis cervice lacertis

Digitized by Google

Virgineum flectam reſupinus ad oſcula vultum:
Obvia projectis interſtrepet aura cicutis.
  Tu modo, ſi certos in fœdera jungis amantes,
Lucifer, & placido torques ſub ſidere mundum,
Siſte diu ſacræ ſupremo ab limite Noctis.
Sic tuus æternum terris alat ignis amorem,
Sic tibi, dum Solis roſeo-ſpaciaris ab ortu
Dulce nitens, nulli objiciant ſua nubila venti.
Non ego Amazonia munitus colla bipenni,
Qua nocturnus iter per devia luſtra viator
Implicet, incurſus meditor: nec ſtringere ferrum
Auſus, & impuro lucos violare cruore:
Nec mea furtivos vertam ad præſepia tauros
Errabunda ſequens latos armenta per agros.
Sed me, dum prono cogis vaga ſidera cœlo,
Juſſit Amor dulci ſubducere lumina ſomno,
Atque Hyalen media furtim prævertere ſilva.
  O ubi nos denſæ toties texere geniſtæ,
Si prius, aurato quam Sol ſe oſtentet ab axe,
Nunc Hyale mecum intonſa colludat in herba!
Sol primus ſocio amplexu divellit amantes,
Sol faciles ſomnos, Sol aurea noctibus aſtra
Invidet, & nemorum ſuadet paſtoribus umbras.
Ille Deæ tacitos etiam vulgavit amores,
Anxia cum Martis collo religata pependit,
Et ſeſe vinclis nequicquam excluſit ahenis.
  Ergo age, blanda Hyale, ſopitæ elabere matri,
Et memor ad gelidæ ſecede cubilia ſilvæ:
Mille tibi amplexus, divinaque munera ſervo:
Mille tibi aëriæ ingeminant nunc ſibila pinus,
Et Venus extremo nobis arridet ab aſtro.

PHI-

PHILIPPO II. HISPANIARUM REGI
in Britanniam proficiſcenti,
DORIS.

Siſte ratem, ſacris dum vocibus æquora mulcet,
Et media, Rex magne, canit tibi Doris ab unda.
Non hic inſidias meditatur inhoſpita Siren,
Nec ſuſpecta leves fallunt retinacula puppes.
Poſſum ego fatorum certos prædicere curſus
Aucta Deo mentem: poſſum, quodcunque latenti
Parcarum in gremio poſitum eſt, proferre ſub auras
Cæruleis emerſa vadis Nereïa virgo,
Quam pater Oceanus, quam diligit Amphitrite.
Ibis in imperium, decorataque regna tropæis,
Qua munita vago circumnitet Inſula ponto,
Et Tameſin dulci permulcent carmine cycni.
Scilicet has ſedes, has te tranſmiſit in oras
Alma Venus, genus unde ſibi, & ſors æmula cœlo.
Illa novos thalamos, æternaque fœdera ſanxit
Connubii, felixque ſuo tibi riſit ab aſtro.
Et jam deſuetas Pax vertit ad ocia gentes
Divum altrix, cui caſta Fides, cui dia Voluptas,
Et quæ pacatas hilarant ſolatia mentes,
Applaudunt, comiteſque Deam, matremque ſequuntur,
Quaque volant, rutilis illuſtrant æthera pennis.
Nunc primum celeres ſinuoſo ex æquore Nymphæ
Extulimus choreas, placidiſque alludimus undis.
Non licuit, trepido litus dum ferveret hoſte,
Non licuit, noſtras dum deformaret arenas,
Aut luſtrare choros, aut ſummo excurrere fluctu.

Digitized by Google

Informem belli faciem, ſævoſque tumultus
Vidimus, & ſanctis immiſſa incendia templis,
Regia cum Virgo ſceptris fraudata paternis,
Et Dîs cara ſuis pugna premeretur iniqua.
Tum neque littoribus nitidas induximus undas;
Nec, profugæ Alcyones, molli ceciniſtis ab alga,
Formoſæ Thetidis volucres; lucemque peroſæ
Auricomæ vitreis Nymphæ latuere ſub antris.
Tum neglecta ſuis etiam conceſſit ab aris
Relligio, & votis ultricia numina flexit.
Aëriæ turres, objectaque ſaxa procellis;
Quæ pelagi incurſus, longum quæ vincitis ævum,
Vos cœlo demiſſam aciem, vos agmina divum,
Fulgenteſque manus timidum vidiſtis in hoſtem.
Tum fracti cecidere animi, preſſuſque repente
Conſedit furor, & victricia fræna momordit.
Riſerunt pelagi flexus, & purior unda
Nereidum è gremio fulvis innavit arenis.
Nos ſocio tranquilla gradu ſuper æquora vectæ
Littoreoſque ſinus, dulceſque reviſimus auras,
Roſcidaque Alcyone lætos dedit obvia cantus.
At ducta heroum pulchro de ſanguine Virgo,
Cujus ab imperio nituit Pax aurea terris,
Canaque Relligio templis revocavit honores,
Et belli rabiem nodis compreſſit ahenis,
Et deſponſa tuo jam nunc adſpirat amori.
Talis ab Oceani liquido ſublata receſſu
Noctis ſtella decus, puroque acclivis olympo
Quærit iter, donec ſummo ſpatia ardua curſu
Corripit, & ſocios victrix intermicat ignes.
Et deſiderio pectus perfixa recenti
Supplicibus cœlum votis, atque aſtra fatigat
Conſcia connubii, ſanctiſque advolvitur aris,

Digitized by Google

Et te mœſta dies, & te petit anxia noctes;
Raraque languidulis furtim demanat ocellis
Lacryma, dum ſuſpenſa ſuo timet omnia Regi:
Ah ne triſtis hiems iter intercludat eunti,
Neve tua iratis abies ſecet æquora ventis.
Pone metum, Regina; Deæ nos gurgitis alti,
Centum quæ ſcopulis, centum quæ claudimur antris,
Et quibus immenſi ceſſit cuſtodia ponti,
Adſumus, & Zephyrum blandis induximus undis,
Et jam molle fretum laſciva ſupernatat aura.
En tibi, purpureo quem Lucifer advehat ortu,
Ille dies properat, cum littoris ora Britanni
Accipiat, Regemque tuum, ſociaſque carinas,
Sacraque ab excelſa plaudat Victoria puppi;
Teque alto divum auſpicio, arridentibus aſtris
Ille ſuo petat amplexu, tædaſque ſecundet.
Hoc erat, Heſperiis natum quod Cæſar ab oris
Evocat, illuſtrique Tagus confluxit alumno
Ditior, ac rutilo ripas diſtinxerat auro.
Nunc, Rex magne, tibi ſacro me è gurgite Nymphæ
Excierunt. ego ſum, veſtris quæ certa carinis
Signa dedi, & veritos juſſi tranſmittere fluctus,
Et luſtráre alio ſurgentia ſidera mundo;
Pumiceaſque domos, & roſida tecta relinquens
Puppibus adnabam comes, & maria alta ſecabam,
Olim cum pelago votis audacibus actæ
Calpenque, Atlantemque ultra, ſemota legebant
Littora, & ignoto portus petiere ſub orbe.
Me duce flaventes Rhapti penetravit arenas,
Et mirata novum converſis orbibus annum
Feſſa peregrino requievit ab aggere claſſis.
Jamque alias Arctos, aliumque retexerat orbem,
Jamque externa tuis acceſſerat ora triumphis,

Belli-

Bellipotens, Veneris pulchro ſate ſanguine, Cæſar.
O decus, o ſacer heroum flos, o bona proles
Æneadum, nunc te patriis, nunc inſerit aſtris
Major honos, & cæca levi pede nubila vincis.
Tu Maſſylum arces, Libycas tu disjicis urbes,
Tu Rhodanum, Ligerimque premis, cum lucida ſigna,
Hoſtileſque tubas, & ſæva perhorruit arma,
Et refluum pavidæ quærebant Najades amnem.
Dumque inſueta locas Alpino in vertice caſtra,
Nocturnaſque moves acies, te candida Phœbe
Spectabat propior, pronoque optavit ab axe.
Te fera diſcuſſis tremuit Germania ſilvis
Bellorum genitrix, & fœta potentibus armis,
Et turbata fremens diffugit in oſtia Rhenus.
Nec ſatis unus erat: ſceptris adjungis avitis
Orbem alium, quo fata vocant, quo grandia vota
Invitant animi, prognataque gloria cœlo:
Et tantum pelagi, quantum Sol ætheris, ambis.
At tibi nunc alios devicto ex hoſte triumphos
Expedient pugnata novo diſcrimine bella,
Sancte Heros, aucte imperio, & felicibus armis.
Bactra manent, quæque arva ſuis circumfluus ambit
Indus aquis, ubi primus equos Sol cogit in altum
Lucis iter, ſubitiſque fremunt hinnitibus aſtra,
Et vigil è roſeis Aurora cubilibus exit.
Hinc ſpolia, & verſas non uno è littore prædas,
Captivoſque duces, debellataſque cohortes
Victor ages. longo procedent ordine Reges
Imbelles ſecum pharetras, ſecum arma trahentes,
Scutaque, ſuſpenſoſque arcus, Lyciaſque ſagittas.
Abductas Orientis opes mœrebit Hydaſpes,
Et gemet exciſis proruptum cornibus aurum
Cæde rubens, fractoque involvens corpora fluctu.

Ipſa

Ipſa Venus magni victricia ſigna nepotis,
Aurata de nube tuens applaudet eunti.
Tu medios inter proceres ſublimis, & albo
Vectus equo, nitidoque humeros perlucidus auro,
Qualis ab Aurora Mavortius emicat ignis,
Conjugis ingentes referes in regna triumphos.
Vobis Semidei, vobis Heroides ortæ
Augebunt partas divino ſemine terras.
Iſque prior, veniet tanti qui nominis hæres,
Dicet ad Heſperios, dicet provectus ad Indos,
Finibus hos patriis, hos Mars adjecit avitis.
Nunc age, dum crepitant Zephyri, dum candida laxant
Vela ſinus, claſſem terris appelle Britannis,
Et tandem populos, & grandia fœdera junge.

AD JULIUM CASTRUM

Cæſaris Legatum.

Una hominum ratio eſt, atque unum, maxime Caſtri,
Conſilium, ut præſtent aliis, vivantque beati.
Nec tamen, hunc finem quamvis ſtudio appetat omni,
Quiſque via vitæ ſpacium decurrit eadem.
Hunc vel laudis amor ducit, vel ſplendor honorum
Ambitionis ad illecebram, & ſpe divite donat.
Illum auri damnoſa fames, & copia rerum
Sollicitat, ſibi curarum dum pabula nutrit,
Et quærit quas condat opes, non conterat uſu.
Deliciis multos etiam, ac dulcedine ſenſus
Blanda homini Siren fallit vitioſa voluptas.
Hæc ſtultorum ignara cohors, & neſcia recti
In vitia incurrit, vaniſque eluditur umbris,
Irrita dum captat vitæ ſimulacra beatæ.

Quanto

Quanto rectius ingenti ſub mole laborum
Ipſe tibi æternæ proponis præmia laudis!
Nec vero imperio, aut opibus, vel viribus ullis
Propoſuit cœlum Deus, aut aliquem intulit aſtris
Nobilitas, formæve decor, vel regia gaza:
Sed pietas, & amor recti, probitaſque, fideſque.
Si virtute juvas populos, & Cæſaris amplo
Conſulis imperio, ne quid fortuna pericli,
Ne quid bella ferant, ſi magna negocia tractas,
Oblituſque tui multorum commoda curas,
Ex hoc fonte hauris vitæ præcepta beatæ.

Tales ſacra olim tellus heroas alebat,
Impia cum nondum armarat diſcordia fratres,
Nec ſeſe impura macularant cæde parentum.
Cum tu juſtitiam, & ſanctæ pietatis amorem
Fundamenta tuæ jacias pulcherrima famæ,
Id te unum beat, id præfert te regibus unum.
Nec metuis, ne luxuries, vel avara cupido
Nubem animo obducat, divinaque ſemina mentis
Obruat, aut rapido ambitio te abſorbeat æſtu.
Scilicet integritas una eſt, me judice, tanti:
Quam plura accumulant virtutum lumina, plures
Ut ſtellæ efficiunt cœli fulgentia ſigna,
Aut Taurum, aut rutila inſignem cervice Leonem.

Hæc tua cum puris virtus præluceat aſtris,
Virtutique tuæ magnum præbere theatrum
Roma queat, doctorum hominum plaudente corona,
Idcirco Auſonias mittit te Cæſar ad oras
Inſignem proavis, & claro ſanguine regum,
Ut magnis de rebus agas ingreſſus in urbem
Legatus, flavi quam Tibridis irrigat unda,
Inque tuo ingenio, & ſumma probitate quieſcat.

Ibis, Jule, ſacræ viſurus mœnia Romæ,

Saxa-

Saxaque, & obducta antiquis monimenta ruinis,
Quondam auro, quondam nitidis perlucida ſignis.
Tantum anni potuere! tamen non longa vetuſtas,
Nec belli rabies victricia ſigna Quiritum
Atterere, & partos potuit delere triumphos.
Quæ non Vergilias, non aurea plauſtra Bootæ,
Nec clarum agnoſcit ſtellis ingentibus Arcton,
Taprobane novit clariſſima nomina gentis
Romuleæ, Fabios, Decios, acreſque Metellos,
Atque duces alios, quorum jam vivida virtus,
Cetera ut intereunt, nullo defloruit ævo.
Horum impreſſa Italis luſtrans veſtigia terris
Excelles non diſſimili virtute; neque unquam
Ulla tuæ noctem offundent oblivia laudi.

JOANNI MICHELIO REIP. VENETÆ

Legato in Britannia.

Ut Tameſim tecum, & riguæ nova gramina ripæ,
Ludenteſque vago ſpectarem in flumine cycnos
Aurea jucundæ traducens ocia vitæ,
Iane, diu votis petii. & vixiſſe beatus,
Dum licuit, tecum videor, ſive abdita rerum
Principia, & diæ ſcrutarer lumina mentis
Neſcia reſtingui, ſeu molli ſtratus in umbra
Accirem faciles ad dulcia carmina Muſas.
Tot vero ſpacia emenſus terræque, mariſque
Cum primum Heſperiæ, & Venetis ſum redditus oris,
Hic, ubi ſe formoſa ſuis urbs tollit ab undis
Heroum genitrix, cognatoque æmula cœlo,
Non obſcura tuæ relegens veſtigia laudis
Adducor, memor abſentem ut te ſæpe requiram,

Cum deſiderium emergit, ſibique anxius ignem
Nutrit amor, dulcique acuit mea pectora cura.
Tu procul, Oceano in magno, terriſque Britannis,
Quo te vexit honos, & claro tramite virtus,
Pro patriæ imperio, pro majeſtate tuenda
Dudum abes; & caſus varios, momentaque rerum
Tanquam alta è ſpecula obſervas, ut regia Virgo
Dotales populos ſceptris conjunxit Iberis,;
Atque peregrinis auxit ſua regna hymenæis.
Ergo conſilia illa tuo vigilata labore
Ad patrios uſus, & publica ad ocia transfers.
Macte alto ingenio, hoc primis operoſus ab annis
Spectabas, tenerum florem dum puberis ævi
Conteris ingenti Muſarum victus amore:
Et modo, quam varios fingat ſibi dædala vultus
Natura, exploras, modo grandia ſemina rerum
Quo nexu premat, & pugnax concordia jungat.
Mox animum cœlo attollens aut ſidera diſcis, (cton,
Cepheaque, Andromedenque, & amicam puppibus Ar-
Aut, quid agat Zephyros, Iris cur nubila pingat
Diſcolor, alterna doctrinæ indagine quæris.
Quinetiam terrarum oras, externaque luſtras
Imperia, & Rhætorum urbes, & Gallica regna,
Et Rhodanum, & Ligerim, atque algentem trajicis
Et nunc Heſperios, & nunc inviſis Eoos. (Iſtrum:
Non ſecus ac diverſa terens ſpacia ætheris alti
Mille perit, repetitque vias Cyllenius ignis.
Hinc tibi ad æternos aditum illuſtravit honores
Dux vitæ ratio, & ſolers prudentia, & uſus.
Hinc tibi jam major cura excubat, & legis omnes
Laudum apices, gaudeſque decora in luce videri.
Vidi ego, cum dulci Regem ſermone teneres,
Mirantem ſplendorem animi, & lita verba lepore,

Pura,

Pura, nivis ritu, quam celſa in rupe viator
Excipit, & placidis ſpirant afflatibus Euri;
Cumque tibi generoſa cohors equitumque, ducumque
Hæreret ſocio inceſſu, & ſequeretur euntem.
O qui præruptas iterum me tranſvehat alpes,
Extremique ſinum Oceani, littuſque Britannum!
Tecum ego projectis ſurgentes molibus arces,
Victricemque ſuo ſpectarem ab littore claſſem.
Seu levibus jaculis placida ſub imagine pugnæ
Colludunt acies, quas miſſilis armat arundo,
Dum quini elucent in equis, paribuſque viciſſim
Excurrunt ſpaciis, & tuta in prælia tendunt,
Prætexuntve fugam, & laxis referuntur habenis,
Aut iterant pugnas, aut longis flexibus errant.
Sive abiegna gravi perfringitur haſta lacerto,
Atque equitum in nimbo medius Rex emicat, ut Sol
Aureus obſcura exiliens è nube refulget.
Si vero ſanctis intexta oracula chartis,
Et naturam animi affinem immortalibus aſtris
Tecum noſſe mihi divina per ocia detur,
Cœleſtes monſtrante vias ac numina Polo,
Supra hominum videar ſortem immiſcerier ipſis
Cœlitibus, mentem aſſueſcens inferre Deorum
Sedibus, & ſacros jam ducere nectaris hauſtus.

CAROLO CARD. BORROMÆO

Fratris obitum lugenti.

Quid flos ſemideum ſacer, & ſpes alta Quiritum,
Cognatos aucture Deos, te fratris acerbo
Paulatim attenuat mœrentem funere luctus,
Et tibi purpureo formam delibat ab ore?

Aſpice multiplici labentia ſidera flexu,
Cephea, Caſſiopenque, & Gnoſſidis aſtra coronæ,
Et quæcunque ſua cœlum vertigine torquet:
Non obitum effugiunt, quamvis ſpacioſa remenſis
Orbibus æterno devolvant ſæcula mundo.
Nonne vides, ut luna ſuis vix ignibus aucta,
Effigies ævi fugientis, ad ultima raptim
Decurrit ſpacia, occultoque intercidit axe?
Scilicet ætherium hoc ſpeculum, hæc cœleſtis imago,
Quæ maria, ac terras, quæ dias luminis oras
Temperat, & crebro propior ciet aëra motu,
Huc atque huc fluitare levi monet omnia pulſu,
Ceu rerum ſimulacra novis variata figuris,
Nec conſtare diu, nec certa in ſede morari.
Siſte pios gemitus, fratriſque averte ſepulcro
Et luctus miſeros, & lamentabile carmen.
Ah ne illuſtrem animam tua, Borrhomæe, Deorum
Invideat numero pietas, dum ſæpe recentes
Accerſis lacrymas. Virtus illum intulit aſtris
Purpurea ſeptum nebula, atque inſignibus aureis,
Ut Vaticana juvenis ſublatus ab arce eſt
Lucidior, qualis Cephiſide ſurgit ab unda
Nuda Charis, nitidoque refert veſtigia cœlo.

DE VICTORIA NAUPACTÆA AD SEBASTIANUM VENERIUM DUCEM CLASSIS VENETÆ.

Auſa Dei claſſem, ſociaſque laceſſere puppes,
Impia gens Euris ſinuoſa in vela vocatis
Horruit adverſas acies, fractaſque ſuperbæ
Vidit opes Aſiæ raptis ſpoliata tropæis.
Illa per Ionios centeno remige fluctus

Ibat

Digitized by Google

Ibat ovans, triſteſque minas, & bella ferebat,
Impuleratque duces Cretæa à ſtrage recentes
Rurſus in arma vehi, & duro diſcrimine rurſus
Hoſtiles petere exuvias, & Martia ſigna.
Obvia cum triplici ſeſe tulit ordine claſſis
Auſpicio jam freta Dei, cœloque ſecundo,
Evertitque trucem validis incurſibus hoſtem.
Tum ſuperum delapſa cohors plaudentibus alis
Irruere, & vacuas viſa eſt rutilare per auras,
Et nunc barbaricas pelago ſubmergere puppes,
Nunc inviſam aciem rapidis inceſſere flammis,
Aut pugnare manu, mediiſque inſidere tranſtris
Æneadum, & Venetæ defendere robora pubis.
Pars autem clypeis venientes excipit ictus,
Aut ſtipata levi circumvolat agmino gyro.
Non ſecus ac rigui ſi quando ad ſtagna Cayſtri
Candentes liquido glomerantur in æthere cycni,
Imbelleſque agitant volucres, & inertia cædunt
Agmina: ſanguineas Zephyrus rotat aëre plumas.
Cinge triumphali victricia tempora lauro,
Dux Venetum, cui clara ſuæ cognomina gentis
Dat Venus, & ſpolia ampla tuo cape debita Marti,
Servatæ columen patriæ. tu maximus ille es,
Æquoreæ qui primus inis certamina pugnæ
Cladem Aſiæ intentans. Divi comitantur euntem,
Et Curæ vigiles, & ovanti Gloria plauſu.
Ultriceſque rates, & ahenea mittis in hoſtem
Fulmina, ſuſcepto igne cavis impulſa metallis:
Quo ſonitu tremuere undæ, perculſaque longè
Ambracia, & pavidæ latuere ſub æquore Nymphæ,
Et refluo trepidans Achelous inhorruit amne.
Nec te ullæ belli facies, amiſſaque terrent
Regna, nec avectæ diverſo ab littore prædæ.

Digitized by Google

Nec te animi vigor, & ſeris grave robur in annis
Deſerit, & fracto exuvias ex hoſte reportas,
Eque tua prior emicuit Victoria puppi. (gno
Tum juvenem imperio inſignem, quem Cæſarema-
Progenitum virtus per grandia facta parentis
Evehit, & cœlum, promiſſaque ſidera monſtrat,
Attonitæ videre acies in prælia verſum,
Quo pietas, quo laudis amor, quo gloria traxit,
Et belli molem regere, & virtute tueri,
Qualis Atlas humero ſtellantem ſuſtinet axem.
His quoque ab auſpiciis tantæ pars maxima pugnæ,
Curarumque comes ſacris Antonius armis
Turbabat cuneos, inimicaque ſigna premebat
Vi ſuperans, quantus crebris maria alta procellis
Secum hiemes, euroſque trahens, & nubila perflans
Verberat Orion, fluctuſque illidit arenis.
Quem duo ſectati varia in certamina fratres,
Juncti animis ambo, cognato ſanguine juncti,
Romulidæ proceres per barbara tela, per ignes
Irrumpunt, Martemque acuunt, ſpoliiſque ſuperbis
Sæpe ſuam decorant ingenti mole Columnam.
Ceu quondam Oebaiias ſoliti ductare cohortes
Tyndaridæ adverſo ſpoliabant milite caſtra,
Inſignes paribus clypeis, quibus aureus enſis,
Et jam tum gemino radiabat ſidere caſſis
Aurea: puniceæ volitabant vertice criſtæ.
Nunc pharetras, Lycioſque arcus, perfractaque tela
Fluctus agit, laceræque natant in gurgite pinus.
Et jam trunca virum, diſcerptaque corpora paſſim
Littoreæ ſectantur aves, projectaque paſcunt
Viſcera, & effuſo latè rubet unda cruore.
Atque aliquis, Naupacte, tuas dum tendit ad oras,
Et pugnata refert ſanctis nova bella ſub armis,
Dumque

Dumque peregrina legit Actia littora pinu,
Ecce, ait, hinc pugnas iterum proſpexit Apollo:
Biſque triumphatis Ægyptia ſigna carinis.
Sic ait, & celeri percurrit Echinadas aura.
Defer ad extremas victricia nomina gentes,
Fama, novas memorans pugnas, partoſque triumphos,
Quæ vetera Heroum obſcuris monimenta ſepulcris
Subtrahis, æterniſque duces interſeris aſtris.
Dic actos in bella viros ſocia àrma ferentes
Hiſpanos, Venetoſque, intermixtoſque Quirites,
Nunc primum Ionio in magno junxiſſe carinas:
At contra Euboicas ſumma in certamina claſſes,
Mentitoſque deos, vireſque Orientis agentem
Regem Aſiæ domitum, tremefactaque ſaxa Capharei.
Scilicet hoc dudum precibus, votiſque petiſti
Sancte Heros, qui ſceptra Dei, ſedemque tueris,
Idem aperis, idem cœli penetralia claudis,
Dum tu neglecta pro relligione laboras,
Et Vaticanas toties proſtratus ad aras
Sacra facis, ſanctaſque vocas in fœdera gentes,
Jordanumque jubes, Solymaſque repoſcere ſedes,
Atque implacatæ ſuperare Propontidis oras.
Salve operum tantorum auctor, qui numina nobis
Concilias, & dia tuis paris ocia terris.
At tibi, Dux Venetûm, nunc alter ab Hercule magno
Qui gravidam colubris hydram, qui Thracia monſtra
Exſuperas, iterumque Acheloïa cornua frangis,
Quando etiam majora manent, ſuperanda Propontis,
Rhæteique ſinus, proavitaque regna petenda.
Jamque tuis Rhodos, & Salamis, Naxoſque receptæ
Accedent titulis. & jam concuſſa tumultu
Mygdonia, & triſtes expavit Achaïa pugnas.
Te celſi juga Taygeti, te frigida Tempe,

Aoniumque vocat nemus; & Permeſſides undæ,
Et tua Pieriæ reſponſant nomina ſilvæ.
Tempus erit, cum rapta ſacris ſolatia Muſis
Reſtitues, fonteſque ſuos, ſuaque antra recludes,
Nunc dira illuvie, & ſilveſtribus obſita dumis,
Et tua jam profugi recinent ad flumina cycni:
Hinc & ad æquoream victor provectus Ioppem
Antiquas Solymorum arces, & ſceptra repoſces
Auſoniæ imperio, & Romanis debita regnis,
Et tibi Carmeli rupes, tibi plaudet Idume,
Et tibi creſcentes ſurgent ad ſidera palmæ.
O ſacræ Libani valles, o palmifer Hermon,
En erit, ut veſtros liceat penetrare receſſus?
En erit, ut luſtrans Syrias pius hoſpes arenas
Cœlicolum ſignata legam veſtigia plantis,
Bethlemiæque domus ſupplex ſacraria viſam,
Et propiora Dei cunabula pronus adorem?
Felices properate citis decurſibus anni,
Concordeſqne iterum fatalibus aurea penſis
Sæcla neant Parcæ, meque hæc ad vota reſervent.
Aſpice, dum properant alios tibi fata triumphos,
Ut maria, ut tellus nobis, ut largior æther
Rideat, & nitido oſtentet nova ſidera cœlo
Illuſtres animas, quæ prodiga pectora vitæ
Auſæ omnes, dum fata dabant, hoſtilibus armis
Objicere, & letum pro relligione paciſci.
Has ſedes peperere ſibi, qua lactea fulget
Orbita, & æterni candent faſtigia mundi:
Et nunc pacatis diffundunt gaudia terris.

PATE-

Digitized by Google

PATERA.

Non mihi Pleïadas, non lucida plauſtra Bootæ,
tellarumve choros, pictiſve in nubibus Irim,
Nec Solem rutilum patera cælavit in aurea
Docta manus, Myos artifices imitata figuras;
Sed nemora, & teneris diſtinctas floribus herbas,
Et graciles hederas, miteſque in vitibus uvas,
Et circumflexos argento effinxit acanthos.
Addidit & rupis prognatum vertice fontem,
Et perlucentes liquido ſub fonte lapillos,
Artis opus miræ, medioque ex aggere nymphas
Candida virgineo nectentes brachia ludo.
Parte alia ſub vite ſacer procumbit Iacchus,
Ebria cui lentus natat intra lumina ſomnus.
Ante pedes thyrſi, redimitaque tela corymbis,
Delapſæque jacent neglecto è crine corollæ.
Inter ſe vigiles Mareotica vina miniſtrant
Ludentes Satyri paſſim, projectaque rident
Serta dei. credas diffuſo ex ore cachinnos
Excipere, & dulces nympharum audire ſuſurros.
Hinc infuſa novo ſemper mihi nectare vina
Mutat inaurata crater argenteus anſa,
Longaque ſollicitis affert oblivia curis.

IN EFFIGIEM JULII AQUIVIVI CARDINALIS.

Quem pietas, virtuſque ſuis maturior annis
Extulit, & claro prognatum ſanguine Regum
Auctus honor juvenem priſcis heroibus æquat,
Purpurea chlamyde inſignem qui pinxit Iulum,

Pinxit Apelleis animata coloribus ora,
Ora, ſacroſque habitus. Viden, ut generoſa nitentes
Majeſtas oculos hilarat? lumenque juventæ
Addidit hinc formæ decus, hinc flos puberis ævi?
Altaque pax animi tranquilla in fronte renidet?
Aſpice, ut ex humeris rubro ſinuatur amictu
Candida multiplici criſpans ſubtegmina flexu
Carbaſus, & ſacro ſe molliter implicat oſtro,
Atque obducta levi tranſlucet purpura velo.
Hunc dea, cum primas veniens ad luminis oras
Languidulis tenues vagitibus impulit auras,
Virgineo exceptum gremio, ſparſumque recentis
Ambroſiæ ſuccis admiſit ad oſcula Pallas.
Inde ubi cognatoſque duces, geminaque virentes
Fronde comam patrias potuit cognoſcere lauros,
Muſarum decora, & duro data præmia Marti,
Heroumque vias teneris inſiſtere plantis,
Parvo ingentem humero citharam ſuſpendit, & alta
Per nemora Aonidum, perque aurea ſidera duxit.
Illa eadem ſacras puerum formavit ad artes,
Divinoſque dedit ſpirantia pectora ſenſus.
Tum verò monituſque Dei, & cœleſtia juſſa,
Et legum ſeriem, præſcriptaque fœdera mundo
Edidicit monſtrante dea, nec liquit inauſum
Quidquam animo, quidquam ingenio, diverſa laborum
In ſpatia excurrens, laudumque in luce refulſit
Non aliter, quam Sol varium duodena per aſtra
Currit iter puro diffundens lumina cœlo.
Fortunate nimis, cui primo arriſit ab ortu
Aſtrorum chorus, & fauſto dedit omina Pallas
Auſpicio. jam te magna ſuper indole virtus
Auxerat, & nondum plenis florebat ab annis,
Cum latas terrarum oras, externaque regna

Juſſus

Digitized by Google

Juſſus obis, & ſancta tuo fers munera Regi
A templis ſolioque Dei, & percurris Ibéros.
Qualis ab Eurota laxis agitabat habenis
Caſtor equum, qualiſve ſuo micat Heſperus igne,
Conſcia quem virgo ſpecula proſpectat ab alta
Conjugii, noctiſque ducem, non illa parentum,
Non comitum memor, obtutuque immobilis uno
Obſervat venientem, & amabile ſidus adorat,
Jam dulces thalamos, pactoſque initura hymenæos.
  O quoties pernicis equi dum terga fatigas,
Inque levem zephyrum, Soliſque cubilia contra
Tendis iter, campoſque fuga tranſmittis apertos,
Miratæ nemorum latebroſa per avia Nymphæ
Optavere ſua feſſum recubare ſub umbra.
Ipſe tamen, quo juſſa vocant, quo gloria ducit,
Proveheris, nec blanda quies, nec te ulla retardant
Ocia: ſed curæ ſtimulant, & caſta Minerva
It comes, & pulchro laudis ſuccendit amore.
  Ergo ubi poſt obitos terræque mariſque labores
Auſonias te cura deum revocavit ad oras;
Utque ſacer reduci plauſit Tiberinus alumno,
Ipſe jubet flavo centum ſub gurgite nymphas
Mollia Sidonio ſaturantes murice penſa,
Unde novum jam Roma tibi ſuperinduit oſtrum,
Et tua puniceis præcinxit tempora vittis,
Æternis Aquivive tuas intexere laudes
Carminibus, dulcique aperire oracula cantu;
Scilicet, optatos aſtris volventibus annos
Ut tu olim Imperio, & titulis majoribus auctus,
Regnatorque, parenſque hominum, interpreſque deo-
Sceptra geres, terraſque tuo moderabere nutu. (rum
Tum, quacunque levem flectet Sol aureus axem,
Cernere erit vectas diverſo ex æquore gentes

Suppliciter lætas, veniam, pacemque rogantes,
Et Vaticanas celebrantes plauſibus arces.
Hinc ſcelerum labem exutæ pietatis adibunt
Suave jugum, & cœlo aſſueſcent attollere mentes.

AD TORQUATUM.

Alternos ſtellarum obitus, Soliſque labores,
Et liquidos pelagi campos, & munera terræ
Diverſa ratione regi, Torquate, videmus.
Nam neque perpetuo tellus ſe gramine veſtit,
Nec cœlo ſemper dominatur Libra, nec idem
Eſt Soli curſus, rabidum cum Sirius aſtrum
Exerit, & gelidis caneſcunt arva pruinis.
Quid memorem Oceanum, fundo ſive actus ab imo
Altius inſurgat, ſive in ſeſe ipſe reſidat?
Scilicet & vario rerum mortalia caſu
Labuntur, certoque nihil ſe fine tuetur.
Una tamen nunquam eſt fortunæ obnoxia virtus:
Hæc pia jura dedit populis, ſollerſque futuri
Evitare monet jucundæ commoda vitæ.
Hæc duras perferre vices, & vivere parvo
Inſtituit; quid enim refert, mihi jugera mille
Sufficiant victum, aut exili paſcar agello?
Eſt, qui divitiis ſemper, Torquate, parandis
Invigilet, nunc Heſperios, nunc exul ad Indos,
Atque hunc nec vaſtas obvolvens Africus undas
Exterret, tumidumve natantia monſtra per æquor.
Quinetiam quo plus fulgentibus addit acervis,
Affectat jam plura, magiſque amor urget habendi.
Felix, quem nulli vicere Cupidinis æſtus,
Quem non ambitio, non torret avara cupido.
Ille quidem exigui contentus ceſpitis umbra,

Agreſtes

Digitized by Google

Agreſtes laudat ſecura per ocia ſomnos.
Quis pingues Arabum ſaltus, aut arva feracis
Armeniæ propria malit ditione tenere?
Illum non litui terrent, nec triſtia bella,
Dum virides ſilvas, miſerique incognita curis
Rura colit: neque enim laudis dulcedine captus
Regna petet, vel opes inhians moderabitur urbes
Juſtitiæ cuſtos. at ſi crudele tyranni
Imperium timeat, legeſque impune labantes,
Tunc illi fuerint privata negocia curæ,
Oblituſque ſui, patriæ diſcrimina forti
Corde feret, populumque gravi terrore levabit.
Ac, ne quid rerum labefactet jura, fidemque,
Proſpiciet, longe metuenda pericula cernens.
Me quoque, ut incertam ſcirem contemnere ſortem,
Atque auri pretium infelix, finxere Camœnæ
Gaudentem cenſu, puro qui ſplendeat uſu.
Percurrant alii ſinuoſis æquora velis,
Eooque legant ardentes littore gemmas;
Ipſe, niſi attonitæ mihi ſit mens conſcia culpæ,
Intra naturæ fines regnare beatus
Dicar, & inſanis animum ſubducere curis.

DISERTI ROMANI ACADEMICI PIA QUERELA.

Hæſerat aſſidua rerum mens obruta fluctu
Magne Pater, pelagoque truces conſurgere ventos
Sideraque iratis jam tunc urgere procellis
Aſpiciens, mecum inſanis errabat in undis;
Donec ab Eoo veniens Sol æquore lucem
Extulit, ac domito minitans Aquilone reſedit
Pontus, & exorto tempeſtas lumine ceſſit.

Hinc

Digitized by Google

Hinc ubi defeſſa tutos impune carina
Attigeram portus duce te, non vaſta reverti
In freta, nec dulces audebam linquere terras.
Tunc ego Dis ſupplex aras in littore centum
Erexi, & totidem ſacrans altaribus ignes
Thura dedi, multaque locum veneratus acerra
Ter circum arcano luſtravi carmine templum.

Ecce autem ſimulacra Deum crudelibus auſis
Horrendæ ſtravere acies, ſacraſque repente
Extinxere faces: neque enim majoribus unquam
Conjuraſſe odiis detrudere numina cœlo
Rhetumque, Enceladumque rear, cum vellet opacam
Dira cohors nitidis imponere Pelion aſtris.

Heu triſtes ſuperum clades, heu neſcia veri
Pectora, quid pia Relligio tot bella, tot hoſtes
Sentit, & indigno corrumpit vulnere corpus?
Nonne ſatis viſum eſt, primæ contagia matris,
Conceptumque nefas qui ſolveret, æthere ab alto
Deſcendiſſe Deum, mox ſe (mirabile viſu)
Mortales indutum artus, humanaque membra
Sponte dediſſe neci, ac veterum delicta parentum
Abluere inſonti tandem voluiſſe cruore?

Ergo iterum, Pater, attonitum diſcriminis uſu
Eripe, & adverſis etiam ſuccurre periclis.
Quod niſi tu tanto cupias obſtare furori,
Eumenidum è Stygiis video prorumpere clauſtris
Agmina, & inſuetum paſſim ſævire per orbem;
Nec jam divino duxiſſe à ſemine prolem
Juverit, aut cœlo magnos æquare labores.
Nunc fortes oſtende animos, dum cognita virtus
Imperat, & timidos vires aſſumit in hoſtes.

Nam qui tam vaſta populus ſe mole tenebat
Pro ſuperis, quique innumeris delubra tropæis

Ornabat,

Digitized by Google

Ornabat, ſemperque novo ſpargebat odore,
Corruit infelix, noſtriſque licentius amens
Inſultat precibus, quoties aut parcere templis,
Aut ſacros iterum cultus celebrare rogatur.
Sed tamen audaces in te non tollere faſtus
Fama ſinit: gelida premitur formidine ſanguis,
Duraque ſollicitus vexat præcordia terror.
Ceu quondam rapidi vertunt ubi cærula venti,
Atque indignatum ſcopulis immurmurat æquor,
Affectatque polo veſtigia: puppibus atrox
Inſtat hiems, ſubitoque immergit gurgite nautas:
Si vero mediis ſeſe pater exerit undis,
Ocyus omne fretum conſternitur, altaque ponti
Murmura ſubſidunt, nec preſſa ſilentia rumpunt.
Præterea cum magna tuæ primordia pugnæ
Spectarint adverſæ acies, utque impiger arma
Expedias, & quantus eas in prælia, norint;
Cernere erit victas ultro ſuccumbere gentes,
Supplicibuſque Deum placari ſæpius aris
Ipſe pios tandem populos ad ſacra vocabis
Inſignis lituo; cultuſque & conſcia recti
Jura docens auro rapies miſerabile vulgus
Ex Erebo, prædaſque nigro prohibebis Averno.
At ſimul æternos Orci mirabitur ignes
Turba nocens, fruſtra miſeras ad ſidera palmas
Tendet, & immanes fundet lamenta per umbras.
Interea promiſſa novis ſolatia terris
Advenient, claroque dies fulgebit olympo,
Quem nunquam obſcuris obducat nubibus Auſter.
Tum metus, & turpi gaudens diſcordia cæde
Tænarias repetent fauces noctemque ſubibunt
Perpetuam: lætoque aderit Pax aurea vultu,
Nec ſecura quies horrentia bella timebit.

Scilicet

Scilicet hæc olim concordes ſæcula Parcæ
Felici ſtatuere colo, regnique futuras
Fixerunt adamante vias; cum vere perenni
Incuſtoditos rutilus Sol volveret annos:
Ut neque Lethæo properans mors gurgite quenquam
Obruat, aut liquido denſentur in æthere nubes.
  Sederat Aonia nuper ſub rupe Diſertus
Hæc meditans, acreſque trahens è pectore queſtus
Complebat mœſto Parnaſſia flumina cantu.
Non ſecus ac liquidi conſueta ad ſtagna Cayſtri
Intempeſta querens vicini funera leti
Pulſat olor vacuas crebris plangoribus auras.
Ille quidem ſemper primo te mane canebat,
Magne Pater, quoties ſurgens Aurora relicto
Emicat Oceano; quoties ardentia cœlo
Lumina ſuccendit, vigileſque exſuſcitat ignes;
Donec inacceſſis lacrymantem Phœbus ab antris
Audiit, & longum juſſit cohibere dolorem.

AD JOANNEM MALLARAM Hiſpanum.

Jam dudum, Mallara, mihi tua cognita virtus,
Et ſæclis manſura perennibus aurea dicta,
Muſarum dulci varie inſignita lepore,
Me junxere tibi, ſtudioque & amore priorem.
Sed neque adhuc licuit, cum tot terræque, mariſque
Diſcludar ſpaciis, longe diſtantis amici
Conſpectu, & ſermone frui, tecumque beatos
Traduxiſſe dies. tamen altæ lumina mentis
Neſcia compeſci, aut ulla regione teneri,
Intueor tacitus, noſtriſque admiror ab oris,
Dum blando oblectas me carmine, laudibus ornas,
Æterniſque animi theſauris inſeris. ex quo

Quam

Digitized by Google

Quam tenear tibi, ſi memorem & gratum eſſe putas me,
Tutemet agnoſcis, neque me memorare neceſſe eſt.
  Quæ vero teneris quondam meditatus ab annis
Et ſcripſi, & ſimul abjeci, quia carmina laudas,
Quantum judicio demis, ſuperaddis amori.
Atque ego jam à puero, & prima florente juventa,
Tunc auſus divina ſequi veſtigia vatum,
Multa quidem luſi, quæ ni immaturior ætas
Excuſet, vitio mihi vel me judice vertas.
Ut tamen eſt pueris quædam conceſſa voluptas,
Aut leporem cane ſectari, aut impellere damas
In laqueos, cèrvumque ſuis avertere ſilvis,
Aut viſco, & calamis, & fictæ carmine vocis
Fallere avem, aut tremulos captare in flumine piſces,
Aut comitum curſu, aut fluvium ſuperare natatu,
Aut torquere manu jaculum, aut contendere ſaltu,
Fortaſſe & mihi tum licuit per roſida cultæ
Pieridum ſacros ſitienti exquirere fontes,
Qua celer Aoniam recluſit Pegaſus undam.
  Verum ubi conſilium, majorque acceſſerat ætas,
Tunc alio incenſus ſtudio primordia rerum
Naturæ abſtruſa in gremio, cauſaſque latentes
Veſtigabam animo; & veri provectus amore
Addidici, quid materies, quid dædala forma,
Quidque foret res ipſa ſua viduata figura:
Quæ vis perpetua raperet vertigine cœlum,
Unde nives, pluviæque, & agentes nubila venti,
Et tonitrus, & picta ſuo Thaumantias arcu.
  Sed quoniam hæc avidos pulchra ſub imagine ſenſus
Eludunt, cum ſint veri ſimulacra, nec ipſam
Divinam attingunt naturam, propterea non
Certa quies, finiſque mihi quæſita dabatur.
Ergo alios cæpi mentem convertere ad uſus

Digitized by Google

Nil mortale, nihil concretum, aut ſenſibus ullis
Comprenſum meditans, & ſupra nubila, & Euros,
Stellarumque vias animo interiore ferebar.
Namque videns, quæcunque ſinu, amplexuque coërcet
Terra ſuo, quæcunque ſuo Sol lumine luſtrat,
Uno ex principio fluere omnia, & appetere unum
Pulchrumque, æternumque & idem immutabile ſemper
Immenſumque bonum, certa jam luce fruebar,
Cui nulla unquam aurora præit, nullæque tenebræ
Succedunt, quæ ſola Dei veſtigia monſtrat.
Cætera, uti tenues umbras, momentaque rerum
Exigua, & rapido præterlabentia curſu
Expendens, curas hominum miſerebar inanes.
Atque utinam ſacer ille ſua me Spiritus aura,
Spiritus, æterno qui temperat omnia motu,
Tollat humo, doceatque Dei ſcrutarier oras,
Inſuetum expediens iter, & ſpacia ardua cœli,
Thesbites veluti liquidum ſuper æthera vectus
Emicuit, ſtrinxitque rotis ardentibus aſtra,
Cœleſtes quondam auſus equos, currumque volucrem,
Igniferum, ingentem, flammaſque ex axe rotantem
Flectere, & immiſſis cœlum percurrere habenis.
Hoc uno deſiderio, atque cupidine flagrans
Illud ago, ut mens corpórea contage relicta
Obſtantes ſuperet nubes, ſeque inferat aſtris.
Tu quoque ſi noſtri ſocius, conſorſque laboris,
Tanquam animi templum, diæ penetralia mentis
His ſolum referas curis, hoc lumine luſtras,
Forſitan & nos poſteritas, & ſera nepotum
Poſt obitum, & mutos cineres mirabitur ætas,
Ut ſacer abſentes idem conjunxerit ardor:
Utque alter viridi in ripa prope Tibridis undam,
Alter, ubi irrigua cingit ſe Bætis oliva,

Digitized by Google

Dum vitam excolimus ſtudiis cœleſtibus ambo,
Jam paribus ſanctam auſpiciis perquirere legem,
Secretoſque Dei ſenſus, ſedeſque beatas
Suerimus, & ſuperum menſis, & nectare veſci.

AD LUDOVICUM DULCIUM.

Hic tibi florentes, Dulci, terra explicat herbas,
Blanditurque levi murmure rivus aquæ.
Te Zephyri invitant, & ſuavis ſpiritus auræ,
Et ſilva argutis obſtrepit alitibus.
O utinam umbroſo mecum projectus in antro
Conſuetis caneres Thyrſin arundinibus.
Jam tua vicinæ ſequerentur carmina quercus;
Duceret & faciles cantus Hamadryadas.
Et rapidos ultro retinerent flumina curſus,
Altaque ventorum murmura conciderent.
Ille autem blandæ captus dulcedine vocis
Afferret pleno roſcida mala ſinu.
Aut pavidum hinnuleum per devia rura ſequutus,
Donaret caro non leve munus hero.
Tum veſtros in amore animos mirata Neæra
Poneret immiti pectore duritiem.
Forſan & ad tenerum amplexum revocaret amantem,
Et cuperet veſtras vincere delicias.
Ipſa mihi niveis ornaret ſerta liguſtris:
Et peteret multis oſcula blanditiis.
Interea gremio formoſæ virginis hærens
Poſſem etiam magnum ſollicitare Iovem.
Nunc vero indignas cogor jactare querelas
Montibus, ac ſurdis dicere verba notis.
Quales æquoreæ deſerto in littore queſtus
Halciones fundunt, aut moriturus olor.

Digitized by Google

Nec poſſunt lacrymæ duram lenire puellam;
Nec noſtra adverſos flectere vota deos.
Vos teſtes nemorum ſaltus, vos flumina, quæque
Audiſtis gemitus ſidera ſæpe meos,
Cum me Sol roſeo lacrymantem vidit ab ortu,
Vidit & Heſperio proximus Oceano.
Felix, qui lento decerpens pabula morſu
Occultum gaudet taurus inire nemus.
Illum proſequitur ſecreta cubilia quærens
Bucula, & optatis detinet illecebris.
Sive latus niveum molli reclinat in umbra,
Et frigus denſis captat ab arboribus:
Seu prærupta petit juga, ſilvarumque receſſus,
Agnoſcit latebras læta juvenca ſuas.
Ah quoties, querulis dum implet mugitibus agros,
Illa etiam è ſummis rupibus ingemuit.
Et viſa eſt deſiderio tabeſcere amantis
Triſtis, & in nuda procubuit ſilice.
At crudelis Amor cura me torquet inani
Exercetque novas in mea damna vias.
Non ego vitarim perfuſas felle ſagittas;
Eripiam tanto nec caput imperio.
Audiſtine olim Inachiæ fera fata puellæ?
Addidit heu miſeræ cornua durus Amor.
Ducus Amor cara Iſmarium pro conjuge vatem
Compulit ardentes ad Phlegetontis aquas.
Ibat, & inſueto mulcebat carmine manes
Obſcura ingreſſus limina Perſephones.
Infernæ occurrunt facies, atque horrida monſtra,
Horrida, ſed poſitis nil nocitura minis.
Exangues ſtupuere animæ, nec Cerberus ora
Extulit, & Stygii contremuere lacus.
Flerunt Eumenides, laceroſque Ixionis artus

Suſtinuit ſtabilis vate canente rota.
Tunc & inexpletis caruerunt Belides urnis:
Et Tityus nullas viſcere pavit aves.
Defunctam vita Euridicen miſerabilis Orpheus
Poſcit, & abrupti fœdera conjugii.
Oranti annuerant Parcæ, ac fatalia rurſus
Ducebant certis ſtamina temporibus.
Jamque ſequebatur cari veſtigia conjux
Læta viri, hac illum lege coacta ſequi.
Nec procul amnis erat, Stygias qui dividit oras,
Ferreaque horriſonis mœnia cingit aquis;
Cum ſociam reſpexit amans incautus, & eheu
Infelicem iterum perdidit Euridicen.
Ter conatus erat precibus retinere, ter arcto
Excipere amplexu deficientem animam.
Illa umbris devota Erebi, & morientia condens
Lumina, mors (inquit) perdidit una duos.
Et tenebris obtenta, levique ſimillima vento,
Trajecit volucri flumina nigra rate.
Nec tamen orantem Lethæis Orphea ripis
Portitor accepit, nec nova jura dedit.
Quid faciat? raptam Euridicen fugientibus aſtris
Semper, & Euridicen Sole cadente vocat.
Solus inacceſſas rupes, Scythiæque pruinas
Luſtrat, & aſſiduis fletibus ora rigat.
Crudeleſque deos conqueſtus, & irrita dona
Ingemit Euridicen nocte dieque ſuam.
Quinetiam cum avulſum humeris caput abſtulit Hebrus,
Illi extrema quidem vox fuit, Euridice.
Quid memorem Heroas, quid cognita furta deorum,
Quos face, quos arcu perculit acer Amor?
Ah miſer Alcides poſt bella, hauſtoſque labores,
Mœoniæ extimuit virginis imperium.

Et potuit toties ſimulatos ſumere vultus
Juppiter, & fictis fallere imaginibus.
Quid mirum, ſi me primo ſub flore juventæ
Cepit blanditiis pulchra Neæra ſuis?
Et docuit collo lentis hærere lacertis,
Et caro invitum avellier è gremio?
Quod ſi nulla mihi placarint vota Neæram;
Si miſeras ſurda ſpreverit aure preces:
Et cupiam tantos leto finire dolores,
Ignotiſque tegar mortuus aggeribus:
Tu face, ut exigua ſuperet breve carmen in urna:
Hunc Amor, hunc juſſit dura puella mori.

AD LYGDAMUM.

Tune igitur multa defeſſus membra palæſtra
Non parces vaſtis, Lygdame, fluminibus?
Nec te cæruleo latitantes gurgite Nymphæ,
Nec terrent dubiæ mille pericla viæ?
Ah quoties, amne in medio dum brachia jactas,
Extimui, ne cui grata rapina fores.
Aut, cum perſpicuis miraris membra ſub undis,
Arderes formæ captus amore tuæ,
Talis, ubi Myſorum agros celſa attigit Argo,
Thiodomantæum luſerat error Hylan.
Fons erat, & circum ſurgebat myrtea ſilva,
Quam ſaliens liquidis rivus alebat aquis.
Quinetiam æterni pingebant gramina flores,
Fragrabatque Arabo ſemper odore nemus.
Huc puer ad gelidos properabat forte liquores,
Et teneram implebat fictilis urna manum.
Urna manum implebat variis diſtincta figuris,
Quam quondam Alcidæ fecerat Eurytion.

Digitized by Google

Illic Gerionem triplici cælaverat auro,
Et monſtrum Nemees, & Diomedis equos.
Stabant Lernæi linguis vibrantibus angues,
Et terror ſilvæ ſus, Erymanthe, tuæ.
Ille autem vario texens è flore corollas,
Incuſtoditum ſæpe moratur iter.
Nunc nova formoſa decerpit lilia dextra,
Nunc teneris ornat ſerta papaveribus.
Nunc etiam placidos invitat carmine ventos,
Ut levis æſtivum temperet aura diem.
Interdum auditis avium concentibus hæret;
Tentat & argutos voce referre modos.
Ille tamen prope fontis aquas incautus, & amens
Conſtitit, & vanis arſit imaginibus.
Miratur nigros oculos, miratur & ora:
Et deſiderio deperit ipſe ſui.
Quæ te (inquit) formoſe puer jam fata retardant?
Complexuque meo ſæpius eripiunt?
Quid prohibet ſocio conjungere corpora luſu?
Mutuaque alternis oſcula ferre genis?
Intueor dum pronus aquas, & brachia tendo,
Surgis, & hæc eadem tu quoque ſigna refers.
Et tanquam noſtri ſolitus miſereſcere luctus
Confundis mœſtis lumina lacrymulis.
Audierant miſeras liquido ſub fonte querelas
Najades, atque imis exiluere vadis.
Tum puerum magni clamantem nomen amici
Certatim cupidis corripiunt manibus.
Sed quid jam Alcides proſit, contraria quando
Fata obſtant, tanti conſcia fata mali?
Illum Nymphæ arctis retinent complexibus omnes,
Et cohibent fuſis undique fluminibus.
Fulgebant nitidis argentea membra ſub undis,

Ut micat è magno Lucifer Oceano:
Solantur lacrymantem, atque oſcula dulcia figunt;
Ille tamen neſcit cedere blanditiis.
Interea iratuſque ſibi, plenuſque timoris
Implorat crebris vocibus auxilium.
Parte alia quærebat Hylam Tyrinthius Heros,
Et planctu implebat concava ſaxa ſuo.
Vallis Hylan reſonabat: Hylan nemora avia circum:
Et conſors gemitus ripa iterabat Hylan.
Tunc urgere deos queſtu, tunc omnia paſſim
Luſtrare, & cari quærere ſigna pedis.
At puer, ut notas conatur reddere voces,
Saxorum vaſtis clauditur objicibus.
Nec potis eſt vox ulla leves erumpere in auras,
Nec petere abſcentis præſidium domini.
His tua nunc primum metire pericula damnis,
Lygdame, & exemplo cautior eſſe velis.
Et ſeu luctantes ſudore rigaveris artus,
Seu longam in ſilvis juverit ire viam,
Effuge Nympharum acceſſus, neu crede repoſtis
Te fluviis, quoties occupat oſſa calor.
Et potius non ulla habeant hæ flumina ripæ,
Quam tu unquam Herculei fata ſequaris Hylæ.

AD JULIUM.

Dum mihi felices, Juli, nemus explicet umbras,
Non alias malim quærere divitias.
Et modo odoratas intexam floribus herbas,
Eoas videar cogere ſolus opes.
Seu lætas viridi paſcam ſub valle capellas,
Mænalios recolet fiſtula noſtra modos.
Seu defeſſa levi declinem membra ſopore,

Ser-

Servabit tenerum pulchra Neæra gregem.
Et mihi perſpicuæ ſitientia diluet ora
Rivus aquæ, & victum mitia poma dabunt.
Quid dubio iratos percurram remige fluctus,
Expleat ut miſeram lucida gemma ſitim?
Ah pereat, quicunque truci ſe credere ponto
Audet, & ignotas æquoris ire vias.
Hinc pelagi rabiem, vaſtas hinc nauta procellas
Senſit, & abruptis excita monſtra fretis.
Cum nullæ invitum domuiſſent Nerea puppes,
Æquoreas licuit ſæpe videre deas.
O quoties niveas Tethys exerta papillas
Natarum explicuit per freta ſumma choros.
Atque ubi mortales in ſe convertit ocellos,
Gaviſa eſt fidi littoris hoſpitio.
At poſtquam audaci ſuperavimus æquora pinu,
Cæruleis Nymphæ delituere vadis.
Tum pecus indomitum ſpumoſo è gurgite Proteus
Extulit, & tumidum juſſit obire ſalum.
Tum crudelis hiems pavidas ſurrexit in alnos,
Succeſſitque polo mœſta cohors Hyadum.
Me juvat umbroſos indagine claudere ſaltus,
Nec pudet exigua delituiſſe caſa.
Quid mea Mygdoniis conſurgant tecta columnis?
Aut rubeant oſtro vellera Sidonio?
Felices olim coluerunt numina terras,
Aureaque æternum ſæcula ver aluit.
Ludebant paſſim Dryades per opaca vireta:
Ludebat cupido juncta puella viro.
Et pariter dulces aſſuerant carpere ſomnos,
Alternoque ſimul nectere flore caput.
Tum nunquam obſcuræ cinxerunt æthera nubes,
Nec Notus Æolio carcere proſiluit.

Nec ſæva ardenti ſonuere tonitrua cœlo,
Nec placidum armarunt ignea tela Iovem.
Scilicet optatos præbebat ſilva receſſus,
Grataque ſepoſitas antra dabant latebras.
Aëriæ neque adhuc pulſabant ſidera turres:
Nec ſtabat Pario marmore fulta domus.
Ilicet auditi tonitrus, cum Juppiter arces
Vidiſſet celſum tollere in aſtra caput.
Tum primum attonitæ nimbos & fulmina gentes,
Ventorumque novas extimuere minas.
Quinetiam ſuperum foribus præfulſit Orion,
Et lævum inſolito muniit enſe latus.
Me vero gelida lucus ſi protegat umbra,
Rura colam, votis rura petita meis.
Illic formoſæ vaccinia prima Neæræ,
Et violas pictis ipſe feram calathis.
Illic ſectatus volucres ad retia cervos,
Arenti liquidos ore bibam latices.
Aut dulces plena decerpam ex arbore fœtus,
Aut paſcam niveum læta per arva gregem.
Dî facite, extremo decorent me rura ſepulchro,
Spargat ubi rutilas mœſta Neæra roſas.
Et triſtes demiſſa genas, demiſſa capillum
Inſcribat tumulo jam moritura meo:
Huic ſemper nemora, huic placuerunt mollia ſemper
Gramina, qui viridi nunc quoque gaudet humo.

PUELLÆ QUERELA DE MARITO PEREGRE PROFICISCENTE.

Improbe, jam ne alios etiam meditaris amores?
Et certum eſt, pactam ſolvere velle fidem?
Nec te jura deum, nec conſcia numina terrent?

Nec

Nec poterunt ullæ te revocare preces?
Scilicet in volucres abeunt perjuria ventos,
Aut tantos ſuperi non meminere dolos?
Scilicet alma Venus miſeræ hoc promiſit amanti,
Ut primum ſocio junxit utrumque toro?
Cumque fores ingrate meis donatus ocellis
Heu potes ignoto tendere vela mari?
Ac viduo ſolam thalamo liquiſſe puellam
Perfide, & amplexus deſtituiſſe meos?
Vos, o vos, ſaltem pelagi miſereſcite Nymphæ,
Æquoraque inſuetis tollite veſtra minis.
Protinus inſurgant horrentia monſtra profundo,
Et puppim inſanis obſtruat Auſter aquis.
Ille tamen mediis lacrymans me clamet ab undis,
Et cupiat noſtro ſe refovere ſinu.
Illiusve ſuos ſcopulo ſuſpiret amores,
Ac fruſtra imploret jam moriturus opem.
Neu ſit, quæ patrio tandem tegat oſſa ſepulchro,
Vel condat multa corpus inane roſa.
Sed mihi perpetuos cur nunc maleſana dolores
Imprecer? aut contra fundere verba juvet?
Dî maris, æquoreos placidis conſternite campos
Fluctibus, & zephyri temperet aura ratem.
En parat in cupidas accurrere conjugis ulnas
Mitiór, & ſolitos mecum iterare jocos.
At tu defeſſam terris appelle carinam,
Nauta. quid invitam cogitur ire viam?
Non ne vides; retro properantia ſæcula verti?
Et madidum adverſo ſurgere ab axe Notum?
Sæve, reluctantem terris appelle carinam,
Si poſſunt lacrymæ ſurda movere freta.
Ecce graves mecum geminant hæc littora queſtus,
Et conſueta ſimul plangere ſaxa dolent.

Ipſe tamen precibus crudelia pectora claudis,
Nec tua jam luctu lumina victa madent.
Irrita quid, male cauta, tibi ſolatia fingis?
Non ne animum luſit ſpeſque, timorque ſatis?
Ille quidem extremos rapidum direxit ad Indos
Remigium, Oceani quod levis unda vehit.
Forſitan optatæ potitur telluris arena,
Et præ te luſus altera novit amans.
Atque tuis olim cervix onerata lacertis
Virgineas ſueſcit nunc tolerare manus.
Forſan & irati latrantia murmura ponti
Horret, & à cara nollet abeſſe domo.
Detur inoffenſo vitare pericula curſu,
Dum velit ad patrios inde redire lares.
Sin juvat externi perquirere littoris oras,
Me quoque in iis tecum finibus eſſe ſinas.
Una duos pariter ſervaret puppis amantes,
Aut, ſi fata velint, perderet una duos.
Quis ſcit, an in vitreis illum Nereides antris
Inter ſe grata non vice detineant?
Alterniſque virum foveant complexibus omnes?
Et quæ jam fuerant gaudia noſtra perant?
Reddite cæruleæ, jam reddite gaudia divæ,
Quæ me olim ſubito ſurripuere mihi.
Vos quoque quid ſit amor noſtis: nam gurgite in alto
Sæpius ardentes vos caluiſſe ferunt.
Sed quid ego hæc referam demens? ah perdita conjux,
Nonne vides igni ſuppoſuiſſe faces?
Illum Cymothoe, Drymoque licentius urgent,
Brachiaque hærentes arctius injiciunt.
Tu vero tantos obitu finire dolores
Accelera; lacrymis mors erit una modus.
Atque ita ſingultantem animam peritura ſub undis
Merge,

Merge, & inexpertis conde cadaver aquis.

GALLÆ QUERELA DE MARITO VENATORE.

Si potes invita toties ſecedere Galla,
 Denſaque nexilibus claudere luſtra plagis,
Et longæ perferre nives & frigora noctis,
 Aſperaque hiberni flabra ſubire Noti;
Ah pereant acreſque canes, & retia, & arcus,
 Et quæ Mygdonia tela geris pharetra.
Nec tibi ſit tanti vaſtos indagine ſaltus
 Cingere, & obſeſſas exſuperare feras,
Ut ſine te viduo conjux cubet anxia lecto,
 Et metuat fati mille pericla tui:
Et ne crura tibi lædant & brachia ſentes,
 Neve tuo madeat ſanguine torvus aper:
Neve tuos rapiant ſilveſtria numina ſenſus,
 Blandus Hamadryadum, Naïadumve chorus.
Neve Aurora, novo cum ſeſe oſtentat ab ortu,
 Raraque purpurea diſcutit aſtra manu,
Te modo venantem, modo curva in valle jacentem
 Complexu impediens malit, Iule, ſuum.
Sic juvenem Æolidem ſilvis excepit in altis
 Vix egreſſa rubro conjugis è thalamo.
Ille genas primo ſignarat flore juventæ,
 Et poteras tenero, Procri, timere viro;
Seu matutinos agitans ad retia cervos
 Curreret arguto ſola per arva pede.
Sive canum hortator viridem luſtraret Hymettum
 Inſignis Geticæ tigridis exuviis.
Atque, ut forte canes tumulo revocabat ab alto,
 Succinctum Gnidia vidit amans pharetra.

Pende-

Pendebant humeris arcus, Lyciæque ſagittæ,
Stabat & in roſeo plurimus ore vigor.
Ut viget umbroſis in vallibus avia myrtus,
Pronaque vix flores ſuſtinet una ſuos
Quem dea nube latens cœleſtibus extulit ulnis,
Membraque nectareis languida fovit aquis.
Nunc tu ſollicitos Gallæ depelle timores
Aſſidua victus pectora dura prece.
Quaſque invexit hiems, & frigida ſidera, noctes
Conjugis in tepido contere Iule ſinu.
Deinde ubi ver nitidum Zephyruſque & lenior aura
Duxerit, & viridi gramine pinget humum,
Vicina lepores melius venabere ſilva,
Hæreat ut lateri candida Galla tuo.
Illa leves agitare hinulos, & tendere caſſes
Diſcet, & inſtanti ſolvere vincla cani;
Qualis Menalios errans Atalanta per agros
Terruit adjuncto Milanione feras.
Sic & nulla tuos injuria lædet amores,
Et ſtrepet arguto nulla querela toro.

AD N. PICENUM.

Subjecta priſcis regna parentibus,
Et jam ſuperbos Mygdoniæ duces,
Trojamque, & antiquæ triumphos
Heſperiæ ſuperavit ætas.
Adverſa divum ſæpius agmina
Videre Pœni, cum caderent ſacra
Carthaginis delubra, & ignis
In patrios rueret penates.
At non vetuſtas Mæoniæ modos
Delet Camœnæ, nec Iovis impetus

Exterret

Exterret unquam, ſi tonantes
Acer equos per inane torquet.
Secura fraudis ſcilicet ultimos
Virtus in annos clarius undique
Extendet æternos honores,
Dum rapidum feret aſtra cœlum.
Oblivioſo vindicat exitu
Vates, & Orco ſurripit invido
Quoſcunque, Piceni, beato
Nomine, carminibuſque donat.
Sic te malignæ fama ſuperſtitem
Morti, gementis trans freta Boſphori,
Nilique ſecretos meatus
Semper aget meliore penna.
Te Martialis noſcit Iberia,
Te, qui feraces Armeniæ colunt
Silvas, & Auroræ ſub ortu
Quos tumido rigat amne Ganges.
Utcunque curſus temperet annuos
Fortuna, vives: ſeu vocet impius
Sævas cohortes Mars ad arma,
Arma novo reparata bello:
Seu lætum inermis Pax comes otii
Tranquillet orbem, quæ ſuperum igneas
Cuſtodit arces, & ſeveras
Dejicit inviolata leges.

IN OBITUM HORATII FARNESII PARMÆ DUCIS. AD IO. CASAM.

Cœlo propinquas muniat urbium
Regnator arces, altaque marmora
Colluſtret auro, dives agris,

Imperii ditione dives.
Non ille magni conſilium Iovis,
Non ille fatis debita funera
Supplex reflectet, nec fugaces
Sollicita prece ſiſtet annos.
Heu quid deorum quærimus in ſinu
Sacro latentes temporis exitus?
Quid ſortis expertes futuræ.
Spes avidis jaculamur auſis?
Extrema vitæ nox datur omnibus:
Nec ducta nigro ſtamina pollice
Parcæ retexunt, nec refigunt
Impoſitas adamante leges.
Et nunc labantes conſilio duces
Videre magni funera Principis,
Farneſiumque heroa ademptum
Flet patriis Tiberinus oris.
Qui, cum minaci fervidus agmine
Adverſa nuper caſtra laceſſeret,
Inſignis haſta, inſignis enſe,
Ibat ovans medios per hoſtes.
Ut puta fertur per ſpatia ætheris
Late coruſcam ſtella trahens facem,
Sectas ut excurrit per auras
Ignem agitans, volucreſque flammas.
Ille emicans in turbine Martio,
Acrique turmas robore proterens
Pubentis ævi veſtiebat
Flore genas, teneraſque malas.
Quem nec doloſæ ferreus obruit
Imber cohortis, nec violentior
Extinxit ictus, dum frementi
Victor equo ſuperaret hoſtem.

Et

Et nunc decora pulvere ſordidus,
Nunc ære fulgens pectora Norico
Noctes fatigaret dieſque,
Exuviis inhians Iberis.
Dejecit altis heu tamen arcibus
Muros tuentem fulmen aheneum,
Fulmen repercuſſus, quod hoſtis
Impulerat rapiente flamma.
Sic pura cœlo ſtella refigitur,
Sic alba cycnum guttura ſaucium
Gortynia exturbat ſagitta
Paſtor ab æthereo receſſu.
Heu dux acerbo vulnere concidit,
Artuſque pulcro Sanguine proluit!
Heu fila Clotho ducta fuſis
Aurea purpureis reſolvit!
At tu beato carmine Principem
Cœlo reponens, tu juvenis memor
Oblivioſis exime umbris,
Magne Caſa, egregios triumphos.
Quos tollat alto gloria vertice,
Divumque ad arces evehat igneas,
Et ducat ales Fama ad Indos
Laudum apices reſonante penna.
Dic arma ſacris ſparſa cruoribus,
Et luctuoſæ funera Galliæ:
Dic Marte victum fraudulento
Militiæ cecidiſſe robur.
Ut ſalſa quondam per vada Nerei
Injurioſæ vim ratis arguens
Vates recurvo piſce vectus
Dulcibus increpuit querelis.
Non ille ponti pertimuit minas,

Digitized by Google

Nec monſtra torvis horrida vultibus,
Cum pulcher oſtro, pulcher auro,
Fluctibus in mediis niteret:
Qualis profundo Pleias ab æquore
Emerſa fulget, cum pede lucido
Repellit undam, & crine rores
Decutit exiliens ſub aſtra.
Aptarat acri remige territus
Flavis coronam crinibus auream,
Stringebat imos palla fluctus
Sidonio ſaturata fuco.
Ut blanda Siren carminibus truces
Mulcet procellas, ſic fide Lesbia
Lenibat, argutoque cantu
Præcipites pelagi furores.
Suſpenſa cano gurgite Nereis
Vatem citato proſequitur gradu,
Phorcique proles appetenti
Pierios bibit aure cantus.
Quin & relictis littoribus ſtupet
Intenta blandis Alcyone modis
Lætæque delphinum cohortes
In celeres glomerantur orbes.
Hic pone ludens, aut cominus ſubit
Alterna lapſa pectore lubrico,
Aut inſtar undæ geſtientes
Saltibus exſuperat catervas.
Ille æſtuoſo creber anhelitu
Urget morantes, & volucri ſalum
Verrit natatu, vel fugaces
Torquet aquas leviore gyro.
Sed nota poſtquam vectus ad æquora
Proſpexit altos Oebaliæ ſinus,

Oblitus

Digitized by Google

Oblitus ingentem querelam
Atque avidæ inſidias carinæ,
O quæ ſecundis per freta curſibus,
Seu me ſequutæ, ſive loquax ebur,
Has, inquit oras, attigiſtis
Æquoreæ Thetidis ſorores,
Vos Sole primo, vos pelagi deæ
Dicam ſupremo: Soſpes ab æquore
Vos thure Methymnes alumnus
Et poſitis venerabor aris.
Tum, fide vector, te quoque concinam
Mixtis eburnæ carminibus lyræ,
O digne cœlo; quique cœli
Aſtra novo cumules honore.

In obitum

HIERONYMI FRACASTORII.

Nec Sol ab ortu pulchrior aureum
Oſtendit axem, nec magis Heſperus,
Cum pura nox invexit aſtra,
Sidereos micat inter ignes,
Quam vera virtus munere cœlitum
Terris refulſit. quam neque fulminis
Exterret ictus, nec minaces
Martis equi, nec iniqua bella.
Sed Ditis atri quem ſemel horridis
Adjecit umbris dura neceſſitas,
Non dia virtus, non Camœnæ
Ætherias revocant ad auras.
Nec Muſa quondam reſtituit parens
Fatis ademptum Threïcium Orphea,

Quanquam ille dudum corda molli
Flexerat Eumenidum querela,
Auſus profundos flebilibus modis
Excire Manes, nigraque Tartara,
Noctemque damnatam ſubire,
Dum miſeram Euridicen repoſcit.
Nec morte functum candida Pieris
Ad lucis oras, ad nitidum diem
Fraſtorium vatem reducit
Sæpe deos precibus fatigans;
Seu flexuoſo Tethyos è ſinu
Phœbus recurrens explicat aureas
Equis habenas, & rubente
Exhilarat ſua regna curru,
Seu noctis udæ prævius Heſperus
Sacros reliquit Nereïdum choros,
Et Luna rotantes aperto
Extulit Oceano jugales
Illum gementes Aonio in ſpecu
Flevere Muſæ; nec mel apes, neque
Dulcem dederunt aſtra rorem, &
Flumina deſtituere cycni.
Nunc plena luctus omnia: nunc humi
Phœbea laurus, nunc hederæ jacent.
Nunc cæca nubes ſidus urget
Pierium Stygia ſub unda
Sic puppis atro mergitur æquore,
Quæ bella nullis gentibus inferens
Fulgebat inſignis Sabæis
Muneribus, Phariaque merce.
Declivis alto Sol ruit æthere
Feſſas reclinans Oceano rotas:
Sed luce terras veſtit idem

Purpu-

Digitized by Google

Purpureo rediens Eoo.
Nos ut ſevera turbidus alluit
Cocytus unda, fataque Gnoſſius
Judex ahena movit urna,
Ad ſuperos via nulla ducit.
Quis victa morbis, victa doloribus
Firmabit herbis membra potentibus?
Quis verba devolvet rotata
Ambroſio nivis inſtar ore?
Tardaſque nectet fluminibus moras
Carmen decoro pectine temperans?
Carmen, quod argutis ab antris
Sæpe loquax iterabat Echo?
Tu Phœbe teſtis, cum tibi fervida
Sacrabat alto pectora numine
Oracula edoctus Pelaſgum,
Sanctaque templa animi recludens.
Sive ille fati præpetis obvias
Tardaret alas Pœonis artibus,
Seu voce mallet, ſeu canoris
Pronum Atheſim fidibus morari,
Qua pulchra labens per vada libero
Amnis natatu Naïadum ſacros
Pertentat amplexus, & udam
Mordet aqua fugiente ripam.
Sed pone luctus, anxia Pieri:
Non ille magni cultor Apollinis
Urgetur obductus perenni
Nocte oculos, gelidoque ſomno:
Qui ſempiternæ menſus iter plagæ,
Et ſe beatis ſedibus inferens
Acceſſit aſtris, & niteſcit
Altior invidiæ tenebris.

IOLAS.

Sic te perenni picta flore gramina,
Et umbra denſis explicata frondibus
Levent, beate paſtor, ut nec horrida
Hiems virentium arborum lædat comas,
Nec prata lætis exuat coloribus:
Prata illa regnis præferenda, quæ tibi
Tantum quietis otiique ſuggerunt.
Felix, Iola, grata ruris commoda
Semper tueris, ſeu colis ſcatentia
Vireta rivis, ſive ſub cavo ſpecu
Projectus, & curis ſolutus omnibus
Canis, quod ipſa circum imago conſonet,
Et alta reddant montium cacumina
Felix Iola, nunc tibi fons languidum
Affert ſoporem blandiente murmure:
Nunc dulci amore ſaucius, tuos novis
Incidis ignes populis; & ſtipite
Creſcente dulcior ſimul creſcit calor.
Tecum in reducta valle grex depaſcitur;
Quantumque longis ſolibus carpunt oves,
Brevi reſurgit nocte. tecum veſpere
Surgente notis clauditur præſepibus:
Aſtriſque jam cadentibus, cum paſcua
Lento madeſcunt rore, proſilit pecus
Molles ad herbas. hic tibi tunc alitum
Congratulatur cantus. hic felicibus
Adſpirat auris obſtrepens Favonius.
At tu beate paſtor, iſto munere
Diu fruare, nec nemus, nec florida
Offendat arva frigus acre, ſed tibi

Æterno

Æterno aperti vere floreant agri.

DAPHNIS.

Beate fons, ocelle fontium omnium,
Qui picta multis prata floribus rigas,
Tuoque ſuavem rivulo halitum accipis,
Unde ipſe odoratis quoque affluis aquis,
Has lacrymas ſævi doloris nuncias
Daphnis ſecundo amore tam diis proximus,
Nunc omnium miſerrimus libat tibi:
Ut bella Erilla, dum calore languida
Tuis refrigerat papillas undulis,
Tuoque feſſa conquieſcit in ſinu,
Quem mi peperit, identidem luctum hauriat:
Identidem illa hauriat, ſeu lucido
Fovet liquore membra, ſive candidas
Manus, & aureas ſimul lavit comas.
Sic dura forſan molliet præcordia,
Roburque tandem pectoris flectet ſui.
Formoſa Erilla, voſque muſcoſi ſpecus,
Et vos comantibus decore ramulis
Valete lauri, quæ meis laboribus
Sæpe affuiſtis, & doloris conſciæ
Impreſſa levi ſigna fertis cortice;
Veſtris in umbris, veſtro in amplexu miſer
Non amplius meos amores concinam;
Nec ſibilantium licebit arborum
Captare frigus in tenaci gramine,
Gregeſve blanda detinere fiſtula;
Hunc ego diem hauriam ſupremo lumine:
Hoc intuebor ultimum Solis jubar.
Jam jam emoritur animus mihi, & pallentia

Jam jam ora diræ imago mortis occupat.
Quare meo donate fletu & lacrymis
Vale beate fons, ocelle fontium.

DE CAROLO QUINTO IN GERMANIA PUGNANTE.

Pro magno imperio algentem dum pugnat ad Albim.
  Et ſpolia infenſo Cæſar ab hoſte petit,
Nunc enſem, Vulcane, tua molire ſub Ætna,
  Et galeam, ardentes quæ vomat ære faces,
Et ſacrum thoraca, & ahenea tegmina crurum,
  Cælatamque novis ægida imaginibus.
Illic finge acies, expectatoſque triumphos,
  Captivoſque duces, captaque ſigna ducum.
Lætaque purpureis plaudat Victoria pennis,
  Victriceſque ferant Rhenus, & Iſter aquas.
Nam roſea ſub nube Venus complexa nepotem,
  Aurea formoſa deferet arma manu.

AD MARCELLUM.

Quid me complexu invitum, Marcelle, paterno
  Eripis; & terras cogis adire alias?
Hic mihi parta quies, hic dulcis commoda vitæ,
  Ociaque illecebris officioſa meis.
Aut bona tot liceat ſemper deducere mecum,
  Aut jam cum his etiam vitam adime, atque animam.

DE LYCE.

Incluſam Danaën furtivo Juppiter auro
  Ceperat, & ſatyrus luſerat Antiopen.
Nunc, ut forte thori dulces quærebat amores,
  Rejecit Satyri vota preceſque Lyce.
Sed quoniam me (ait) obſervat cuſtodia matris,
  Aureus accedas, fallar ego ut Danaë,

SOMNO.

Hæc tibi Lethæis excerpta papavera ripis,
  Atque hæc bina meri pocula, Somne, damus.
Longius ut gratæ falſa inter gaudia noctis
  Detineat ſenſus irrita forma meos;
Cum facilem noſtris Anyten complexibus addis,
  Et me nocturnis ludis imaginibus.

AD SUUM ANIMUM.

Tunc igitur, mi anime, ambroſiis hærere labellis
  Auſus es, & tenerum ſumere baſiolum?
Me miſerum, tacitis traxiſti incendia flammis,
  Illita dum dulci melle venena bibis.
Ah ne iterum, male caute, iterum ne baſia quære;
  Non etenim jam animus, ſed novus ignis eris.

AD LYCINNAM.

Cur, ah, cur teneris dejecta eſt forma labellis?
  Cur roſeus niveo decidit ore color?
Siccine frigidulæ vento obriguere papillæ?

Siccine te, mea lux, dura momordit hiems?
Parce viæ, & nigro Boreas dum turbine terras
Perflat, in amplexus curre, Lycinna, meos.
At tibi, ſæve Aquilo, qui tam formoſa labella,
Quique ſinum potuiſti urere lucidulum,
Et dilecta ſuos neget Orithyja lacertos,
Urgeat & pennas tarda pruina tuas.

IN PRILLAM.

O Ego, dum nitidos errat mea Prilla per hortos,
Quam vellem rutilæ flos novus eſſe roſæ?
Qui ſeu virgineo decerptus molliter ungue
Ornarem ambroſiæ florida ſerta comæ:
Sive ſinum, & niveas perfunderem odore papillas,
Afferrem tacitas undique blanditias.
Gnoſiaque ut quondam ſtellis illata corona eſt,
Et Berenicæi verticis exuviæ;
Sic jam aliquis forſan felici lumine, cum me
Linqueret aridulis forma cadens foliis,
Obſervans cœlo fulgentem, aſtriſque micantem,
Diceret; ipſa ſuam ſidera habere roſam.

TUMULUS CREUSÆ.

Qua vicina ſacro non obſtrepit unda ſepulchro,
Littoris in gremio dia Creuſa jacet.
Hæc nitidos Charitum fontes libarat, & omnes
Pieridum flores docta legebat apis.
Neve ignota piæ pulvis tegat oſſa puellæ,
Aurea pro tumulo ſemper arena micat.

IDEM.

Digitized by Google

IDEM.

Quæ potuit rapidas cantu mulcere procellas,
  Nympharum ſociis juncta Creuſa choris,
Heu nunc muta jacet, Veneti maris aurea Siren,
  Et modo Lethæis anxia navit aquis.
Illius ingemuit ſacram Nereis ad urnam,
  Et ſtetit abſciſſis ad pia buſta comis.
Quin & adhuc illuſtrem animam perſæpe repoſcunt
  Ad tumulum querulis cantibus Alcyones.

AD HYELLAM.

Quid toties fletu nitidos corrumpis ocellos,
  Et profugam toties anxia quæris avem?
Non dominam effugit: nemorum colit illa receſſus,
  Dum doceat volucres nomen Hyella tuum.

AD SALUTEM PRO HYALE.

Dia Salus, ægræ precibus devicta puellæ
  Affer opem, & triſti pectora ſolve metu.
Aſpicis, ut graciles morbus jam torreat artus,
  Et formam nitidis obterat ex oculis?
At tu ſancta veni, diramque interfice tabem,
  Ne mala virgineo ſerpat in ore lues.
Et, ſi forte aliquo virgo vexanda calore eſt,
  Non Hyalem febres, ſed meus urat amor.

MATER FILIO DEFUNCTO.

Has ego ad inferias, ſi qua eſt tibi cura ſepulchri,
  Nate, feram lacrymis humida ſerta meis.
Ude lapis, quem mœſta parens, quem ſciſſa capillum
  Conſtitui teſtem funeris, & tumuli,
Tu pueri cineres, tu molliter oſſa tuere,
  Sentiat ut matris te poſuiſſe manus.

IN OBITUM LUSCINIÆ AVICULÆ.

Te ſilvis, Philomela, ſuis deflevit ademptam,
  Quam tumulo, & verna donat Hyella roſa.
At tu, ſi qua vagas retines concentibus umbras,
  Mulcet ubi infernas florida myrtus aves,
Nunc dominæ memor, Elyſias heroïdas inter,
  Dic recinens: veſtros vincit Hyella choros.

TUMULUS AVICULÆ.

Picta ſinus, auroque leves interlita pennas
  Fingebas vario gutture carmen avis.
Et dulci clamore diem, roſeamque vocabas
  Auroram invito conjugis è gremio.
Quam nunc extremo tumuli decoravit honore,
  Et ſparſit viola, ſparſit Acon lacrymis.
Forſan adhuc humili cantus meditaris ab urna,
  Sed reprimit cantus invida terra tuos.

AD

Digitized by Google

AD FONTEM.

Æmule fons vitro, Nympharum dulcis alumne,
Roſcida qui liquido curris in arva pede,
Seu laſciva tuas colludit Hyella per undas,
Arida ſeu gelido rore labella rigat,
Lucidulo formoſa lacu ſic virginis ora
Exprime, ne rapidæ deleat error aquæ.
Tunc neque tu Soli radios, neque ſidera cœlo
Invideas nitidis pictus imaginibus.

DE FONTE, ET QUERCU FONTEM INUMBRANTE.

Hinc averte greges, hinc duram averte bipennem,
Surgit ubi irriguis proxima quercus aquis,
Seu paſcis niveas dumoſa in rupe capellas,
Seu nemus antiquis exuis ilicibus.
Quæ contexta ſuis umbracula frondibus arbor
Explicat, hæc Dryadum ſanguinis una fuit.
At fons obliquo fugiens per gramina curſu,
Naïadum è ſacris proſilit uberibus.

AD APES.

Et cytiſum vobis, & olentia pabula thymbræ
Sevit, apes, rigui cultor Acon nemoris.
Vos date mella, ſuæ quæ munera mittat Hyellæ,
Illius ut roſeo nectar ab ore bibat.

AD HYELLAM.

Dum te rura tenent cultis formoſa viretis,
  Sacra ubi nativas ſilva coronat aquas,
O utinam ſim vel nitidis hyacinthus in hortis,
  Quo decores flavas, candida Hyella, comas:
Vel ſim frigidulæ jucundus ſpiritus auræ,
  Quem roſeo excipias laſſa puella ſinu.

AD ARIETEM HYELLÆ.

Dux pecoris laſcive aries, quem nuper acantho
  Et matutina cinxit Acon viola,
Si virides ſaltus formoſæ ingreſſus Hyellæ
  Projicis ad niveum florida ſerta pedem,
Illa tibi aurato mutabit vellere lanas
  Permulcens facili mollia terga manu.
Nec te lucidior puris fulgebit ab aſtris
  Aurea quæ Phryxum per mare vexit ovis.

CAPELLA PUERUM JULIUM LACTATURA.

Lentiſco cytiſoque ſua me in valle capellam
  Candida alit Naïs, pulcher Iule, tibi.
Illa novo ſacri nutricem heroïs acantho
  Implicat, & vario cornua flore tegit.
Nunc age, ſancte puer, te nectare prolue noſtro,
  Languida ut epoto pectora lacte juves.
Scilicet, Olenio cum animos æquaris alumno,
  Aurea tunc volucri tollar in aſtra pede.

DE

DE ALUMNI PIETATE IN NUTRICEM DEFUNCTAM.

Intonſo ſub colle Napen tumulavit alumnus,
  Et canæ impoſuit florida ſerta comæ.
Illic vina frequens libat ſitientibus umbris,
  Atque avidam querulis mulcet anum calamis.
Quæque ſuis puerum ad cunas concentibus olim
  Leniit, & plenis lac dedit uberibus,
Huic pro lacte merum, blandæ pro munere vocis,
  Sibila ſeptenis reddit arundinibus.

AMYNTAS UXORI, ET FILIO DEFUNCTIS.

Has lacrymas, formoſa Iole, tibi libat Amyntas,
  Libat & has lacrymas, candide nate, tibi.
Dilectam pueri, dilectam conjugis umbram
  Trans Stygias placidus navita vectet aquas.
Neve truces Furiarum acies exhorreat infans,
  Materno latitans hæreat ille ſinu.

DE CALAI VENANTE.

Seu trepidum hinnuleum Calaïs venatibus urget,
  Et puer æſtivum currit anhelus iter,
Seu terret nemora alta canum longo agmine cinctus,
  Sectaturque leves per ſua luſtra feras,
Vos illi ſpirate ſacris è collibus auræ,
  Candidus exuſto ne cadat ore color.
Et deferte vagas pueri venantis ad aures,
  Quam miſero Calaïs maceret igne Rhoden.

ACO-

Digitized by Google

ACONIS DONUM.

Ingemere æſculea ſueras modo, turtur, ab umbra,
  Ruſticus urbanæ quem dat Acon dominæ.
Candida avis, dominæ roſeis dignata labellis
  Excipies dulces è patulo ore cibos.
Atque utinam ipſe tuis ſublatus in aëra pennis
  Adveherer tenerum virginis in gremium!
Ut quondam formoſus olor fallacibus alis
  Venit in amplexus, aurea Læda, tuos.
Saltem interdictos pro munere reddat amores,
  Teque putet gemitus edidiciſſe meos.

AD IANTHEN.

Narciſſumque, roſamque tibi decerpſit, Iantho,
  Purpureis Corydon ſerta ferens calathis.
Ad ſepem tu ſola veni ſurgentibus aſtris,
  Dum numerat ſaturas anxia mater oves.
Si tibi nil ultra quærit, ſaltem oſcula junget,
  Florum animæ ut dulci paſtor ab ore legat.

ACONIS ANATHEMA.

Jam votiva ſacra pendet tibi fiſtula pinu,
  Digna etiam labris, Pan Tegeæe, tui.
Solvit Acon ſua vota, graves ubi Phllidis iras
  Molliit argutis blandus amans calamis.
Quod nec flava colus, quod nec potuere corollæ,
  Nec fixa ingratis cymbala liminibus.
Hanc cape: nam, trepidos quoties per amœna vireta
  Inſequeris Dryadum raptus amore choros,
Si perlucenti modulabere ſibila canna,
  Crudeles nemorum leniet illa deas.

DE

DE LYCINNA.

Nunc primum incolumi rediit ſua forma Lycinnæ,
Nunc panacem ſevit, candide Phœbe, tibi.
Hanc mollis foveat tellus, tua lumina firment,
Aſtraque fœcundi munere roris alant.
Si qua ferent iterum exangues contagia morbi,
Diffluet in medicas nobile gramen aquas.

AD NUBES PRO PUELLA METENTE.

Quæ gelidam volucri rupem ſubtexitis umbra,
Et juga præruptis ardua verticibus,
Aëriæ nubes, rapidum ſubducite Solem,
Et premite obſcuræ noctis imaginibus.
Candida formoſæ ne lædat Ianthidis ora,
Dum metit æſtivo grandia farra die.

VENATORIS TUMULUS.

Ut pharetram, & caſſes, armataque tela veneno
Mæonis ad tumulum contulit ægra parens,
Si toties tibi, nate, inquit, ceſſere leonum
Agmina, & ærata cuſpide foſſus aper,
Nunc etiam Stygias claudes indagine valles,
Et tua Tartareum proteret haſta canem.

DE PUELLA FLUVIO MERSA.

Deliciæ ruris, prono cum forte lacerto
Hauriret gelidas flava Amaryllis aquas,
Illam Naïades rapidum traxere ſub amnem,

Plena-

Digitized by Google

Plenaque Virgineam prodidit urna manum.
Nulla fuga invidiæ eſt! livor quoque numina tangit,
Et Venerem ſilvis eripuere ſuam.
Neve deas blanda poſſet lenire querela,
Clauſerunt celeres ora natantis aquæ.

DE HYELLA.

Luteolæ florem calthæ ſub ſole recenti,
Hyblæumque thymum dædala libat apis.
Dædala apis, vernos quamvis ſecteris odores,
Nativiſque legas roſcida mella favis,
Nec tu ſuaviolum, nec tu dulcedine vinces
Quod redolet labris nectar Hyella ſuis.

BIBONIS TUMULUS.

Sparge hedera tumulum, & veteris carcheſia Bacchi
Arida Cinyphii Mæonis umbra bibat.
Cantat adhuc Mæon, & adhuc, niſi terra vetaret,
Et raucum obſtrueret guttur anhela ſitis,
Laſcivi obſtreperent congeſto è ceſpite cantus,
Et ſiſtra, & calami, tympanaque, & crotalum.
At tibi ſi thiaſum inſtituit, ſi potus ad aram
Ludebat tremulo ſemper, Iacche, pede,
Tu face, ut ex humili ſurgens labruſca ſepulcro
Sufficiat bibulo dulcia vina ſeni.

DE NARCISSO AD FONTEM FLORENTE.

Dum tener irriguam floret Narciſſus ad undam,
Conſcius in tacito flore revixit amor.

Ecce,

Digitized by Google

Ecce, ſuæ quærens ſimulacra fugacia formæ
Nunc quoque ſe liquidis ſpectat, & ardet, aquis.

CHLORIDOS ANATHEMA.

Virgineos calathos, annexaque licia telis,
Et Methymnæas Lesbia Chloris acus,
Auratamque colum, perfuſaque murice penſa
Sedibus affixit, caſta Minerva, tuis.
Illa fatigatæ dedit inſtrumenta juventæ,
Cum premeret tremulas longa ſenecta manus.

CYMBA NAUFRAGA.

Me celer invaſit Boreas, & pronus Orion,
Et conjurato turbine vicit hiems.
Atque incerta viæ, & caro ſpoliata magiſtro,
Adnabam æquoreas naufraga pinus aquas.
Dum me, ſive ea Cymothöe, ſeu candida Doris,
Appulit his feſſam candida nympha vadis,
Verſat ubi nunc fluctus herum. Tu littoris hoſpes
Da precor extremis corpus utrumque rogis.
Ut, quibus iratæ toties ceſſere procellæ,
Corripiat ſocios una favilla duos.

NAUTÆ ROGUS EX CYMBA.

Vecta levi pinus ſinuoſa per æquora remo,
Dum legit Ægæum, dum legit Oceanum,
Conſenuit, nigriſque rogis incenſa Lycarbæ
Eſt dominum ad Stygios una ſequuta lacus.

LYCI ANATHEMA.

Jam remos, laceramque tibi, Neptune, carinam
  Soſpes ab Eoïs, ſoſpes ab Heſperiis,
Dat Lycus, ut rapidis qui vitam abſumpſit in undis,
  Excipiat patrio terra ſenem gremio.

PISCATORIS ANATHEMA.

Cui calamos, naſſaſque leves, geminoſque tridentes,
  Et laceram è portu ſuſtulit unda ratem,
Alcimedon Nymphis ſcopulo ſuſpendit ab alto
  Humida piſcoſis retia trita vadis.
Ite impunè leves ſinuoſa per æquora piſces:
  Jam metuent nullos agmina veſtra dolos.

DE PUERO NAUTA UNDIS MERSO.

Nox erat, & ſummi pendens è vertice mali
  Aptabam celeri carbaſa lecta manu;
Cum puerum hibernus diſtraxit in æquora turbo,
  Meque ſub Ægæis merſit arena vadis.
Sed ſuprema tuli miſeræ ſolatia mortis,
  Quod reducem puppis ſoſpita vexit heram.

DE PISCATORE CUM NAVICULA SUBMERSO.

Captivos ut forte ſenex relegebat cehinos,
  Apidanum hibernis obruit unda vadis.
Tum quoque merſa ratis periit, prædamque recentem
  Naufraga piſcoſis reddidit æquoribus.

Quamque

Quamque habuit ſociamque viæ, victuſque miniſtram,
Illa eadem extinctum trans Styga vexit herum.

IN MARMOREUM SIMULACRUM NYMPHÆ AD FONTEM DORMIENTIS.

Aſpicis, ut blando permulcens pectora ſomno
Imminet argutæ candida Naïs aquæ?
Illa quidem riguam fontis requieſcit ad undam,
Et jacet æſtivæ feſſa labore viæ.
Quod ſi forte ſacros pertentes virginis artus,
Et ſopor invitis effluat ex oculis,
Audaces exoſa manus ſua ad antra recurret,
Subtrahet & noſtris ſe dea luminibus.

DE EQUO, OB SENIUM MALE HABITO.

Mollibus inſignem phaleris, atque alite curſu
Viderat Eridanus, viderat Arnus, equum.
Nunc ſenior, gracilique trahens cervice rudentem
Æquoreæ puppi grande miniſtrat iter.
Si deus es, ſuccurre novo, Neptune, labori.
His olim indueras te quoque imaginibus.

A L I U D.

Acer equus, gelidum quoties pugnavit ad Albim,
Ad ſua victorem caſtra revexit herum.
Nunc tamen indigno religatus colla rudenti
Anxius adverſo vix trahit amne ratem:
Nec potis eſt avido decerpere gramina morſu,
Nec liquido arentem rore levare ſitim,
Quamvis intonſas feſſo pede proterat herbas,

Digitized by Google

Et tam vicinas ſpectet anhelus aquas.
Quam male ſub domino victricia ſigna ſequutus
Impiger hoſtili ſanguine lavit humum,
Si pugnæ ſocium abjecit, ſi fune revinctum
Sub rigido patitur verbere ſæpe mori.

DE LUSCINIA DELPHINO VECTA.

Threïcium increpitans Boream, quando impia Thrace
Spirabat gelidis flamina iniqua jugis,
Sed Boream tamen increpitans, male nixa volatu
Strinxerat æquoreas Daulias ales aquas.
Cum ſubito exiliens cana delphinus ab unda
Defeſſam mediis extulit æquoribus.
Ille autem effuſo metuens ſe tingere ponto
Librabat ſummo terga recurva freto,
Dum volucris blando permulcens carmine fluctus
Eſt Methymnæis reddita littoribus.
Forſan & illæſum ſervarat Ariona delphin,
Quo modo vocalem per mare vexit avem.

AD LUCIFERUM.

Quid properas, ingrate, meos læſurus amores,
Et nitido revocas, Lucifer, ore diem?
Non ego decepto violavi fœdere divos,
Nec Venerem ſacris diripui ex adytis.
Ah ne me caræ amplexu disjunge puellæ:
Ah ne me abreptis diſtrahe deliciis;
Flecte viam, tardoque remenſus ſidere cœlum,
Serum iter Eoïs contere limitibus.
Sic nunquam ulla tuos obducant nubila vultus,
Teque alat æterna Juppiter ambroſia.

IN ARANEAM.

Pendula cui graciles prætexis, aranea, telas,
Exprimit heu caſus fixa tabella tuos.
Iſtic docta manus pinxit nova texta Minervæ,
Pinxit & Idmonio licia nexa jugo.
Tune iterum antiquæ meditaris præmia pugnæ?
An memor inviſæ contegis ora deæ?

TUMULUS TRYPHONIS.

Stant aræ, ſtant coniferæ ad tua buſta cupreſſi.
Tu mea ab inferiis accipe dona, Tryphon.
Sic, venerande ſenex, tua quæ complectitur oſſa,
Floreat æternis terra papaveribus.
Sic Venus Aſſyrio tumulos irroret amomo,
Atque Hyblææ tibi munera libet apis.
Neve ſacro deſit vati poſt fata voluptas,
Proxima ab umbroſo cantet avis nemore.
Et qui te blando mulcebat murmure rivus,
Nunc etiam argutis ſomnia portet aquis.

Viſum eſt hîc addère Pindaricam ejuſdem Jo. Baptiſtæ Odem, brevem illam quidem ſed perelegantem, occaſione navalis victoriæ ad Echinadas partæ conſcriptam, quæ una ex ejus Græcis poëmatiis ſupereſt.

Digitized by Google

ΙΩΑΝΝΗ ΤΩ ΑΥΣΤΡΙΩ.

ΣΤΡΟΦΗ.

ΚΥΔΙΜΟΝ Εὔκλεια καλὸν φάος ἄθλων
σὰν ἐς αὐγὰν ἐκ πολέμου δέχεο
Καίσαρος παῖδ' ἀντιθέου.
ὃν δὴ ἀγλαοῖς ἐν ἀγκώνεσσιν ἐνέγοχε νίκη,
Θραξὶ δεινῶς ναυμαχήσανθ' ὑπὲρ
Κόλπων Ἐχινάδων ἐπὶ Τρινακρίας

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ.

πιστὸν ὅρμον, πῖνε δὲ νέκταρος εὐώ-
δεις γλυκείας ἐκ κύλικος λειβάδας
ἄρτι κιρνωσᾶν χαρίτων.
ἀγλαΐζεται δ' ἀεὶ κῦδος μετὰ κύκλον ἀέθλων
ἠλιοειδὲς, καὶ χρόνον μυρίον
ἀνθεῖ. πόνοι γὰρ εὔχεος ἐντὶ τροφοί.

ΕΠΩΔΟΣ.

ᾤχετο δ' Ἰονίαν περάων θαλάσσας
κύματα, καὶ πολὺν ἴθηνε στόλον
ἱερόν. οἷος ἔπλεεν Αἰσονίδας
Κολχίδος χρυσαυγέ' ἐς πόλιν μολὼν,
ἔνθ' ἀριστοέων θεοσυγεῖ ταχὴν
ἔμβαλε στρατῷ μόρον.
γηγενέων δὲ θανόντων, ὡς δράκονθ' ὕπνος δάμε,
χρύσεον εἶθαρ κῶας εἶλε.
κ' αὐτοῦ εὔπλοος φαεινοῖς
ἐν ἄστροις λάμπει Ἀργώ.

COR-

CORNELII
AMALTHEI
CARMINA.

Digitized by Google

Digitized by Google

URBIS VENETIARUM PULCHRITUDO, DIVINAQUE CUSTODIA.

Annua lux ſuperis aderat, qua Juppiter olim
Phlegræo impulſus bello, & furialibus auſis
Immanes trifido dejecerat igne Gigantes,
Et vaſto terrarum orbem tremefecerat ictu;
Cum propere exultans iterum Victoria cœlo
Inſtituit lætos ſolito de more triumphos.
Hinc lituus victricem aciem, victricia tela,
Victrices palmas, & ovantia ſigna canebat:
Inde ſequebatur citharæ concentus eburnæ,
Permixtumque lyræ carmen, dulceſque choreæ.
Undique recluſis ſtellata palatia valvis
Fulgebant auro, & gemmis, oſtroque ſuperbo.
Mille Iovi ſtabant arcus, & mille tropæa,
Mille Iovi currus prædam, & ſpolia ampla vehebant.
Nec ſolum indigetes, quos nuper vivida virtus
Per callem anguſtum ſublimia vexit ad aſtra,
Sed proles etiam magnorum antiqua deorum
Victoris celebres admirabantur honores.
Ecce autem Adriacas dudum ſpaciata per oras
Fama triumphantem interea conſcendit olympum.
Hic ubi cœlicolas vidit capita alta ferentes
Ætheris ornatu, nec non & divite pompa,
Quamprimum elatos faſtus ſermone repreſſit.
Namque almam Venetorum urbem, ſanctumque Senatum,
Illuſtremque Ducum ſobolem, heroaſque potentes,
Et fortunatos populos, opulentaque regna
Laudibus æquavit cœlo, diviſque beatis.
Demiſere animos, vultuſque rubore notarunt
Numina, quod ſuperis inter tot gaudia rebus

Humanas res contulerit. tum livor obortus,
Tum vario impletum eſt regnum cœleſte ſuſurro.
At pater omnipotens, ut primum voce, manuque
Murmur, & invidiam ſolio ſedavit ab alto,
Aligerum juvenem, quo non velocior alter,
Ad vada Nereïdum juſſit properare volatu;
Ut, quæ divinas vulgarat Fama per aulas,
Quærat, & actutum rediens exacta renarret.
Ille autem incinctus Zephyro, & felicibus auris,
Molitur celeres ſupremo è cardine greſſus:
Et nunc extenſis purum ſecat aëra pennis;
Nunc alacri laterum plauſu cava nubila tranat;
Prævertitque fuga Dictæo è monte ſagittas.
Qualis fulmineo fertur per inania curſu,
Cum poſt longam hiemem ſub verno tempore Phœnix
Aut Arabum ſilvas, aut rura Sabæa reviſit.
Jamque iter emenſus medium (nam cœperat æquor
Deſpicere, & pulchram liquidis in fluctibus urbem:
Cui tunc centenæ diverſo è littore puppes
Innumeras merces, ac ditia dona ferebant)
Qua ſpecula invicti peragat mandata Tonantis
Explorat fidis oculis, animoque volutat.
Mox, curſu exacto, ſuper altæ culmina turris,
Quam ſibi delegit multis è millibus unam,
Conſtitit, ac paribus preſſit faſtigia plantis.
Hinc templum laqueatum auro, diveſque lapillis,
Templum operoſum, ingens, miraque ex arte decorum
Stare videt contra, qua ſe ſe attollit olympo
Regia, qua nitido lucet ſplendore Senatus
Aſtreæ domus, & legum inviolata poteſtas.
Sub pedibus numeroſa cohors juvenumque, ſenumque
Itque, reditque vias, & limina dia frequentat.
Parte alia cernit variis diſtincta figuris

Atria

Atria nobilium, fulvoque ornata metallo,
Nec non marmoreas ſacris in ſedibus ædes:
Miraturque altas arces, & Martia tela,
Miratur validis navalia plena carinis,
Quarum quæ minima eſt, ſuperat vel Iaſonis Argo.
Non illum ambitio, non illum præmia laudis
Ad ſuperos revocare queunt. juvat uſque tueri
Et molem tantorum operum, & miracula rerum,
Seu Jubar inducat lucem, ſive Heſperus umbras.
Spargitur interea divina per agmina rumor,
Sidereum volucrem felici Doridos urbe,
Et vitreis lymphis, & amœno littore captum
Deſtituiſſe polum, & Venetos coluiſſe penates.
Tunc inter divos nata eſt ſententia diſcors.
Arguit is fratrem, quod chari juſſa parentis
Negligat, & cœlum, cognataque numina linquat:
Alter, ut abſentis cauſam tueatur amici,
Quicquid ab Enceladi memoratum eſt ante ſorore,
Approbat, & ſummis etiam nunc laudibus effert;
Ne quis miretur, ſi majeſtate locorum
Victus in externis cunctetur ſedibus hoſpes.
Pars hunc, pars illum ſequitur, pendetque viciſſim
Nunc accuſantis, nunc defendentis ab ore.
At rex æthereus, cui fas prohibere tumultus,
Et pacem adverſis animis afferre perennem;
Ut litem ambiguam ſolita gravitate diremit
Diſcordeſque deos æterno fœdere junxit,
Quid ſibi conſilii, quæ pro ratione voluntas,
Explicat, ac lætus terraſque, polumque ſerenat.
Præterea, ne quid tectum clauſumve relinquat,
Arctius obſtructos ſub aheno cardine poſtes,
Qui ſeriem fatorum abdunt, verſo objice pandit:
Indeque triplicium prodit ſecreta ſororum.

Tum

Tum demum patuit, delapſum ex æthere numen
Imperio, Neptune, tuo fore tempore in omni
Cuſtodem, quo nec poſſint fera bella nocere,
Nec fraudes, nec livor edax, nec tabida peſtis,
Nec quicquid Stygio ex Orco prorumpit in auras.

JOANNI AUSTRIO

Chriſtianæ Claſſis Imperatori

PROTEUS.

Aurea Tithoni conjux ſubtraxerat umbras,
Pronaque puniceo velarat ſidera vultu,
Cum Sol Eoo tollens è gurgite currus
Illuſtri magnum detexit lampade mundum.
Tum ſubito Hadriacis Proteus ſeſe extulit undis,
Quem comitabatur flavos reſoluta capillos
Cymothoë, atque Hyale, niveiſque Arethuſa lacertis,
Atque aliæ vatem Nereïdes admirantes.
Ut ventum ad littus paſſim hic vaccinia nigra,
Pallenteſque legunt violas, molleſque hyacinthos.
Mox omnes circumſiſtunt, & carmina poſcunt.
In medio Proteus altum jubet æquora murmur
Ponere, & Æolios ſtridentia flamina ventos:
Quo juſſu placantur aquæ, placantur & Auſtri.
Ipſe autem canit, ut nutu ſuſpenderit orbem
Rex ſuperum, qualiſque hominum concreſcit origo
Informi ex limo: nec non elementa per omne
Fuſa genus; cœloque etiam labentia ſigna.
Tum memorat Phœbi curſus, Lunæque meatus:
Quid ferat Arcturus, quid verno Pleïades ortu,
Quid triſtes Hyades, quid deſolatus Orion.

His

Digitized by Google

His addit Lapithum media inter pocula rixas,
Et dirum Cadmi exitium, vultuſque Meduſæ.
Tum miſeræ Inachidos deplorat triſtia fata.
Infelix virgo, quondam tu nectare digna,
Et dulci ambroſia, thalamoque, toroque deorum:
Nunc autem foliis, & amaro gramine tantum
Paſceris, atque ſitim limoſo flumine pellis,
Stramineoque jaces ſeptis incluſa cubili.
Infelix virgo, quoties tu verba referre
Conaris, toties auras mugitibus imples.
Ah pater, ah rector ſuperum, miſerere puellæ,
Jam miſerere tuæ, finemque impone labori.
Hinc Prognen Tereo convivia fœda parantem,
Candenteſque humeros Pelopis, Niſique capillos
Commemorat. poſthæc miſeros decantat amores
Biſtonii vatis, qui quondam conjuge rapta
Auſus inacceſſas Erebi luſtrare tenebras
Tartareum potuit cuſtodem flectere cantu,
Et reditum ad ſuperos optatæ aperire puellæ.
Sed tamen incautum metus & dementia vatem
Invaſit, ſociamque viæ jam luce ſub ipſa,
Jam jam Tænarii egrediens è liminis oris
Reſpexit. tunc illa iterum ſe Ditis ad umbras
Corripiens, Erebi leges, atque impia fata
Viſa queri, miſerumque viri incuſare timorem:
Tum canit inſignem ſacris Helicona Camœnis,
Parnaſſumque orbis medium, lætoſque per agros
Aönidum blando labentes murmure fontes.
Te quoque Pyrenes decus, & Mavortis alumne,
Cujus ob imperium cœlo caput Auſtria tollit,
Hoc tandem celebrat diuinus carmine vates.
Macte animo Princeps, genus alto è ſanguine Divum,
Qui nunc conjunctas æterno fœdere claſſes,

Magno-

Magnorum Regum claſſes, Venetique Senatus,
Subimi è ſpecula totum prætexere pontum
Deſpicis, & validas Neptuno oſtendere vires:
Eia age, terribili Thracum pete fulmine puppes
Fulmine, quo mundi moles operoſa paveſcat,
Et gentem ſceleratam imo demerge ſub Orco.
Tunc Aſiæ ingenti perculſus clade tyrannus
Abſcindet manibus crines, atque unguibus ora.
Mox iræ impatiens prærupto è vertice ſaxi
Seſe præcipitem demittet in æquoris undas.
Hinc juga ſervitio ſolvent & Maurus, & Indus,
Fallaciſque dei ritus, legeſque profanas
Contemnent, genitumque colent è Virgine Numen,
Et Romana ferent patrias vexilla per urbes.
  Tum Parcæ unanimes Saturnia ſæcula reddent,
Et rurſus terrarum orbem Pax alma reviſet.
Sponte ſua fœcundus ager flaveſcet ariſtis,
Sponte ſua molli ſeſe rubus induet uva,
Aureaque æternum pendebunt arbore poma,
Ac paſſim vario pingetur terra colore.
Ilice præterea ſtillabunt dulcia mella,
Et pecudes multo diſtendent ubera lacte,
Colludentque lupis mediis in vallibus agnæ.
Quinetiam placidis ſternetur fluctibus æquor,
Nec Scyllam pinus metuet, nec nauta Charybdim.
Spirabunt Zephyri tantum: quorum omnia flatu
Ridebunt, totuſque adeo lætabitur orbis.
  Quare age, ne prorſus deſint hæc ocia terris,
Magnanima heröum ſoboles, jam ſume potenti
Arma manu, teque his quam primum accinge tropæis:
Te Bellona ferox, & te Fortuna ſequetur.
  Quid loquar Heliadum lacrymas, mutataque membra?
Quidve piæ Clymenes fuſas è corde querelas,

Cum

Cum Phaëtonta polo dejectum fulmine vidit?
Omnia quæ Muſis Helicon, quæque Iſmarus Orpheo
Audiit, ille canit. reſonos dant littora plauſus,
Donec ad occultas redierunt numina ſedes.

CUPIDO.

Unde ſuas primum flammas, ſua tela Cupido
Sumpſerit, ac geminas armet quæ cauſa ſagittas,
Tumque faces quantis hominum præcordia curis
Accendant, mihi dum faciles dant ocia Muſæ,
Dulcibus & numeris, & eburno pectine dicam.
Tu decus Auſoniæ linguæ, & nova gloria vatum,
Cui crinem viridi cinxit Polyhymnia lauro,
Sacraque Caſtalio perfudit labra liquore,
Et citharam Phœbus tenero conceſſit in ævo,
Huc ades, Octavi, & noſtri ſis carminis auctor.
Æthereos inter proceres, cœtuſque verendos
Aſſuetus tantum illecebris, ac longa Cupido
Ocia laſcivo ſolitus conſumere luxu,
Unus erat. quem ex Idaliis Cytheræa viretis
Moverat, & furtim vetitis immiſerat aſtris.
Hunc pater auguſta vultum gravitate coruſcus
Ludentem medio poſtquam vidiſſet olympo,
Atque aliena ſuis meditantem gaudia juſſis,
Ter contra intonuit, rutilo ter fulmine dextram
Excitus armavit, terque ignea tela repreſſit:
Et tandem increpuit: Quis te penetralia demens
Juſſit adire deum? noſtraſque licentius arces
Scandere? tot vigiles aſtrorum ſcilicet ignes
Fallere, & ignaro potuiſti Hyperione divum
Arcanas intrare domos? quo numinis auſu
Stellatas patuiſſe fores, teque aurea clauſtra

Exce-

Digitized by Google

Excepiſſe rear? neque enim ſuccedere cœlo
Ob meritum tibi jam licuit, nec conſcia virtus
Intulit. incautæ latitans genitricis in ulnis
Acceſti. ſed age Idalium, Paphiaſve reverte
Ocyus ad ſedes, teque his procul aufer ab oris.
Sic ait, & magni concuſſit culmina mundi.
At puer ipſe gravi perculſus corda timore
Confugit ad matrem, & querulo ſic ore profatur:
Cur miſerum irriſiſſe dolis? cur tendere nato
Optaſti fraudes? adeone inviſus inanes
Spes alere, & vanis merui confidere rebus?
Quam ſatius dulces inter myrteta fuiſſet
Exercere jocos, teneriſque adludere nymphis.
Ecce laceſſitum cœlo nunc Juppiter arcet,
Detruditque polo. quin tu quoque ſævior iras
Adverſis incende animis, atque ipſa negetur
Terra mihi, cogaſque nigro latitare ſub Orco.
Vix ea cui lacrimans genitrix, quod Juppiter, inquit?
Innocuæ proli tantos afferre dolores
Debuit? an patrio vel nos prohibemur Olympo?
Pone tamen gemitus: opus eſt, ultricibus utar
Artibus, & ſolvat meritas injuria pœnas.
Dixit, & Idalias natum complexa repente
Detulit in ſilvas, ſuaves ubi myrtus odores
Spirat, & indulgent Zephyris felicibus auræ.
His propere exactis, celeri ſecat æthera curru
Æoliam contra Liparen, ubi Mulciber ingens
Exercet rigidos reſonis Cyclopas in antris.
Hic operi incumbens, certiſque laboribus inſtans
Pro ſe quiſque manus duris incudibus addit.
Et nunc diſtringunt alternis ictibus æra,
Nunc perfuſa lacu formant, ignique reponunt.
Ergo ubi terrificas ſubiit Venus ipſa cavernas,

Con-

Digitized by Google

Conjugis horrenti leviter cervice pependit,
Et blandita viro divinum infudit amorem.
Quem ſimul ambroſium cupidis hauſiſſe venenum
Oſſibus agnovit, mœſta ſic voce loquuta eſt:
Haud equidem rebar cœleſtia poſſe vetari
Regna mihi, aut dulci nato, quibus æqua poteſtas
Ire, redire vias, patriiſque adjungier aſtris.
En tamen attonito ſtellas ingloria curſu
Deſerui, quoniam triſtis Iovis ira coëgit.
Nunc ego connubii per mutua fœdera ſupplex
Auxilium imploro. geminas precor ære ſagittas
Diverſo molire, quibus contraria detur
Vis etiam, obtuſo liveſcat ut altera plumbo,
Altera prætentum ſub cuſpide proferat aurum,
Ne Steropen labor iſte petat. tu muneris autor,
Tuque opifex, ſi jam noſtri te cura momordit,
Eſſe velis. nec plura. Nihil, tunc ille, laborum
Abnuerim, Cytheræa, inquit. quodcunque vel arte
Ingeniove queam, nunquam tentare recuſem.
Sic fatus, divæ mox oſcula dulcia fixit,
Incubuitque operi, & diſcordia tela peregit.
   Aſt ubi Trinacrii gratiſſima dona mariti
Accepit Venus, audaci compulſa furore
Devolat, & pernix Lætheo allabitur amni,
Et grave demerſit tacito ſub flumine plumbum,
Incomperta canens immixtis verba querelis:
Unde odium emanet, fervenſque exæſtuet ira.
Protinus ardentes rapidi Phlegethontis ad undas
Decurrit: tum flammivomo ter proluit aurum
Gurgite, ſecretoque ſuper ter murmurat ore,
Inſputatque feri penetrabile virus amoris.
Inde faces etiam accendit, quas nulla vetuſtas
Extinguat, quas non oculis deprendere quiſquam

Poſſit, inexhauſtis tanta eſt vis inſita flammis.
Omnia quæ poſtquam nato conceſſit habenda,
His, ait, æternis ſemper dominabere divis,
Præcipueque Iovem imperio ſuccumbere coges.
Euganeis quondam fuerat pulcherrima ſilvis
Lydia Nympharum decus, & comes unica Phœbes,
Quæ tum venatu, tum longo errore viarum
Impatiens æſtus nudabat pectora ventis.
Juppiter, en, cœlo vix hanc ſpeculatus ab alto
(Sævit enim adverſi ſuccenſa Cupidinis ira)
Ardet, & inſolitis flammis caluiſſe medullas
Sentit, & occulto vulnus depaſcit hiatu;
Et tandem poſito pinum pro fulmine ſumit,
Mænalium ſimulans mutato corpore Pana.
Ut vero argutos propius deflexit ocellos
In nympham, faciles aditus explorat amoris
Fervidus, ac fixo ducit ſuſpiria corde.
Proſpicit illa dolos rigido jam ſaucia plumbo,
Inque levem converſa fugam, procul ô procul, inquit,
Caſta tuis, Dictinna, nefas averte puellis.
Inſequitur tamen acer amans, perque invia luſtra,
Et per inacceſſæ prærupta cacumina rupis.
Haud ſecus, ac pavidam ſi quando ſanguine gaudens
Aſpexit capream, ſævoque immanius inſtat
Ore leo, quem dira fames, rabieſve fatigat.
Audierat ſociam Phœbe, ſociamque petenti
Ferre volebat opem, ſed ineluctabile numen
Obſtitit, ac falſa genitor ſub imagine certans.
Liquerat & patrios fines, & cognita rura,
Externoſque fuga penetrarat Nympha receſſus,
Cum magni Eridani vaſtas pervenit ad undas,
Et vetita ulterius celeres extendere curſus.
Tunc deus accedens renuenti brachia collo

Injicit,

Digitized by Google

Injicit, & cupidis invitam detinet ulnis,
Virgineumque rapit ſpreta pietate pudorem.
Mox voti compos tenues vaneſcit in auras.
At virgo, infelix virgo, nec lumina cœlo
Tollere, nec lucos audet ſpectare Dianæ,
Sed læſum metuens numen, læſaſque Napæas
Præcipiti è ripa ſe ſe projecit in amnem,
Atque ibi ſingultantem animam largo obruit hauſtu.
Hinc Amor accenſis miſcere incendia flammis
Cæpit, & alternis transfigere corda ſagittis.
Hinc juvenem docuit teneræ inſervire puellæ,
Nec curare truces nocturna per æquora ventos;
Quamvis abruptis reſonent freta vaſta procellis,
Pulſatique gemant ſcopuli, tonitruque dehiſcant
Nubila, & horriſonis circumtonet ignibus æther.
Ex illo vires adeo ſibi ſumſit in omnes,
Ut victor terris, victor dominetur Olympo.

MESULUS ET LIQUENTIA.

Has inter corylos, hæc inter florea rura,
Meſulus ut quondam & Liquentia corporis artus
In liquidos latices vertêre Cupidinis ira,
Dum Zephyri aſpirant, tenui modulabor avena.
Vos genus heroum, vos ALTO è COLLE propago
Magnanimi fratres, quos cœlo vivida virtus
Evehit à teneris, nec adhuc pubentibus, annis,
Annuite, & placidi noſtris ſuccurrite votis.
Sic vobis Mavors, ſic vobis innuba Pallas
Dent vigili ſtudio metas contingere laudum,
Et nitido ſplendore ſequi veſtigia patris,
Quo nec conſilio quiſquam, nec clarior armis.
Forte Opiterginos inter monteſque, lacuſque

Æſtivo terrarum orbis dum Sole tepebat,
Ruſtica Silvani pubes, Satyrique bicornes,
Et Fauni, & Panes captabant frigus in umbra.
Pars calamis certare parant, pars ludere verſu: (auræ,
Quandoquidem leve murmur aquæ, leve murmur &
Pictaque odoratis invitant floribus arva.
Nec mora, jam variis reſonat concentibus æther,
Garrulaque extremis reſpondet vocibus Echo.
Tum vero Dryades captæ dulcedine cantus,
Turbaque Naïadum, nec non & Oreades una
Conveniunt, mollique ferunt è fronde corollas.
Queis ubi cinxerunt crines feſtiva juventus
Cum nymphis choreas cœpere in olentibus herbis
Ducere, & alterno ſe tollere in aëra ſaltu.
Non procul hinc Veneris redolebat thure ſacellum
Verbeniſque, roſiſque novis, quod forte Dione
Sedibus è Paphiis nato conjuncta petivit.
Hic ubi concentus, ubi dulcia ſibila cannæ
Senſit Amor, matrem complexus talibus infit:
O ego nunc tecum, genitrix pulcherrima, poſſem
Et propius numeros, propiuſque audire cicutas!
Nam ſæpe agreſtes conſuerunt dicere Panes,
Ut juvenum geminis tranſigam pectora telis,
Utque etiam accendam tacitis præcordia flammis.
Tale igitur carmen noſtras penetraret ad aures.
Tunc dea ſubridens, pueroque ter oſcula figens,
Quid tibi vel magnum, dulciſſime nate, negarim?
Per te (inquit) mortale genus mea numina terrent,
Per te ſollicitis cogunt ſuccumbere curis
Cœlicolas, ipſumque Iovem, qui fulmina torquet.
His dictis ambo pariter ſpirantibus auris
Sublimes abeunt vicinæ ad culmina rupis.
Inde vident nymphas cum montivagis Silvanis

Digitized by Google

Nunc ſaltu exercere pedes, nunc corpora gyro.
Inde vident Satyros immoto lumine pubem
Aſpicere auricomam, nec non & amoribus uri,
Quo viſu tremulos fundunt ex ore cachinnos.
  Hos inter cœtus aſtabat Meſulus, arcu
Aërias doctus volucres agitare, feraſque;
Qui caput interea (ſic ſors tulit impia) tollens
Ridentes, quos non norat, proſpexit, & eheu
Spicula commotus fruſtra contorſit in illos.
His accenſus Amor, non ô non irrita, dixit,
Arma unquam mea dextra capit. nec plura loquutus
Aurata Satyri percuſſit cuſpide pectus.
Mox in te Triviæ comitem, Liquentia virgo,
(Ah dirum exitium) jactavit plumbea tela,
Et victor ſubito templum cum matre reviſit.
  Interea juvenis letali ſaucius auro
Pulchra verecundæ ſpectabat virginis ora,
Et miſerum obtutu maleſanus alebat amorem.
Ipſa tamen trajecta gravi præcordia plumbo,
Nec vultus atollit humo, nec lumina flectit.
Jam Sol Heſperias ibat declivis ad undas,
Et rutilos vaſto mergebat gurgite currus,
Cum procul ecce ſuis redeuntem colle Napæis
Aſpiciunt nymphæ poſito jam fine choreis
Dyctinnam, quam confeſtim comitantur ovantes.
Tunc dî ſemiferi, quamvis effræna libido
Suaderet violare fidem, niveumque pudorem,
Antra tamen ſubeunt, nec quiſquam ita cæcus & amens,
Quin eſſet caſu perterritus Orionis.
  Cætera, quæ ſilvas, monteſque, & flumina ſervant,
Numina præcipiti captant ſub nocte quietem.
Sic quoque jam poſitis mortalia pectora curis,
Sic pecudes, volucreſque, & aquis degentia monſtra

Accipiunt placide ſomnos. at Meſulus ille,
Ille Cupidineis infixus corda ſagittis,
Longa per obſcuram ducit ſuſpiria noctem.
  Ast ubi Sol croceo velamine condidit aſtra,
Et roſeo magnum perfudit lumine mundum,
Protinus optatam per devia luſtra puellam,
Per nemora, & ſaltus, per aprica cacumina montis
Quærit inops animi. demum ſub valle jacentem
Conſpicit, ac tacito molitur pectore fraudes.
  Verum ubi ſe viſam Satyro Liquentia novit,
Arrectique metu crines, perculſaque corda,
Ac ſubito præſaga doli fugit ocyor Euro.
Qualis cerva fugax, rabido cum Gallicus inſtat
Ore canis, nunc illa nemus, nunc arva peragrans
Occulitur tandem vacuis ſecura cavernis.
Sic ea, dum premitur, templo, cui Cynthia præſes,
Conditur, ac latebræ ignarum ſpe fraudat amantem.
Heu quid agat? quo flectat iter per inhoſpita luſtra
Ignorat, ſævitque ægro ſub corde venenum.
Audires deſerta loci incuſare furentem,
Convalleſque cavas mœſtis implere querelis.
  Huc ades, ô virgo, neque me crudelior urſis
Coge mori, ſed, cui placeat tua forma, require.
Sunt fulvo nobis inſignia ſaxa metallo,
Sunt fontes, vitreique lacus, & amœna vireta.
Canto, quæ quondam gelidi ſub cautibus Hæmi
Threïcius vates cithara cantabat eburna.
Nec me adeo informem agnoſco: vidi ipſe nitenti
Effigiem ſub fonte meam, quam candida Drymo, (undis
Quam Beroë, atque Hiale, Xanthoque, Ephyreque ſub
Tentarunt nequicquam avidis retinere lacertis.
  Talia dum vacuas ſatyrus jactaret ad auras,
Exanimi Nymphæ ſuccurrunt fata Meduſæ,

Quæ,

Digitized by Google

Quæ, quia concubitu fœdarat templa Minervæ,
Vertice terribiles geſſit pro crinibus hydros.
Illa igitur miſero quam primum exterrita caſu
Vicini ex adytis properavit montis ad antra,
Et ſupplex comitem placida ſic voce precata eſt.
  Virginitas ſit noſtra tibi, Latonia, cordi;
Nec patere infando maculari corpora tactu,
Sed me mortali potius nunc exue forma.
Vix ea. cum ſatyrus cæcas intrare latebras
Conatus, vidit ſparſa caligine circum,
Inde repentino latices manare ſuſurro.
Nam tulit auxilium ſic Delia caſta puellæ,
Ut tulit Alphæo dilectæ à flumine nymphæ.
Tunc aditu invento volucri Liquentia curſu
Ocyus innuptæ Dianæ ad templa cucurrit,
Liminaque irriguo decoravit ſacra liquore,
Atque Opiterginos madefecit flumine campos.
Hinc deſolatam Dryades flevere ſororem,
Auxeruntque undas lacrymis, mœſtoque ululatu
Pulſarunt ſilvas, & concava ſaxa querelis.
  At vero ingenti formidine pallidus ora
Meſulus, irrumpit patrias per devia ſedes,
Crudeleſque vocat ſuperos, crudelia fata.
Divellitque comas, & tundit pectora palmis.
Nec gemitu, nec lamentis, nec fletibus unquam
Abſtinet, indigno donec mœrore ſolutus
Cæruleas toto diffundat corpore guttas,
Et fluat in molles mutatæ virginis ulnas.

Ad N. N.

Illa Napæarum Cretæ celeberrima virgo,
Quæ quondam placidæ divino lacte capellæ

Digitized by Google

Rectorem ſuperum Dictæo pavit in antro,
Nunc tibi, magne Heros, hilari fert ore ſalutem,
Feliceſque optat longævi Neſtoris annos,
Et caſtæ affigit ſupplex prona oſcula dextræ.
Tu, licet illuſtri in ſolio pia jura miniſtres,
Et licet ingenti releves è mole laborum
Cuſtodem patremque hominum, qui pondus Atlantis
Suſtentat, mundique graves moderatur habenas,
Ne tamen ætherei nutricem deſpice regis.
Ipſa tibi tercentum agnos in vallibus Idæ,
Tercentum curavit oves, & vellera dorſo
Jam ſecuit, jam ſecta tulit ſub Doridos antrum:
Et nunc, qua Nereus Venetam cincumfluit urbem,
Nereïdes fucant certatim murice lanam,
Murice, quo ſacrum præcingas denique crinem.
O quæ læta dies, ô quæ jucunda voluptas,
Cum flavum advenies Tyberim ſpectabilis oſtro,
Neptuni è regno, atque è finibus Amphitrites.
Tunc Vaticanus ſummo continget olympum
Vertice: tunc reſonos tollent Capitolia plauſus:
Et Roma æternum digno exultabit alumno.

AD PETRUM RODULPHIUM

Epiſcopum Senogallienſem.

Clarior & jubare, & Phœbea luce Rodulphi,
Cui datur obſcuras nitido ſplendore tenebras
Diſcutere, & rerum cauſas aperire latentes;
Qui fit, ut Arctoo ſub cardine dira propago,
Inventrix ſcelerum, ac Stygii Plutonis alumna
Conetur ſuperum cultus avertere templis,
Et jura, & leges, & dia oracula vatum?

Qui

Qui fit, ut æthereas claves, quibus aurea cœli
Atria panduntur, poſteſque arctantur Averni,
Negligat impune, atque erroribus implicet orbem?
Ah quoties vetitaſque dapes, vetitoſque hymenæos
Deſpiciens Titan, dum ferret lumina mundo,
Alipedes avertit equos, curruſque retorſit,
Non ſecus ac fugeret ſcelus exitiale Thyeſtis.
Ah quoties & cana Fides, & Veſta dedêre
Terga fugæ, pavidæque cavis latuere ſub antris,
Dum paſſim inficerent populos tot monſtra veneno.
Delius horrendum ſtravit Pythona ſagittis,
Gorgoneum Perſeus fulvo caput abſcidit enſe,
Et leto dedit Alcides fortiſſimus hydram.
Quis vero accenſus divinæ laudis amore
Eumenidum ſobolem, nulli feritate ſecundam,
Deſtruat, & cœcas Erebi detrudat ad umbras?
Maximus heroum Clemens, dîs æmula proles,
Qui Iovis eſt regni conſors, unaque ſupremo
Cum Iove res hominum, & cœleſtia regna tuetur,
Militiæ cœli conjunget caſtra Quiritum,
Et genus inviſum properato funere perdet,
Funere, quo fœda illuvie expurgabitur orbis.
Tunc pia Relligio triplici decorata triumpho
Trans Rheni fines, trans divitis arva Britanni
Proferet imperium, & Saturnia ſæcula reddet.

In Obitum
JANI BURGENSIS.

Burgiadum columen Janus, dîs æqua propago,
Jampridem è terris migrans ſucceſſit olympo,
Quo ſummæ probitatis amor, quo vivida virtus,

Quo pia Relligio, & divum reverentia vexit.
Ut Thetis Eoo nitidas in littore gemmas
Conſpiciens fulgore pari diffundere lumen,
Quas prius ipſa legat, lectaſque in pyxide ſervet,
Ambigit, & ſecum dubio ſub pectore volvit.
Sic ego, dum meditor brevibus perſtringere laudes
Magnanimi Heroïs, quæ ſint aut ante canenda,
Aut poſt, ignoro: nam copia reddit egentem.
Claudius Aönidum decus, & nova gloria vatum
Permixto citharæ cantu, numeriſque ſonoris
Clara viri monumenta canat, doceatque nepotes
Illius exemplo innocuam traducere vitam.

IN COLLEM CENETENSEM.

Æmule Parnaſſo collis, dîs cognita ſedes,
Cui cedunt Tempe Theſſala deliciis,
Te fons illimis, te puri nectaris hauſtus
Irrigat, & gramen proximus humor alit.
Nec deſunt violæ, nec deſunt alba liguſtra,
Nec quicquid verno tempore pingit humum.
Hic myrtus Veneri, hic Phœbo Peneïa laurus,
Hic fœcunda ſuæ frondet oliva deæ.
Illic pampineæ texunt longo ordine vites
Multiplices arcus, alme Lyæe, tibi.
Quos ubi tam pulchros mirata eſt Iris ab alto,
Protinus elatum condidit ægra caput.
Invida, cur mœres? nimirum hic collis habetur
Dignus amore hominum, dignus amore deum.
Quid loquar Attalicis ſplendentem ornatibus aulam,
Quæ poſita eſt ſummi verticis in ſpecula?
Ex hac longinquas proſpectat Turrius urbes,
Oppidaque & læto rura beata ſolo.

Miratur-

Miraturque vagos fluvios, præruptaque ſaxa,
  Et nemorum frondes, antraque Hymadryadum.
At prope vicinas ædes, patrioſque penates,
  Qua fluit arguto Meſulus amne, videt.
Hoc viſu didicere nefas avertere gentes,
  Et ſacros ritus, & pia jura ſequi.
Salve autor præclari operis, ſalve inclyte Turri,
  Te noſtrum ſemper carmen ad aſtra feret.
Sed quid vaſtum æquor fragili conſcendere puppi
  Nitar? & Æoliis tendere vela notis?
O mecum umbroſa divinus Flamma ſub ulmo
  Afforet, & laudes diceret ipſe tuas!
Te non tam dulci plectro celebraret Arion,
  Nec vatum celebri quilibet ex numero.
Nam cum ſidereos doctus ſit noſcere curſus,
  Abditaque in gremio fata videre deum,
Concineret, quo celſa petes Capitolia plauſu
  Præcinctus caſtam murice cæſariem.
Concineret, qua ſpe ardebit tibi Martia proles
  Tergemini imperii ſceptra ſuperba dari.
Attoniti ſtarent Fauni, Dryadeſque puellæ,
  Et pictæ volucres, quadrupedumque genus.
Non aquilam turtur fugeret, non agna leonem:
  Sævitiam cantu vinceret ipſe ſuo.
Sic olim cithara, & numeris miſerabilis Orpheus
  Flexit Perſephonem, flexit & Eumenidas.
Jamque alacrem Euridicen ſuperas ducebat ad auras,
  Pæneque Tartareis finibus exierat:
Cum tamen incautos retro detorſit ocellos,
  Et ſubito ah miſeram perdidit Eurydicen.
At poſtquam manes iterum lenire nequivit,
  Conſcendit Rhodopen triſtia fata querens.
Hic, dum rore madet tellus, dum Sole tepeſcit,

Digitized by Google

Deplorat mœſtis vocibus Eurydicen.
Vicinæ Euridicen reſpondent undique valles,
Atque Echo Euridicen vocis alumna refert.
Quin caput avulſum ex humeris, merſumque ſub He-
Euridicen anima jam fugiente vocat. (bro
Tu vero, Flamma Illuſtris, Flamma edite cœlo
Cui nitidam frontem nubila nulla tegunt,
Seu nunc virginea redimitus tempora lauro
Permeſſum inviſis, Pieridumque choros,
Seu mage veſtigans animo primordia rerum,
Ut de more ſoles, paſceris ambroſia;
Huc ades, & ſacræ ne deſint gaudia rupis,
Quæ magna heroï præmia danda, canas.
Hæc tantum ipſa tuo gaudebit carmine rupes,
Quantum Helicon cantu gaudet Apollineo.

AD PIUM QUINTUM PONT. MAX.

Quid curæ iniquæ, ac ſollicitudines
Arcetis undis me Aonidum procul?
Et corde abite, & mente abite,
Ut vacuus citharam reſumam.
Qua Vaticani in verticibus Pium
Dicam ſupernis numinibus parem.
Tu labra nobis, docta Clio,
Prolue Caſtalio liquore.
Quis ô quis unquam te ſine concinat,
Quæ non Arion pectine Lesbio,
Non ipſe digne poſſet Orpheus
Threïcio celebrare plectro?
Ut virgo, in hortis dum calathos parat

Im-

Implere pictis floribus, ambigit,
Roſas-ne molles, an liguſtra,
An violas prius ungue carpat.
Sic quiſquis ardet Pieriis modis
Te ferre cœlo, Rex hominum, & Pater,
Quid ante dicat, poſtve neſcit,
Tantus honos viget, atque virtus.
Tu clari Olympi nutu aperis fores,
Et regna Ditis, triſtia Tartara,
Occludis, ac manes profundos
Eripis Eumenidum flagellis.
Tu ſæva Martis bella, minantia
Cædemque, peſtemque, & miſeram famem
Tellure propulſas ab omni,
Ac populis tribuis quietem.
Hinc alma pax, hinc relligio, & fides
Inſtar nitentis Luciferi emicant.
Hinc aurea è penſis reducunt
Sæcla tibi triplices ſorores.
Jam dulce nectar defluit amnibus,
Et mella manant è Iovis arbore.
Jam fruge ſeſe, floribuſque
Perpetuis humus ipſa veſtit.
Huc ergo tandem, progenies deum
Aſtræa, cœli labere ſedibus.
Non hic Lycaon, qui nefandis
Decipiat dapibus Tonantem.
Non, execrata quæ jugulet manu
Medæa partus, aut Pelopis genus:
Non arce ab alta qui laboret
Trudere cœlicolas Typhœus.

IN SERAPHICÆ RELIGIONIS HISTORIAM PETRI RODULPHII EPISC. VENUSINI.

Edax vetuſtas atria principum,
Arceſque ovantum diruit urbium.
Illa & columnas, & coloſſos
Magna abolet monumenta Regum.
At ſola virtus perpetuo viget,
Magiſque floret laudibus in dies,
Seu luctuoſo Mars tumultu,
Sive rogo Libitina ſævit.
Æterna vivet ſæcla Rodulphius,
Simulque vivent docta volumina,
Quæ tot beatæ gentis acta,
Totque patrum celebrant honores.
Quorum ſereno pars micat æthere
Aſſueta divum colloquio frui:
Aſſueta clari ſigna Olympi
Sub pedibus propius tueri.
Pars pæne totum ſparſa per ambitum
Telluris acrem militiam colit:
Semperque palmas, ac tropæa
Victo Erebo ad Superos reportat.

AD HIPPOLYTUM VERONENSEM.

Dî tandem mihi poſt graves
Curas, Hippolyte, ac ſollicitudines
Fecerunt placidi ocium:
Juſſeruntque, Atheſis me ad gelidas aquas
Tecum tendere barbiton;

Digitized by Google

Ne deſiderio mens penitus tua
Defraudata foret ſuo.
Seu nos ſemideos ruſtica numina,
Silvarumque ſimul comas,
Et pronos fluvios, & juga montium
Dicemus fide Teïa;
Seu laudes ſuperum, geſtaque Principum
Et palmam pugilis novam,
Semper noſtra tuis tibia cantibus
Cedet non ſine gloria.
Qui tollit vacuum plus nimio caput,
Ut cui cedere neſciat,
Is pœnas merito, is ſupplicium luat.
Quondam ſic tumidus fuit
Oris in Lyciis ſemicaper deus,
Ut contendere Cynthio
Auderet calamo, & Pieriis modis.
Huic mox ex humeris cutem
Latona genitus, patreque maximo,
Ultrici eripuit manu,
Ac cædem miſero fortiter intulit.

DE DOMINICO VENERIO.

Pœnæus ob caſum aſperum natæ ſuæ
Diu comato Apollini iratus fuit:
Nec quod triumphis ipſa adeſſet Principum,
Nec quod Poëtis verticem præcingeret,
Ejecit unquam bilem acerbam pectore.
Aſt ut Venerio laurus obtexit caput,
Pepercit iræ, & geſtiit præ gaudio.

DE LEONE VENETORUM INSIGNI.

Quid tantum cœlo, rabies Nemæa, tumeſcis?
Non ne alter Veneta major in urbe Leo eſt?
Tu quondam Herculeo jacuiſti inglorius ictu;
Hic ſpolia ex omni Marte ſuperba refert.

DE SFORTIA PALLAVICINO COPIARUM VENETARUM IMPERATORE.

Immenſi cuſtos pelagi carpe, Adria, ſomnos,
Nec cura imperii te premat ulla tui.
Neptunus vaſtum pelagus defendet ab hoſte;
Defendet terras Sfortia ab inſidiis.

DE ALEXANDRO CARD. MONTALTO.

Quæ modo Tyrrheno ſaturaſti, Doris, in antro
Serica Alexandro vellera muricibus,
Tu quoque Erythræos fati præſaga lapillos
Collige, queis olim dia corona micet.
Quandoquidem ut juveni vincit nunc purpura crines,
Tempora ſic cinget tunc diadema ſeni.

DE ALEXANDRO ESTENSE.

Dum vigili ſtudio ſacrarum oracula rerum
Quærit Alexander, captus amore deum,
Nuncius è cœlo quæcumque abſtruſa ſub umbris
Reddit Hyperborea candidiora nive:
Ut cum Sidonio juvenis decorabitur oſtro,

Promat

Promat ab eloquio nectar, & ambroſiam.
Tunc inter proceres hic magnus habebitur heros,
Qui magni heroïs nomen, & omen habet.

DE URBE FERRARIA.

Jure ſibi à ferro tribuit Ferraria nomen:
Hanc Bellona ferox, hanc fera bella juvant.
Ne mirere tamen, ſi poſt tot parta tropæa,
Poſt celebres palmas ipſa quieſcat ovans.
Alphonſus claro Aſtræam deduxit olympo,
Et peperit terris ocia grata ſuis.

DE ALOYSIO CORNELIO EPISCOPO PATAVINO VITA FUNCTO, EJUSQUE SUCCESSORE MARCO CORNELIO.

Te ſummo evehimus cœlo Cornelia proles,
Æmula quod Phœbi daſque adimiſque diem.
Funus Aloyſii jampridem Antenoris urbi,
Induxit tenebras, mœſtitiamque tulit.
Nunc Marci adventus, velut almi Hyperionis ortus,
Euganeos hilarat nocte abeunte lares.
Fortunata domus, quantum ſplendeſcit olympus
Sole ſuo, tantum tu quoque Sole tuo.

DE CÆSARE N.

Cæſaris antiquo lætatur ſidere cœlum,
Lætatur tellus Cæſaris igne novo.
Felices ambo, æquales virtutibus ambo,
Et rebus geſtis clarus uterque ſuis.

Digitized by Google

Ille feros homines duro certamine vicit,
Hic molli faciles allicit ore deas.
Nec mirum eſt: illi Mavors horrentia tela,
Huic ceſſit placidas ſponte Erycina faces.

AD VINCENTIUM GILIANUM.

Vincenti, Latiæ Atticæque linguæ
Æternum decus, ac perenne lumen,
Cui crines Erato virenti oliva
Ad colles Heliconios revinxit,
Quas grates tibi pro tuis camœnis
Perſolvam? teneræ monile nunquam
Tam gratum fuit, aut erit, puellæ,
Quam mi ſunt numeri, tuique cantus.
Dum ver purpureas roſas fovebit,
Et duras glacies hiems amabit,
Hos ſparſos tenui liquore cedri
Servabo nitidiſſima in cupreſſo.

DE ACONE.

Dum gelidos inter fontes, nemorumque receſſus
Sævitiam Terei Daulias argueret,
Theſtilis antiquam cladem miſerata volucris
Aſperſit teneras rore fluente genas.
Tum maleſanus Acon: ſic, o ſic garrula & ipſe
Fiam avis, & cantu ſic mea fata querar.
Ut quæ crudelis, quæ mi fuit aſpera ſemper,
Humectet pro me pectora lacrymulis.

IN MORBUM GALLICUM.

Eumenidum è gremio prorupit Gallica peſtis,
Et Cypriæ infecit regna beata deæ.
Tunc & deliciæ, tunc & laſciva voluptas,
Et Charites magno delituere metu.
Non hoc, alme puer, non hoc, Cytherea, ferendum eſt,
Ne veſtrum prorſus corruat imperium.
Ille ſit hoc tantum morbo torquendus acerbo,
Cui nulla eſt cordi dulci in amore quies.

DE HYELLA.

Purpureas dum forte roſas carpebat Hyella,
Currit Amor caſtæ virginis in gremium.
Tunc, alium, dixit, puerum tibi delige mater:
Delige, nam poſthac hæc mihi mater erit.

AD CUPIDINEM.

Qui telis, facibuſque vincis omnes,
Nunc cor percutiens gravi ſagitta,
Nunc flammis tacitis edens medullas,
Iras pectoribus meæ puellæ
Amove duplici tuo veneno,
Et reconcilia, precor, Cupido,
Nobis priſtina fœdera, atque amores.

IN OBITUM ANNÆ.

O mihi, quod puero Cypariſſo contigit olim,
Eveniat, funus dum queror, Anna, tuum:
Ut mutata meum teſtetur forma dolorem,
Et ſervet cineres nocte, dieque tuos.

IN OBITUM N. FENAROLI.

Ut, Fenarole, novo decorares ſidere cœlum,
Te gremio Aonidum Juppiter eripuit.
Et ne carminibus poſſes fata ipſa movere,
Clam juſſit Lacheſin fila ſecare colo.

IN OBITUM N. FRANCANI.

Ut primum ſtellatum adiit Francanus olympum,
Sponte ſua patuit regia magna Iovis.
Tum Superi oſtentant, qua cœlum mole rotetur,
Et Lunæ curſus, & grave Solis iter.
Ad quos ſic genitor: melius novus incola vidit
Hæc animo, quam vos lumine conſpicitis.

IN OBITUM N. CASERTÆ.

Dilexit te inſtar lucis Farneſius heros,
Dum ſceptro innixus ferret Atlantis onus.
Ille idem, æthereæ cum ſit modo janitor aulæ,
Servat adhuc veteris fœdus amicitiæ.
Quandoquidem tibi læto animo, vultuque ſereno
Stellatas aperit, docte Caſerta, fores.
Ut quæ olim in terris ſcrutari mente ſolebas,
Nunc ſuper aſtra ipſis intueare oculis.

IN OBITUM LÆLII N.

Te mors eripuit, Læli, pubentibus annis,
Ne vir Mavorti par in honore fores.
Non tamen hæc voti compos, nam vectus ad aſtra
Martem ipſum excellis lumine ſidereo.
Quinetiam ut cladem, & triſtes fert ille ruinas,
Sic tu ſolamen, lætitiamque feres.

AD

AD PHILIPPUM VICTURIUM
Prætura Feltriæ perſunctum.

Quod te, Victuri, revocet Neptunus ad urbem,
Et jubeat Venetos jam coluiſſe lares,
Feltria ſollicito ducens ſuſpiria corde
Diſceſſus queritur nocte dieque tuos.
At ſi fata deûm præſaga mente videret,
Lætitiæ plauſus terque quaterque daret.
Nam dulci in patria, cinctus diademate frontem,
Imperio terras, oceanumque reges.
Tum Parcæ unanimes Saturnia ſæcula reddent,
Ipſaque perpetuo vere niteſcet humus.

DE ALBERTO BOLOGNETO S. R. E. CARD.

Alberto quondam ſub flore impuberis ævi
Cinxit Apollinea fronde Thalia caput.
Aſt ubi ſuccrevit valido cum corpore virtus,
Ornavit Doris tempora muricibus.
Ut qui olim ſacrum numeris Helicona beavit,
Conſilio Romam nunc ſuper aſtra ferat.

DE JACOBO DELPHINO OPTIMÆ INDOLIS PUERO.

Aonidum fontes caræ genitricis ab ulnis
Delphinus prima viſit Olympiade.
Huic Methymnæus citharam conceſſit Arion,
Huic viridi lauro cinxit Apollo caput.
Fortunate puer, tali pro munere nomen
Ibit ad Eoos, ibit ad Heſperios.

Et qui ſpe juvenes tenero nunc vincis in ævo,
Mox etiam excedes puber honore viros.

DE BERNARDINO THOMITANO.

Juppiter ut vidit Thomitanum Pæonis arte
Extinctis animas reddere corporibus,
Utque illum rapidos perſenſit carmine ventos
Siſtere, & è ſummis ſaxa movere jugis,
Nunc tantum æthereas, inquit, rege Phœbe quadrigas,
Et tibi ſit curæ gloria ſola poli,
En gemina nil te inferior clareſcit in arte,
Terrarumque alter Phœbus in orbe micat.

AD CYNTHIAM.

Cum tibi, quod roſeo præſtares omnibus ore
Virginibus, palmam, Cynthia, porrigerem,
In te oculos rector Superum dejecit ab alto
Formoſi admirans corporis effigiem.
Mox ſecum hæc: quondam ſi te vidiſſet adulter
Troius Idæis, candida virgo, jugis,
Nec Venus aurato gauderet Cypria malo,
Nec gemeret caſus Dardanus ipſe ſuos.

DE NEARCHO PUERO.

Aucupio feſſus medio ſub ſole Nearchus,
Dum ſitit, è ſilvis tendit ad Eridanum.
Huic pharetra accinctus comitem ſe jungat Apollo,
Ne qua fera hunc poſſit ſollicitare metu.
At vos o virides umbracula texite lauri,
Murmur ad argutum prætereuntis aquæ.
Ut puer hic ſumat latices, hic frigora captet,
Et, qua floret humus, qua viret herba, cubet.

TUMU-

Digitized by Google

TUMULUS IOLÆ.

Flos Opiterginæ pubis formoſus Iolas
  Perfidia ingratæ Phyllidis occubuit.
Tunc infelicis fati Rhamnuſia vindex
  Evulſit Nymphæ viſcera pectoribus.
Et cor marmoreum lugubrem effinxit in urnam,
  Qua voluit juvenis membra peruſta tegi.
Sic fera quem renuit vitali in luce puella,
  Nunc pia poſt obitum nocte dieque fovet.

IN OBITUM ALOYSII GRADENICI.

En tua te cœlo virtus, Gradenice, locavit,
  Indeque ſub claro lumine cuncta vides.
Te nemo indigetum felicius aſtra teneret;
  Ni mœror patriæ gaudia ſurriperet.

IN LUCII LUCINI OBITUM.

Te, Luci, moriente, polo Sol excidit, & Nox
  Sub tenebris oculos condidit ægra ſuos.
Tum Lucina humeros lugubri induta colore
  Fletibus, & magno murmure viſa queri.
Aſt, ubi ſublimis petiiſti culmen olympi,
  Tegmina depoſuit nigra repente dea.
Et læta abſtinuit queſtu, lacrymiſque pepercit,
  Quæque olim abſtulerat, lumina reſtituit.

IN OBITUM ALBERTI PHILOSOPHI INTERFECTI.

Sic tibi deducant felicia ſtamina Parcæ,
  Inciſum ad lapidem ſiſte, viator, iter.

En modo, quot ferro perpeſſus vulnera Cæſar,
  Tot ferro Albertus vulnera & ipſe tulit.
Par fortuna, & honos: illo nec fortior armis,
  Nec fuit hoc quiſquam clarior ingenio.
Tu myrrham imponas tumulo, mœſtamque cupreſſum,
  Et ponas ſacris thura Sabæa focis.
Quin, niſi perfundas lacrymarum fonte ſepulchrum,
  Inſtar eris ſilicis, marmoris inſtar eris.

IN OBITUM IOVITÆ RAPICII.

Stamine perpetuo tenuiſſet fila, Rapici,
  Tam dulci Lacheſis carmine capta tuo.
Juppiter hanc juſſit fatalia rumpere fila,
  Ut qui olim in terris, nunc ſuper aſtra canas.

DE FABRICIO FANETO.

Qui modo per tribulos, per inhoſpita luſtra Fanetus
  Cœnoſas Bavii ſtultus adibat aquas,
Nunc per odoratos flores, per amœna vireta
  Tendit ad Aonios, qua via recta, lacus.

IN JUSTINAM HIEROTRAGOEDIAM JO. BAPTISTÆ LIVERIÆ.

Non tanti, Juſtina, tibi ſunt aurea templa,
  Quanti docta tui carmina Liveriæ.
Illa quidem longo ſenſim tenuantur ab ævo,
  Hæc autem celebri ſemper honore vigent.

FINIS.

Digitized by Google

V I T A
SANNAZARII.

Digitized by Google

Digitized by Google



JACOBI, SIVE ACTII SYNCERI SANNAZARII,

NEAPOLITANI VIRI PATRICII, VITA,

A JOANNE ANTONIO VULPIO *CONSCRIPTA.*

Læumellina Ciſalpinæ Galliæ regio eſt, in Ducis Mediolanenſis ditione. Ejus fines ab Oriente, Ticino flumine; a Meridie atque ab Occaſu Solis, Pado & Sicida; a Septemtrionibus, Novarienſi agro terminantur. Ea quum pluribus

Digitized by Google

bus caſtellis & vicis diſtincta eſt, tum pagum continet, nobiliſſimum, foſſis, aggeribus, portiſque munitum, opibus vero frequentiaque incolarum cum paucis conferendum, ut omnino urbis inſtar eſſe videatur: Sanctum Nazarium appellant. Nomen invenit (niſi conjectura fallor) e Viro fortiſſimo, qui patre Africano natus, Neronis Cæſaris temporibus maximos cruciatus toleravit, ſeque acriter morti obtulit, ut pro CHRISTI doctrina, quæ tum primum profetebatur, contra veterem gentium ſuperſtitionem propugnaret. Hujus reliquiæ corporis, quum diutius ignoratæ latuiſſent, Mediolani tandem a Divo Ambroſio, illius civitatis Antiſtite, repertæ ſunt: ſtatimque a populo ſumma religione coli cœptæ: qui cultus adhuc non in urbe ſolum, ſed etiam in finitimis locis, feſtis inſtitutis diebus, conſtantiſſime retinetur. In eo pago, ſtirpis antiquitate, divitiarum ſplendore, rerumque geſtarum gloria ceteris longe præſtitit Sannazariorum familia; quæ ab ultimis Hiſpaniæ regionibus illuc profecta, eas copias paullatim eamque amplitudinem conſecuta fuerat, ut immoderatæ Vicecomitum potentiæ ſola obſiſtere poſſe videretur. Hoc genere procreatus Nicolaus Sannazarius, Carolum III. Dyrrachinum, ex Andegavenſibus principibus,

bus, qui anno poſt CHRISTUM ortum cIↄ ccc LXXX. ab Urbano Pontifice evocatus, eo conſilio in Italiam venerat, ut Regno Neapolitano potiretur, tribunus militum ſecutus eſt; pulſiſque demum hoſtibus, ob ſingularem virtutem, præclaraque in eo bello edita facinora, nonnulla in Lucanis caſtella a Rege victore, beneficii loco accepit. Jacobus vero Nicolai F. Ladiſlao Caroli F. ſtrenuo adoleſcenti, cui patris morte regnum obvenerat, triſtiſſimo ac difficillimo ejus tempore, utilem adeo operam præbuit, eique ad fugandum Ludovicum Andegavenſem ita præſto fuit, ut Petrinum, ſeu Montis Draconis Rupem, apud quam olim Sinueſſa ſita erat, bonam item Falerni agri partem, Maſſicos montes, oppidulumque ad Vulturni oſtia, prope Linternum illud vetus, P. Cornelii Scipionis Africani receſſu & ſepultura nobilitatum, amiciſſimi Regis voluntate poſſidere cœperit, remque paternam æque, ac veterem avorum gloriam, mirum in modum amplificaverit. Sed, ut rerum quæ ex fortuna pendent, varia commutabiliſque ratio ſolet eſſe, paucis poſt annis Ladiſlaus, vigenti admodum ætate, nullis relictis liberis, exceſſit e vita, quo defuncto, Joanna ſoror ejus, impotenti animo mulier, & cujus mores plurimum a fraternis abeſſent,

ſent, regni adminiſtrationem ſuſcepit. Hæc, quum ſentiret, ſe odioſam eſſe illis, qui, vivo fratre, honoribus & gratia in aula floruiſſent, eos inſectari numquam deſtitit, donec dignitate omni per ſummam injuriam ſpoliatos, bonis avitis & patriis funditus everteret. Jacobus igitur ex beato repente miſer, tenuiſſimum patrimonium Jacobo Nicolao filio reliquit, quo vix principis civis perſonam, ampliſſimæque familiæ nobilitatem tueri poſſet. Is tamen, caſus adverſos, ut poterat, ſapienter modeſteque ferens, uxorem duxit Masellam a Sancto Mango, civem Salernitanam, vetuſto & nobili genere ortam, ex qua Jacobum, cujus potiſſimum cauſſa hæc omnis mihi inſtituta narratio eſt, ac Marcum Antonium liberos procreavit. Natus eſt Jacobus hic noſter Neapoli, anno a CHRISTI adventu cIↃ CCCC LVIII. feſto die Sancti Nazarii, v. Kal. Sextilis: quod ipſe clariſſimis carminum ſuorum monumentis non ſemel teſtatum eſſe voluit. Per id tempus Alfonſus Aragonius, Rex Neapolitanus, cognomento Victor, qui a Joanna Regina adoptatus fuerat, vir bellica laude maxime præſtans, paciſque artibus ornatiſſimus, mortem obiturus, Ferdinando filio ex nobili concubina ſuſcepto regnum tradidit. Tum & ſtellæ crinitæ, quas Græci cometas appellant,

pellant, & prodigia multa in cælo viſa; quæ tamquam futurarum ſigna calamitatum vulgi animos perterrebant. Bellorum deinde motus tota Italia excitati ſunt: quibus privatorum bona direpta, liberi homines in ſervitutem abducti, exercitus ſæpe magni occidione occiſi. Multa præterea oppida terræmotibus corruere, florentiſſimiſque urbibus peſtilentiæ vi ſolitudo & vaſtitas illata eſt. Sannazarius igitur peſſimis auſpiciis vitam exorſus, quum per ætatem nondum ipſe ſibi proſpicere poſſet, patrem amiſit; matrique in tutelam traditus una cum fratre natu minore, fortunæ iniquitatem experiri cœpit. Mater ejus, virilis animi femina, quum ſe in tantas rei familiaris anguſtias adductam videret, neque haberet, unde ſibi ſuæque familiæ ſumtus liberales ſuppeditarentur, maxime pro urbis Neapolis opulentia & dignitate, extrema filiorum pueritia in Picentinos conceſſit, Nuceriæque Paganorum domicilio collocato, ibi parce admodum continenterque vivebat. Eo in oppido Jacobus, ut erat eximio ingenio, & ad colendam poëſim aptiſſimo, Librum illum ſuum vernaculo ſermone fertur inchoaſſe, quem paſtorum luſibus amoribuſque refertum, Arcadiam inſcripſit. Antequam vero Neapoli excederet, Juniani Maji, celebris eo tempore ludima-

dimagiſtri, domum frequentaverat, a quo Latinis Græciſque literis diligenter imbutus eſt. Is porro quanto in honore ſemper fuerit apud gratum memoremque beneficii diſcipulum, SANNAZARII Carmina paſſim declarant, in quibus Majus doctiſſimis hominibus annumeratur, & ob ſingularem prudentiam, rerumque uſum, miris laudibus in cælum tollitur. Dolebat ſane optimo præceptori, ſummam vim ingenii, qualem ſcilicet in puero perſpexerat, ſitu veluti quodam ac pædore obſoleſcere, neque in principum virorum conſpectu, pulcherrimæque urbis luce poſitam eſſe; idcirco MASELLÆ auctor fuit, ne tam egregiæ indolis filium in abdito diutius manere pateretur; ſed potius, copiolis omnibus quæ illi reliquæ eſſent, contractis, JACOBUM Neapoli ingenue liberaliterque educandum curaret, brevi enim fore ajebat, ut ſumtus in ea re facti, amplioribus longe commodis, quæ plerumque ſtudioſorum adoleſcentium induſtriam conſequi ſolent, abunde compenſarentur. Paruit fideli conſilio materfamilias, & primo quoque tempore cum liberis Neapolim venit. Florebat ea tempeſtate in celeberrima urbe Joannes Pontanus, vir diſciplinis omnibus, & præcipue illis, quibus juvenum animi ad humanitatem informantur, præter ceteros

teros excultus atque expolitus. Ad hujus domum, tamquam ad certiſſimum Muſarum & Sapientiæ templum, flos nobilitatis & juventutis Neapolitanæ undique confluebat: & cuicumque adoleſcenti bona de ingenio ſuo ſpes eſſet, is neminem alium, niſi Pontanum, ſtudiorum ſuorum hortatorem quærebat. Quapropter non defuerunt, qui Pontani Academiam (ſic enim ipſe lectiſſimorum ingeniorum concilium illud cœtumque appellabat) equi Trojani ſimillimam fuiſſe dicerent; ex qua ſcilicet non quidem belli duces, urbiumque expugnatores, at egregii poëtæ, ſummique oratores plurimi in apertum prodierint. Conſuetudo autem erat, ut quicumque bonarum artium cupiditate inflammatus ad maximum virum ſe applicuiſſet, novum ſibi nomen imponeret, ex antiquitate depromtum: putabant etenim, ejuſmodi nomina & plus dignitatis in ſe continere, & blandius quodammodo jucundiuſque in aures influere poſſe. Quo tamen facto nonnulli cenſoriæ gravitatis homines vehementer offenſi ſunt; quibus nimirum Chriſtiana lædi pietas, & majorum inſtituta convelli videbantur, ſi, nominibus quæ ſanctiſſimorum virorum olim fuiſſent, penitus abjectis, in eorum locum alia ſupponerentur, quæ profanarum gentium memoriam

renovarent. Sed pleræque res in hominum vita, quæ neque ſummam honeſtatem, neque rurſus inſignem turpitudinem adjunctam habent, perinde ſunt, ut accipiuntur; nec quidquam adhuc in eo genere vel a ſapientiſſimis excogitari potuit ita elegans atque perfectum, ut nullos omnino reprehenſores invenerit. Pontanus igitur, quo reliquos exemplo excitaret, Jovianus appellari voluit: Sannazarium vero jam pridem in familiaritatem receptum, Actium Syncerum ex eo nominavit, quod ille princeps ex Latinis bucolico poëmate piſcatores de amoribus ſuis in *acta* colloquentes induxiſſet, & quod ſine fuco & fallaciis vitam ageret, nec aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum haberet; amaretque puram & ſimplicem dicendi formam, in qua ſcilicet ipſius ingenium & mores apertiſſime elucebant. Quæ vero argumenta impulerint Paullum Jovium, ut monumentis traderet literarum, a Sannazario avitum gentilitiumque nomen repudiatum fuiſſe, equidem ignorare me fateor. Nam licet Jacobus, ubi conventus amicorum iiſdem ſtudiis gaudentium, aut feſtiva aliqua ſcriptio, hilaritatem & jocos poſtulare videbatur, illo altero nomine ſæpius uteretur, non tamen ad eas ineptias unquam deſcendit, ut proprium clariſſimæ familiæ

voca-

Digitized by Google

vocabulum aſpernaretur, immo vero, id ſibi magno ornamento eſſe, & apud poſteros fore, exiſtimans, optimis verſibus commemorare ac celebrare non deſtitit. Quum igitur ad eximiam ingenii ſuavitatem eas artes adjunxiſſet adoleſcens, quæ duros etiam & agreſtes homines mollire ac mitigare conſueverunt, incidit in amorem formoſiſſimæ puellæ, nobili genere ortæ, quam Carmoſinam Bonifaciam appellabant. Sannazarii autem, & Bonifacii, quod ejuſdem vicinitatis eſſent, in idem quoque concilium Portæ Novæ adſcripti erant. Hujuſmodi concilia Neapolitani *ſedes* vocant, quum enim propter urbis magnitudinem cives nobiles domiciliis inter ſe diſtantes, vix unum in locum convenire poſſent, de republica conſultaturi, urbs in quinque regiones diſtributa eſt, quarum ſingulis ſuam veluti curiam eſſe voluerunt, in qua viri primarii proxima loca incolentes ſententiam dicerent, & ſuffragia ferrent. Ut autem omnis ejuſmodi amor anxius & ſollicitus eſt, variaſque animis perturbationes afferre ſolet, Sannazarius noctes atque dies miſerrime affictabatur, non enim illi puella mutuam voluntatem tribuebat, ſive id pudicitiæ cuſtodiendæ cauſſa faceret, ſive quod ad formoſam pertinere arbitraretur, amatorem ſævitia ex-

cruciare. In tanta igitur acerbitate poſtremum illud adoleſcenti perfugium relinquebatur, plenis querelarum carminibus modo levitatem ſuam, modo puellæ crudelitatem, modo fortunæ vim atque imperium accuſare; quod quidem egregie præſtitit magno breviorum poëmatum numero, hac recentiori Italica lingua ſcriptorum, quæ maxime omnium Latino epigrammati reſpondere exiſtimantur. Aliud etiam genus frequentavit, argutis concinniſque ſententiis cum ſuperiore fere conveniens, quod vero ad circuitum verborum, numerorum varietatem, figurarumque ſplendorem attinet, longe copioſius. Hoc veteres Græci ᾠδὴν, Itali multis poſt ſæculis *cantionem* dixere. Utroque genere SANNAZARIUS ita excelluit, ut ſcriptores fere omnes, quicumque a Franciſci Petrarchæ obitu uſque ad ſua tempora lyricam poëſim excoluerant, de gloriæ poſſeſſione deturbaverit. Non minimum enim deſciverant illa ætate ab elegantia ſcribendi, contemtiſque antiquiorum exemplis, novam quamdam rationem excogitaverant demulcendi aures imperitorum, quæ, corruptis judiciis, longe lateque diffundebatur. Acute quidem rem inveniebant, (id quod etiam barbari perſæpe faciunt) ſed inventam expolire nequaquam poterant, in quo vis omnis eloquen-

tiæ

Digitized by Google

tiæ ſita eſt. Sententiæ plerumque improbabiles erant, contortæ, nimis exquiſitæ; verba inculta, horrida, ex trivio arrepta; numeri laxi, fluctuantes, diſſoluti; tota denique oratio neque nervis colligata, neque articulis diſtincta, ut rudem inopemque conſilii ſcriptorem facile agnoſceres. Magna igitur Sannazario laus debetur, quod & quanto in errore homines verſarentur, aut unus, aut certe cum paucis animadverterit, & ad veterem penituſque inſitam opinionem ex eorum animis evellendam ſummo conatu aggreſſus fuerit, quæ quidem res ipſi ex ſententia, ſucceſſit; paullatim enim ſanum ac ſplendidum orationis genus non juventuti ſolum, ſed etiam iis qui turpiter aberraverant, vehementer probari cœpit, & quod a Syncero tamquam primis lineamentis inchoatum, adumbratumque fuerat, id poſtea Petrus Bembus incredibili ſtudio, labore, diligentiaque perfecit. Quum hæc Sannazarius meditaretur, matre optima orbatus eſt; cujus immaturum interitum in Arcadicis luſibus elegantiſſime ploravit. Ut autem puellæ, propter quam curis vigiliiſque angebatur, ſi poſſet, memoriam omnem deponeret, in ultimam Galliam profectus eſt; quam regionem Arcadiæ nomine ferunt ab eo involutam fuiſſe. Ibi quum aliquamdiu mora-

tus eſſet, ſentiretque in dies ægritudinem augeri, neque amicæ, patriæque deſiderium ferre amplius poſſet (quæ amantium inconſtantia eſt) magnis itineribus Neapolim rediit. At huic gravi diuturnoque morbo triſtiorem medicinam fortuna oppoſuit; Sannazario enim abſente, Carmoſina, nondum ætate provecta, de vita migraverat. Qui caſus quantum amatori luctum attulerit, ſatis indicant Eclogæ Italica, Latinaque lingua conſcriptæ, quibus Phyllidis mortem deflet; ſic enim ipſi amores ſuos obducere ac velare placuit. Quum itaque ejus ingenii fama, quæ per omnium fere civium aures pervaſerat, in domum Ferdinandi Regis perveniſſet, Federicus Regis filius natu minor, juvenis poëtarum ſtudiis mirifice deditus, eum ad ſe cupide arceſſitum tectis ac ſedibus ſuis recepit, præcipuaque benevolentia proſecutus, in intimis & familiariſſimis ſemper habuit. Præ ceteris autem poëſeos generibus, regium adoleſcentem ſpectacula illa capiebant, quæ veteres mimos quodammodo ſalibus & jocis exprimerent, quapropter Sannazarius, ut erat ingenio ad excogitandum promtiſſimo, novis lepidiſque fabulis fingendis docendiſque, ei quotidie gratior acceptiorque fiebat. Proavorum temporibus adhuc in manibus erat libellus quidam

a

Digitized by Google

a Syncero exaratus, facetiarum ac feſtivitatis pleniſſimus, quem vulgus Neapolitanum, Gliomerum appellabat. in eo ſcilicet collecta erant rudia & obſoleta verba, argutæ item breveſque ſententiæ, quæ olim populari ſermone jactabantur. his auctor multa ridicula addiderat de ſuo, ut qui opus legiſſent, ab ingenioſo doctoque homine profectum, haud temere ſuſpicari poſſent. Iiſdem artibus & officiis paullatim effecit, ut ipſum Iſabella de Baltio, quæ cum Federico nupta erat, & Conſtantia ex Havalorum gente mulier ornatiſſima, bonarumque artium ſupra muliebrem imbecillitatem ſtudioſa, plurimum diligerent atque admirarentur. Hæc quum Federico, germano Iſabellæ fratri, in matrimonium data eſſet, quo die Pyrrhi Ducis Altamurani, ſoceri ſui, domum introivit, totum nuptiarum apparatum a Sannazario optima ratione diſpoſitum deſcriptumque invenit. Ob eamdem ingenii præſtantiam, Ferdinando Regi, & Alfonſo Calabriæ Duci, ad quem regni hæreditas pertinebat, familiaris factus eſt. Hunc porro imperatoria laude florentem, bello Etruſco ſecutus, in ejus exercitu militavit. Comitem etiam illi ſe præbuit ad Hydruntum recipiendum, fugandoſque Turcas, qui oppidum illud ſuis præſidiis occupaverant. Mox

Digitized by Google

quum Ferdinandus pro Hercule Ferrarienſi Duce, ſocer nimirum pro genero, contra Sixtum Pontificem, ejuſque fœderatos arma cepiſſet, idem Alfonſus ad Nomenti, Tiburiſque expugnationem SANNAZARIUM ſecum duxit; tametſi prope Lanuvium prælio ſuperatus, de gloria, quam maximis rebus geſtis adeptus fuerat, nonnihil amiſiſſe viſus eſt. Si quid autem poëtæ ſub ipſis pellibus otii relinquebatur, id totum in ſcribendis epigrammatis conſumebat; ex quibus unum præcipue celebratur, quo Ladiſlai, Regis fortiſſimi, & de SYNCERI majoribus optime meriti, *facinora* complexus eſt. Ita, quod mirabile omnino videri debet, bellicam laudem cum literarum ſtudiis conjunxit; quum plerumque contingat, inſcitia milites, ignavia literatos homines laborare. Conſecuta ſunt deinde ejuſmodi tempora, quæ florentiſſimam Aragoniorum familiam in extremum diſcrimen ſæpius adducerent, regnoque tandem ſpoliatam, exſiliis, continuiſque regum funeribus penitus perderent atque delerent. Carolus enim Ludovici F. Galliæ Rex, acerrimo ingenio adoleſcens, & qui totius Italiæ dominatum appeteret, induxerat in animum, regnum Neapolitanum Ferdinando eripere, & ad id facinus maximas copias brevi tempore comparaverat. Sed tanta malorum mole impenden-

te,

te, Ferdinandus, exacta jam ætate, mortem obiit. Alfonſus vero, qui in patris locum ſucceſſerat, quum potentiſſimi hoſtis adventum formidaret, neque in populi principumque civium auxilio ſpem ullam poneret, quibus nimirum propter crudelitatem inviſum ſe eſſe intelligebat, priſtinæ virtutis oblitus, ac fortunæ cuncta permittens, in Siciliam confugit, ibique haud multo poſt e vita exceſſit. Ferdinandus itaque ejus filius, cujus mores paternis moderatiores erant, regni adminiſtratione ſuſcepta, quantum potuit, Gallorum conatibus reſtitit; quibus quum par eſſe non potuiſſet, avitumque imperium amiſiſſet, nequaquam tamen animo fractus, rei felicius gerendæ occaſionem captabat. Accidit autem peropportune, ut Carolus in Galliam reverteretur; a cujus diſceſſu ſtrenuus adoleſcens incredibili virtute, celeritate, prudentia, hoſtes prælio fudit, remque amiſſam recuperavit. Sed perturbatum regni ſtatum componere molienti acerba mors intervenit. Ad Federicum igitur, ejus patruum, omnis poteſtas tranſlata eſt. Exiſtimabant homines, nec injuria, Sannazarium, qui in Regis clientela ſemper fuiſſet, neque in tantis calamitatibus ad florentem hoſtium fortunam unquam ab eo deſciviſſet, ſummum locum & dignitatis & gratiæ apud ipſum obtenturum, ſed

Digitized by Google

eventus omnium opinionem fefellit. Etenim Federicus Robertum quidem Bonifacium, Balthaſſarem Pappacodam, & Antonium Griſonem, viros nobilitate inſignes, quibus familiariter utebatur, donis oppidorum ac vectigalium locupletavit, Sannazario autem penſionem tantummodo largitus eſt, qua illi ſexdecim millia H-S quotannis ex ærario ſolverentur, rus item ſuburbanum, in Pauſilypi montis latere ſitum, cui Mergilline nomen eſt, ob amoenitatem magis, pulcherrimumque Tyrrheni maris proſpectum, quam ob fructuum ubertatem, a ſuperioribus regibus in pretio habitum. Aegre admodum tulit Jacobus, officiorum ſuorum, diuturnique ſervitii tam exiguam ſibi mercedem tributam, ſeque illis poſthabitum, quos ipſe fide benevolentiaque adverſus dominum (ut quidem arbitrabatur) aut ſuperaſſet, aut certe adæquaſſet, nec ſibi temperare potuit, quominus arguto epigrammate muneris tenuitatem Regi exprobraret, agricolam ab eo ſe factum, non obſcure conqueſtus. At poſtea loci delitiis captus, Mergillinem ſuam laudibus in cælum extulit, Regemque ipſum liberalitatis nomine celebravit. Otioſam tamen & quietam ætatem ſine periculis & laboribus ei diutius agere nou licuit; etenim quadriennio poſt, Ludovicus, qui e Duce Aurelianenſi

Rex

Digitized by Google

Rex Galliæ in locum Caroli creatus fuerat, & Ferdinandus Hiſpaniæ Rex, Alexandro Pontifice Maximo ſuadente, contra Federicum conjurationem fecere, ut eum communibus copiis regno pellerent. Oppreſſus itaque hoſtium viribus Federicus, ac regni poſſeſſione ſpoliatus, in Galliam ad Ludovicum abire maluit, quam apud Ferdinandum exſulare, hunc enim, ob conſanguinitatis jura nefarie violata, vehementer oderat. Eo caſu præclariſſimum fidei, conſtantiæque exemplum a SANNAZARIO proditum eſt. Nam quum pauci omnino Regem in exilium ſecuti eſſent, & ex his quoque nonnulli, eo relicto, domum rediiſſent, ipſe ab ejus latere numquam diſceſſit, cumque eo tamdiu fuit, dum ille curis ac mœrore confectus, mortem oppeteret. Quodque incredibile multis videri poſſit, antequam iter ingrederetur, quum oppidula duo, & portorium, quod ſexto ab urbe lapide collocatum incolæ Gaudellum appellabant, vendidiſſet, quadringenta viginti ſeſtertia ex venditione collecta, libentiſſime Regi obtulit, vix exigua tantæ pecuniæ parte ad vitæ neceſſitates ſibi reſervata. Neque vero exſtincti memoriam colere unquam deſtitit, ſed & in ejus funere ingentem lacrimarum vim profudit, & qui in eo perdendo operam ſuam omnem ſtudiumque poſuerant,

in

in hoſtium numero habuit, apertiſſimoque odio ſemper proſecutus eſt. Veriſimile autem videtur, Elegiam illam tertii libri, quam ipſe tamquam ad Federicum miſſam in vulgus edidit, poſt Regis mortem conſcriptam fuiſſe; in ea enim de ejus exſilio ac ſepultura mentio fit, ſed fortaſſis Poëta ideo ſimulatione uſus eſt, ut ſcilicet Cajetæ vaticinium majorem iis qui legiſſent, admirationem moveret. Jam omnibus pietatis officiis diligentiſſime perſolutis, quum patriæ deſiderio teneretur, Neapolim rediit, anno poſt CHRISTUM ortum cIↃ IↃ III. Non eſt autem ſilentio prætereundum, vetuſtiſſimos codices, multiſque antea ſæculis inviſos, a SYNCERO e Gallia in Italiam fuiſſe allatos; particulam videlicet Ovidiani poëmatis de piſcibus, Gratii Faliſci, & Olympii Nemeſiani carmina de venatione, Rutilii Numatiani itinerarium; nec non Valerii Martialis, Auſonii, & Solini ſcripta, iis quæ vulgo circumferri ſolerent, emendatiora. Neapoli porro (ut erat inſigni morum elegantia, quam ex principum virorum familiaritatibus hauſerat) Joannam Reginam præcipue coluit atque obſervavit. Quum autem regia in domo aſſidue verſaretur, Caſſandræ Marcheſiæ, ingenio ac forma præcellentis puellæ, e comitatu nobilium mulierum quæ circum Reginam erant,

rant, amore captus eſt. Hæc ſibi Joannæ voluntatem pudoris ac modeſtiæ ſignificatione præ ceteris conciliaverat. Non tamen, ut ſæpius fit, fœdis perturbationibus agitabatur SANNAZARIUS, ætatem illam jam prætergreſſus, quæ maxime libidinum imperio ſubjecta eſt, at veterum Platonicorum more, occultam animi pulchritudinem ex corporis dignitate conjiciens, in ejus potiſſimum contemplatione mentis oculos defigebat. Igitur omni dictorum factorumque turpitudine procul amota, ea tantummodo puellæ præſtabat officia, quæ virtuti nihil officere poſſe viderentur. Nec rivales moleſte tulit, quum enim Alfonſus Caſtriota, vir primaria nobilitate, eodem tempore Caſſandram amaret, & ut firmius puellæ animum ſibi adjungeret, pollicitus ei eſſet, ſe illam uxorem ducturum, ipſumque poſtea promiſſi pœnituiſſet; omnes nervos contendit SANNAZARIUS, ut LEO X. Pontifex Maximus, matrimonium ratum haberet, neque Alfonſum juramento ſolveret, uſuſque in eo eſt auctoritate Petri Bembi, qui tum Pontifici ab epiſtolis erat. ſed quum ob nimiam adverſariorum potentiam, optata impetrare non potuiſſet, iniquiore in Leonem animo poſtea fuit. Quemadmodum vero iis iratum ſe præbuit, quorum conſilia & mores plurimum

a ſuis diſtare cognoviſſet, ita multorum amicitiis floruit, qui eodem ſtudio literarum, veritatis, & conſtantiæ tenebantur. Caros ideo in primis habuit e Neapolitanis civibus, Franciſcum Pudericum, acerrimo judicio virum, qui quamvis oculis captus, quid pulchrum, quid rectum eſſet in ſcriptis poëtarum oratorumque, egregie dijudicare poterat: Lucium Craſſum, antiquitatis ſtudioſiſſimum: Petrum Compatrem, Hieronymum Carbonem, Thomam Fuſcum, Rutilium Zenonem, Joannem Franciſcum, & Marinum Caracciolos, Joannem Sangrium, Antonium Garlonium Alliſarum Ducem, Trajanum Cabanilium Trojæ ac Montellæ Dominum, Chariteum, Andream Matthæum, & Beliſarium Aquivivos, alterum Hadriæ, alterum Neritinorum Ducem; qui omnes elegantioribus Muſis mirifice dediti erant: Petrum item Summontium, qui res Neapolitanorum literis mandavit, Alexandrum ab Alexandro, Juriſconſultum, hominem liberalibus doctrinis politiſſimum, Hieronymum Seripandum Cardinalem, Ferdinandum Havalum, Piſcariæ Ducem, imperatoremque fortiſſimum; a quibus contra impenſe diligebatur, maximique fiebat. Summa etiam illi neceſſitudo fuit cum Joanne Pardo Hiſpano, Philoſopho præſtantiſſimo, & cum Antonio Gala-

teo

Digitized by Google

teo Appulo, qui medicinæ operam dabat. Coluit præterea omnibus officiis Joannem Pierium Valerianum Bellunenſem, Julium Senenſem, Michaëlem Marullum Byzantinum, Bartholomæum Scalam Florentinum, Gabrielem Altilium in Lucania natum, Petrum Gravinam Siculum, Elyſium Calentium Appulum, Aegidium Viterbienſem Cardinalem, Ludovicum denique Montalium Syracuſanum, viros ingenii laude, vitæ innocentia, morumque ſuavitate ſpectatiſſimos. Ex Venetis, Petro Bembo, qui tum in literis regnabat, & Marco Antonio Michaëlio, plurimum tribuit. Aldi quoque Manutii, hominis de politiori antiquitate præclare meriti, induſtriam atque eruditionem valde ſuſpexit, cui & Arcadiam ſuam tradidit, typis divulgandam. Dilexit & compleres alios; quos ſingulos enumerare nimis longum, atque adeo injucundum foret. Quos autem ſemel in amicitiam recepiſſet, iis uſque ad extremum ſpiritum inviolatam fidem ſervavit; neque umquam commiſit, ut aut beneficiorum oblitus, aut in difficultatibus periculiſque amicorum lentus ac negligens videri poſſet. Hanc ſane fidelitatis conſtantiæque laudem, tamquam ipſius propriam & ſingularem, omnes, ne inimicis quidem exceptis, Actio Syncero tribui debere,

bere, una voce prædicabant. Erga Jovianum Pontanum, quo ſtudiorum ſuorum impulſore in juventute uſus erat, ita ſemper animatus fuit, ut erga ſemetipſum; & quamquam illum carminis dignitate, Latinique ſermonis elegantia procul dubio ſuperaviſſet, nihilominus, quoties occaſio oblata eſſet, de illius ingenio, eruditione, ſapientia, cum familiaribus honeſtiſſime loquebatur. Hujus etiam ſcripta e domeſticæ bibliothecæ tenebris primus in lucem evocavit; adhibitis ad eam rem Franciſco Aelio, Petroque Summontio, viris eruditiſſimis. multorum profecto diſſimilis, qui poſtquam ſine cortice natare didicerunt, ut in veteri proverbio eſt, ac nonnullam dicendi facultatem adepti ſibi videntur, eos quorum opera profecerunt, non ſolum præ ſe contemnere, ſed etiam vehementius inſectari ſolent. Ea præterea Sannazarii probitas fuit, ut quadam epiſtola ad M. Antonium Michaëlium data, ſe pluribus quidem ſaluti fuiſſe, nemini vero umquam nocuiſſe, gloriari potuerit, quæ laus una ceteris omnibus merito anteponenda eſt. A litibus ſummopere abhorruit; videbat enim, nihil magis animi tranquillitati, ſtudiiſque rectioribus adverſari, quam ſtrepitum fori, vulgariumque hominum concertationes. Juſtitia quantum ab ipſo

ipſo culta ſit, non uno argumento cognoſci poteſt. Quo primum tempore Gallica natio, Neapolitanum regnum invaſerat, nulla æqua judicia fiebant, qui provinciis præerant, maleficio & ſcelere paſcebantur, nobilium bona publicabantur, cuncta denique ex victorum libidine, non ex legis ratione gerebantur. SANNAZARIUS tanta rei atrocitate commotus, egit ſedulo cum Petro de Roccaforti, cujus fidei negotia regni Galliæ commiſſa erant, ut ejus apud Regem auctoritate modus injuriis aliquando ſtatueretur; ad quem etiam Elegiam miſit, in qua ſcilicet Aſtræam cum ipſo conquerentem inducit. Cæſarem Borgiam, Ducem Valentinum, Tyrannorum crudeliſſimum, quem præceps atque effrenata regnandi cupiditas ad peſſima quæque ſuſcipienda facinora quotidie impellebat, probroſis carminibus maledictiſque vexavit; & de ejus tandem pernicie lætitiam apertiſſime tulit. Nebulones, paraſitos, comeſſatores, & qui ad cædem faciendam pretio conducti latrocinia in urbibus exercent, ac noctu diuque cum telo ambulant, maxime oderat. Nec eorum mores probare poterat, qui licet ingenioſi, doctrinaque exculti, reliquos tamen omnes infra ſe ducerent. quamobrem & Politiano infenſior fuit, eumque binis epigrammatis

Digitized by Google

laceravit, quod nimirum, vir alioqui doctiſſimus, ſe inſolenter efferret, (ut Syncero quidem videbatur) &, quemadmodum olim Quintus ille Palæmon, ſecum natas, ſecumque morituras literas arbitraretur. at diffiteri nolim, inimicitias, quas cum Michaële Marullo, & Bartholomæo Scala, Marulli ſocero, Politianus gerebat, præcipuam Sannazario odii cauſſam fuiſſe. Pietate ac religione in Superos nemini conceſſit. Quum enim Aegidium Viterbienſem, Auguſtinianæ familiæ Monachum, improbos homines acerrima concione objurgantem audiſſet, ac neſcio quo Virgilii verſiculo, quo ille opportune ad faciendam fidem uſus erat, mirabiliter ſe affici ſenſiſſet; gravem illum virum diligere, omnique officiorum genere proſequi cœpit: ac deinde rerum divinarum amore inflammatus, egregium illud De Partu Virginis poema inchoavit, quod omnium ſæculorum poſteritas admirabitur. Ne autem aliquid prætermitteret, quod ad cultum ſanctiſſimæ DEI OPTIMI MAXIMI Genitricis pertineret, in ſcopulis Mergillinæ templum ædificavit, ejus divini partus memoriæ ſacrum, cui templo Monachorum Collegium adjunxit, qui ſe MARIÆ Servos appellant; iiſque prædia reliquit, ex quibus octo millia H-S in ſingulos annos perciperent,

rent, ad feſtos dies anniverſarios agendos, & ut Federici Regis, Actii Synceri, ejuſque parentum peccata, DEUM quotidie precando, expiarent. Divo quoque Nazario ſacellum exſtruendum curavit. Præ ceteris vero cælestibus, Auguſtinum maximum illum Theologum, Gaudioſum, Jacobum Picenum, atque Antonium Luſitanum, cujus ſepulcrum Patavii poſitum toto orbe terrarum celebratur, a Sannazario in honore habitos fuiſſe, quum ex ipſius poëmatis apparet, tum ex aliorum teſtimoniis conſtat. Non tamen pietate impediebatur, quominus in ſtudiis humanitatis ac literarum verſaretur; ſed amicis, qui ad eum ventitabant, ſemper novum aliquod epigramma, ſalis atque urbanitatis plenum, aut elegiam recitare ſolitus erat, quæ nitore atque elegantia cum antiquorum ſcriptis certare poſſet. In hoc genere Propertium ſibi ad imitandum propoſuit, candidum ſane poetam, Græcorumque ornamentis abundantem; cujus tranſmarinos lepores nativa quadam Tibulli, & Ovidii ſuavitate paſſim temperavit. Quum vero ad heroicum poema aggreſſus fuiſſet, nuſquam a Virgilii magnitudine dejiciebat oculos, quem adeo admirabatur, ut ejus natalem diem quotannis ſolenni convivio cum familiaribus celebraret. Numerorum Scien-

 tiam,

tiam, ei qui in ſcribendo carmine excellere velit, maxime neceſſariam, at multis antea ſæculis ignoratam, unus perfecte calluit, ac reliquis exemplo monſtravit, de qua ipſum diſputantem, quamvis eo tempore admodum adoleſcentem, Pontanus inducit in eo dialogo, cui Actio nomen eſt. Qua potiſſimum re, tanta Sannazario deberi gloria mihi videtur, quantam conſecutus eſt Bembus, quod homines ad M. Tullii ſcripta diligentius evolvenda primus excitaverit. In opus De Partu Virginis perpoliendum infinitos pæne labores inſumſit, illudque perpetuis annis viginti accuratiſſime caſtigavit; lucubrationum ſuarum triſtis ac moroſus omnino cenſor. Et quamquam ſubtili judicio præditus eſſet, quo & a pravis recta, & a mediocribus optima diſcernere poſſet, ipſe tamen ſibi diffiſus, ad Franciſcum Pudericum, doctiſſimum ſenem, aſſidue veniebat, cumque illo de verſibus a ſe nuperrime factis communicabat. Quem ferunt auribus adeo faſtidioſis fuiſſe, ut a Syncero decem interdum verſus in eamdem ſententiam recitarentur, antequam illi plane ſatisfieret. Ob hanc nimiam in ſcribendo diligentiam, ſtatarium poetam nonnulli Sannazarium nominavere, qui videlicet manum de tabula tollere neſciret.. Neque ulli, dum

vixit,

Digitized by Google

vixit, iratior fuit, quam cuidam, qui ſcripta ejus nondum ſatis emendata furtim abſtulerat, eaque Venetiis edere conſtituerat. Quum autem LEO X. Pont. Max. de tam præclaro poemate audiſſet (erat enim res in omnium ſermone) incredibilem animo voluptatem cepit, non ſolum quod literatorum hominum conatibus favere ſolitus erat, ſed etiam quod e re Chriſtiana fore exiſtimabat, ſi pia hujuſmodi atque elegantia ſcripta impiorum quorumdam ſcriptis opponerentur, qui religionem a majoribus traditam, eo potiſſimum tempore labefactare, ac funditus delere cupiebant. Itaque ad Syncerum literas dedit, admodum honorifice ſcriptas, quibus ei ſingularem in DEUM pietatem, vimque ingenii admirabilem gratularetur, eumque ad perfectum jam opus quamprimum edendum hortaretur. Verum, offenſione exorta, quam ſupra commemoravimus, Sannazarius poema apud ſe continuit, dum Leo e vita migraret, qui mortuo, opus tandem typis deſcriptum, ab Antonio Seripando CLEMENTI VII. ex eadem Mediceorum familia Pontifici, auctoris nomine oblatum eſt. Pergratum ac perjucundum ſibi munus fuiſſe, & ſe tam egregii ſcriptoris de facie cognoſcendi cupidiſſimum eſſe, Clemens humaniſſimis verbis Seripando ſigniſica-

Digitized by Google

nificavit; eique, ut juſtas debitaſque SANNAZARIO gratias ageret, imperavit. Quod etiam ipſe per literas præſtitit, quibus immortali beneficio ſe affectum ab illo confeſſus eſt; cui pariter æqualiterque reſpondere, licet in ampliſſimo ſtatu collocatus, nulla umquam ratione poſſet. Ne autem iis dignitatibus SANNAZARIUS ornaretur, quas fortaſſe, pro meritorum ſuorum magnitudine, ſperaverat, Columnenſium bella, quibus Pontifex diſtinebatur, & ejuſdem in præmiis tribuendis lentitudo quædam, in cauſſa fuere. Ceterum in ECLOGIS quoque PISCATORIIS ACTII judicium cognitum eſt. Teſtatur enim Julius Scaliger, unam ex iis, quæ nimirum ſecundo loco poſita eſt, apud ſe exſtitiſſe, in qua multa legerentur, quæ poſtea ſcriptor diligentiſſimus immutaverit. Decem ab eo hujuſmodi poemata ſcripta fuerant, ſi Paullo Manutio fides habenda eſt; ſed quum ex ulteriore Gallia in patriam longo intervallo reverſus eſſet, quinque tantum in ſcriniis invenit; reliquis aut furto ſurreptis; aut negligentia ſuorum amiſſis. ARCADIAM ſuam, opus juvenili quodam fervore effuſum, ætate provectus minus probavit, eamque multorum efferri laudibus, indigne tulit. Quamvis autem poetarum ſui temporss princeps a doctis omnibus haberetur,

tur, neque ipſe in eo genere mediocritati ullum eſſe locum exiſtimaret, quos tamen ſcribendi carminis gloria olim inſigne futuros conjeciſſet, eos magnopere coluit; in quibus Joannem Cottam: cujus etiam mortem epigrammate deflevit. De ceteris ejus moribus hæc feruntur. Magno atque erecto animo fuit, & qui puſillos quoſdam obtrectatores tamquam e ſuperiore loco, deſpiceret. Quapropter Lucium Joannem Scopam, ludimagiſtrum, qui plurima antiquorum ſcripta numquam in vulgus edita in bibliotheca ſua ſervari, falſo gloriabatur, ineptum ſane hominem, atque in ipſum ridicule inſultantem, adeo contemſit, ut indignum omnino eſſe duceret, cum quo decertaret; ejuſque audaciæ jacula levi, ut ita dicam, lateris flexu ſemper declinavit. Hanc animi magnitudinem nonnulli pejorem in partem interpretabantur: ſuperbum enim & contumacem eſſe, ajebant. Nec minore conſtantia, Conſalvi Cordubenſis, qui Magnus Dux a rerum geſtarum amplitudine appellabatur, amicitiam repudiavit. Ab hoc enim, quod Ferdinandum, Federici Regis filium, ex arce Tarentina extractum, contra datam fidem, in Hiſpaniam ire coegiſſet, ubi poſtea miſer conſenuit, alienum animum habebat. Qui nihilominus gloriæ cupiditate adductus,

Digitized by Google

quum omnia fruſtra expertus eſſet, ut egregium poetam ſibi conciliaret, id tandem conſilii cepit, ut ad viſendum Puteolanum agrum, veterum ædificiorum ruderibus, ac ſubterraneis ignibus admirandum, eum ſibi potiſſimum ducem itineris depoſceret. Sannazarius itaque tanta fortiſſimi viri comitate victus, ejus voluntati morem geſſit. Quum itaque Conſalvus iter ingreſſus, de recentibus Hiſpanorum victoriis magnifica oratione locutus fuiſſet, jamque ad ſpeluncam, in ipſo Pauſilypo monte excavatam, qua Puteolos itur, appropinquaſſent, tempus eſt, inquit poeta, ut poſtquam res Hiſpanæ ſatis a nobis verbis ornatæ ſunt, de rebus geſtis ac virtute Italorum pauca dicamus. Atque ibi de infinito prope ſervorum numero, quem Romani olim ad id ſpecus effodiendum adhibuiſſent, narrare cœpit; multa de veteri hiſtoria depromens; eoque tandem, ſermonis curſu, devenit, ut diceret, Hiſpaniam, quæ olim Italorum imperio paruiſſet, longinqua converſione temporum, victoribus ſuis jugum impoſuiſſe. Hujuſmodi narrationibus delinitus Conſalvus, ab eo die Sannazarium majore in pretio habuit, ejuſque amicitiam ſtudioſiſſime coluit. Incredibile eſt, quantum immortali Venetorum Reipublicæ Syncerus faverit. Hanc ſcilicet tan-

quam

quam unicum antiquæ libertatis exemplum, venerabatur; multaque de ejus magnificentia & ſplendore honorate & graviter prædicabat. Eum contra Veneti, quaſi unum ex ſuis civibus, diligebant; quumque ille argutum Hexaſtichum ſcripſiſſet, quo illorum Urbem Romæ anteferendam eſſe affirmaverat, tria millia H-S pro ſingulis verſibus Poetæ perſolvi juſſerunt. Ejus quoque effigies apud ipſos in veteri curia conſpiciebatur, a Titiano depicta, prope reliquas ſummorum virorum; quæ omnes coorto incendio, miſerabiliter abſumtæ ſunt. Quum ille in rerum omnium abundantia viveret, neque ei deeſſet, unde largiorem ſumtum facere poſſet, habitus eſt ad rem attentior, quam ſatis eſſet; duo enim tantummodo mancipia domi alebat, quorum alteri honeſtiora officia, alteri culinæ curam commiſerat. Quum autem Comes Sanſeverinus, qui tum loco Regis Neapolim obtinebat, ut nimiam poetæ parſimoniam perſtringeret, mirari ſe dixiſſet, quomodo ille cibum capere poſſet, quem ſervus adeo fœdus paraſſet, hujuſmodi a Sannazario reſponſum tulit: duo in illo mancipio præ ceteris munda eſſe, mentem nimirum, ac manus. Fallitur Joannes Baptiſta Criſpus, Callipolitanus, a quo Sannazarii res geſtæ accurate quidem, ſed om-

 nino

Digitized by Google

nino impolite, monumentis literarum traditæ ſunt, quum ſcribit, famulum illum cubicularium, Hiempſalem, coquum vero, Sannazarium, herili nomine, vocatum fuiſſe. res enim contra ſe habet; ſiquidem Alexander ab Alexandro in libris Genialium Dierum narrat, ſervum illum ex Aethiopia, qui Sannazarius appellaretur, ſcitiſſimum adoleſcentem, & ob morum elegantiam libertate donatum, liberalibuſque diſciplinis a domino eruditum, Propertii elegias ſuaviſſima voce ad tibiam cantare potuiſſe; quæ omnia quantum a coqui moribus diſtent, facile quivis perſpicere poteſt. Jocis ac facetiis mirum in modum delectabatur, quæ rerum graviorum triſtitiam ac ſeveritatem mitigarent. Nos ejus aliquot feſtiva & acuta dicta commemorabimus. Quum aliquando in conventu medicorum, eo præſente, quæſitum eſſet, quid præcipue oculorum ſenſum acuere poſſet, aliudque ab aliis magis idoneum judicaretur, ipſe *invidiam* aptiſſimum collyrium eſſe dixit; nonnulloſque Ovidii verſus protulit, quorum hujuſmodi ſententia eſt: alienam ſegetem ſemper videri fertiliorem, ac vicinorum gregibus ubera eſſe majora. Nullum inveniri morbum, ajebat, quo plures homines perirent, quam febri tabifica, igniculo ſpei excitata. Eos qui ob generis claritatem magnos

magnos ſibi ſpiritus ſumerent, hiſtrionibus comparabat regali trabea indutis. Librum quemdam Poggii Florentini, ſcriptoris alioqui non contemnendi, Judæi domum appellabat, quod alienis pignoribus refertus eſſet. Interrogatus a quodam, cur tam raro nobilium cœtibus intereſſet, qui de republica conſultabant, ideo, reſpondit, quod ſuffragia numerari, non appendi ſolerent. Dicebat præterea, cogitationes & conſilia magnarum rerum, quæ difficillime effici poſſent, eorum militum eſſe ſimillima, qui miſſionem accepiſſent: iis enim ſæpenumero, quamvis uſui eſſe deſierint, ſtipendium tamen ex ærario numeratur. Antiquis familiæ inſignibus, quæ diſcoloribus ludi latrunculorum teſſellis continebantur, proprium ſignum addiderat, urnam videlicet, in quam candidos nigroſque ſcrupos veteres immittebant, ad felices infeliceſque dies notandos. Ex hac SANNAZARIUS magnum nigrorum lapillorum numerum, uno tantum candido immiſſo, pellucere voluerat, hoc urnæ inſcripto verſiculo:

ÆQUABIT. NIGRAS. UNA. SED. ALBA. NOTAS

quumque a Bembo admoneretur, antiquorum

rum urnam haud quaquam pellucidam, ſed fictilem fuiſſe, lepide reſpondit: ſuam e craſſiori vitro conſtare. Statura fuit procera, & ad dignitatem appoſita, membris ſolidioribus, facie ſubtriſti, quæ ſtudioſum hominem indicaret. Valetudine autem uſus eſt minus proſpera, perpetuoque ſtomachi languore laboravit. Ex nimiis etiam angoribus, aſſiduaque meditatione, canitiem præmaturam contraxit. Paullo poſt direptam Romam a Borbonii militibus, Neapolim atrox peſtilentia invaſerat; qua ferocius in dies graſſante, SANNAZARIUS, exacta fere ætate, ad vicum illum confugit, qui olim ad radices Veſuvii ſitus erat, antequam ſubitis ignium cineriſque eruptionibus penitus obrueretur. Eo jampridem ſeceſſerat Caſſandra Marcheſia, atque ibi cælibem vitam agebat. Hujus domum, quamvis a ſuis ædibus mille paſſus diſtantem, poeta quotidie, mulierem ſalutatum veniebat; ut tantam amoris in ſene conſtantiam omnes vehementer admirarentur. Haud multo interjecto tempore, quum Franciſcus Galliæ Rex cum Carolo Cæſare de Neapolitano regno dimicaret, SANNAZARIUS triſtem omnino nuntium accepit: juſſu nimirum Philiberti Aurantii, Cæſariani exercitus Ducis, villam ſuam Mergillinæ, cæſa prius Gallorum cohorte, quæ illic ad excubandum conſederat,

Digitized by Google

a militibus fuiſſe dirutam, ne rurſus ab hoſtibus occuparetur. Ea res acerbiſſimum poetæ dolorem inuſſit, maxime quod Monachos, de quibus antea diximus, honeſto illo domicilio excipere cogitaverat. Scribit Jovius, ob hujuſmodi factum, Actium Syncerum tanta in Philibertum iracundia exarſiſſe, ut quum tandem eum in pugna occiſum, audiſſet, ipſe graviter ægrotans, mortique jam proximus, libenter ſe de vita migrare teſtatus fuerit, poſtquam barbarus ille imperator violatis Muſis, quibus villa ſacra erat, interitu ſuo pœnas dediſſet. Mortuus eſt Sannazarius Neapoli, omnibus quæ ad religionem pertinerent, rite ſanćteque perſolutis, anno ab humano genere ſervato cIↃ IↃxxx. annum agens lxxii. in domo Caſſandræ; ſi fides Rainerio Gualando, viro nobili, habenda eſt, qui ſe morientis lectulo adſtitiſſe, ejuſque cadaver, in avitam Sannazariorum domum transferendum curaſſe, affirmare ſolitus erat. Non enim audiendus Trajanus Boccalinus, qui poetam, ex animi acerbitate morbo contracto, in ſumma rerum omnium inopia, Romæ obiiſſe, ſcriptum reliquit. Antequam vero ad ſepulturam efferretur, quidam poetarum, doctorumque hominum ſtudioſiſſimus, formam capitis ejus effingi mandavit, quæ ipſius monumento marmoreo,

reo, opera Joannis Angeli Florentini, excellentiſſimi artificis, affabre ſculpto, demum impoſita eſt. Eidem tumulo Petrus Bembus hujuſmodi carmen inſcripſit:

DA. SACRO. CINERI. FLORES. HIC. ILLE. MARONI

SYNCERUS. MUSA. PROXIMUS. UT. TUMULO

In bibliotheca quoque Hieronymi Seripandi, Cardinalis, a quo maxime colebatur, vera Sannazarii effigies, in tabula picta, olim exſtabat. Sepultus eſt in templo, quod ipſe Beatiſſimæ Virgini, DEI Genitrici, vivens dicaverat; funus procurante Caſſandra. Nullos omnino reliquit liberos. Unicum vero filium, quo ſe orbatum, in epigrammatis queritur, ex qua muliere ſusceperit, incertum eſt; quum ceteroqui, uxorem ab eo numquam eſſe ductam, ſatis conſtet. Gens etiam Sannazariorum, quæ Neapoli floruit, mortua nepte Marci Antonii, fratris Actii Synceri, quam Camillus Morumilius, Patricius Neapolitanus, in matrimonio habuerat, tota deleta eſt. Ita mortalium res omnes definitis temporibus concluſæ circumſcriptæque ſunt, quibus & incipiant,



Digitized by Google

Digitized by Google

cipiant, & ſenſim augeantur, & demum intereant: ea tantum quæ virtute atque ingenio paratur, gloria, numquam ſeneſcit, unoque orbis terrarum excidio videtur poſſe aboleri. Maximo in pretio habita ſunt ad hanc uſque diem SANNAZARII ſcripta, non a vulgo ſolum; cujus judicium leve, fallax, varium, inſtabile; ſed etiam a doctiſſimis viris, & ab iis qui alienam induſtriam parce admodum laudare ſolent, ne ſuæ quodammodo detrahere videantur. In primis vero ECLOGÆ PISCATORIÆ omnium admirationem promeritæ ſunt. Elegantia certe poematum SANNAZARII pleroſque a ſcribendo Latino carmine deterruit: Bembuſque ipſe, quamvis id optime facere potuiſſet, libris ejus perlectis, ad Etruſcam poeſim colendam totum ſe contulit. Quicumque poſtea heroicum poema attingere voluerunt (ſi Fracaſtorium, & Vidam excipias, homines doctrina atque ingenio ſingulari) longe infra SYNCERUM ſubſtitere. Aegre ferebat Seripandus, Cardinalis, opus DE PARTU VIRGINIS tanta cura elaboratum, non a pueris in ſcholis ediſci, quum Aeneidi Virgilianæ, orationis majeſtate prope par eſſet, argumenti autem dignitate etiam antecelleret. Non me fugit, Deſiderium Eraſmum Roterodamum, cui ſubinviſa erat Italorum gloria,

ria, nodum in ſcirpo quæſiviſſe, ac SANNAZARIUM reprehendiſſe, quod rem ſacram fabulis antiquorum inculcandis commaculaverit; ſed quum Franciſcus Floridus Sabinus in libris Succiſivarum Lectionum pro egregio poeta cauſſam dixerit, qui amborum argumenta perpendent, utri potius aſſentiendum ſit, ii facile dijudicabunt.

FRANCISCUS AELIUS MARCHESIUS

DE GENTE

SANNAZARIANA

ET

ACTIO SYNCERO.

Sannazarios genere nobiliſſimos, nemo Italicarum rerum mediocriter gnarus eſt qui neſciat. Actius Sincerus noſter, ut ſcis, homo & ſummæ modeſtiæ & ſinceritatis Caroli III. literas mihi oſtendit, quibus Nicolaum & Benedictum Sannazarios ad ejus ſtipendia invitat. Erat eo tempore Carolus ab Urbano VI. Pontifice ad Regnum capeſcendum hortatus, & Fratres

Fratres Sannazarii Papia oriundi a Vicecomitibus Dominis, quorum ditionis erant, merebant ſtipendia; ceterum viri generoſi Regis magnanimi precibus tergiverſari non potuerunt. Itaque anno ſalutis 1381. in Caroli Tertii caſtra venerunt, alter cum equitum turmis quatuor, alter cum duabus. Rex non tam numero quam qualitate militum ac præfectorum lætus, illos ſtipendiis ſatis liberalibus ampliſſimiſque promiſſis proſecutus eſt. Victo demum Othone Brunſvichio, captoque cum Joanna Regina univerſo regno Neapolitano, Sannazariis fratribus, Montis Dragonis Rocham ac feuda quam plurima in Sueſſano ac Sidicino agro, item Serram ac Sanctum Laurentium, Felictum & Caſtrum Novum ob virtutes dono dedit, eoſque cariſſimos habuit. Mortuo deinde Carolo Tertio eandem Ladiſlao ejus filio fidem præſtitere; & ſi rex ille diutius vixiſſet, magna in Jacobum, Nicolai filium, beneficia collaturus videbatur. Succeſſit Ladiſlao Joanna ſecunda, quæ primum amoribus Pandolphelli Alopæ, mox Serianni Caraccioli addicta, & quaſi mente capta omnes a Carolo patre & Ladiſlao fratre erectos proſternere ſtuduit; ita ut Aurilios, Sannazarios, Moriminos, viros bellicoſos, & Sfortiæ amicos, quia Serianni magnitudinem ferre non poterant, ipſos Serianno exhautorandos

perſequendoſque tradiderit, qui (ut erat prudentia & in tractandis rebus ſolertia ſingulari) variis de cauſis modo hos, modo illos, infra quinquennium bonis, auctoritate, & dignitatibus ſpoliavit; nactuſque occaſionem ſuſpicionis, quia Jacobus Sannazarius Annichino Morimino, rebus novis ſtudenti, opem, & conſilium præſtitiſſe dicebatur, reum a Fiſci patrono ad cauſam dicendam citari procuravit. Jacobus magis cedere tempori; quam ſe inimici tradere poteſtati decrevit, ſperabat enim Reginam, tot probris coopertàm, diutius non regnaturam. Verum opinio eum fefellit; mortua enim Joanna, ejus bona ad Sanſeverinos proceres, & ad Joannem Antonium Marſanum Sueſſæ ducem, viros potentiſſimos tranſlata, ab iis avelli amplius non potuere. ſuperfuit e Jacobo Nicolaus filius Synceri Noſtri pater, qui cum bonis quæ Burgenſatica Neapoli & proximis in locis recuperaverat, ducta uxore honeſto loco nata, ſe & Marcum Antonium & Sincerum filios aluit, qui hodie inter aulicos Federici Regis ea gratia pollet ut nulli dubium ſit eum inter Magnates relatum iri a Rege benevolentiſſimo, niſi Fortuna, parum officioſis ac magnis Viris amica, aut illi vitam, aut Regi poteſtatem benefaciendi abſtulerit.

SELEC-

SELECTA DOCTORUM VIRORUM DE ACTIO SYNCERO SANNAZARIO, *EJUSQUE SCRIPTIS* TESTIMONIA:

PETRI BEMBI EPISTOLA AD JACOBUM SYNCERUM SANNAZARIUM, QUÆ EXSTAT LIB. IV. EPISTOLARUM FAMILIAR.

ET te amabam antea plurimum; nam ſæpe in tua ſcripta incidi quum vernacula, tum Latina; quibus in omnibus felicitatem illam ingenii tui ad Poetices facultatem ſum vehementer admiratus: & nunc quidem Aegidius Monachus Viterbienſis, & Antonius Agnellus effecerunt, ut nihil me uno ſit in te amando, obſervando, colendo plane ardentius. Ex ipſorum enim oratione cognovi; præter ea,

quæ dixi, utriuſque linguæ ſtudia literarum, delatumque jam pridem in illis tibi a Muſis atque ab Apolline principatum; quam ſis etiam in ipſo uſu vitæ, quum humanitate, & ſuavitate; tum hercle, omni virtutum genere, atque illa in primis vel probitate, vel morum animique, ſi Latine ſatis poſſum dicere, ſinceritate, quæ quidem virtus tibi etiam agnomen dedit, politiſſimus. Itaque hæc ad te volui ſcribere primum, ut tibi notum facerem hunc ipſum animi mei ſenſum in te, ac voluntatem: jaceremque, tamquam fundamenta benevolentiæ, futuræque noſtræ neceſſitudini, quaſi quoddam vinculum adhiberem, amorem ſummum erga te meum: In quo quidem pergratum mihi erit; ſi me ſic amandum ſuſceperis, ut utare; ſic fueris uſus, ut plane tuo. Deinde ut ſcires, me videndi tui deſiderio magnopere teneri: nam fruendi quidem non audeo dicere: qui neque ſalutari te permiſeris, quum nuper e Gallia rediens, ut audio, de itinere Venetias iviſſes. Quod ſi tua culpa effectum eſt, ut, quum fieri utriuſque commodo potuerit, ut te viderem, me tamen latueris: dabo ipſe operam, ut id aliquando fiat, etiam ſi non poterit ſine magno incommodo meo. Interea tamen, etiam atque etiam a te peto; ut quoniam hoc tempore in ſeceſſu iſto Neapolitano

tano tuo, puto te otio mirifice abundare; mittas aliquid ad nos de tuarum Muſarum penu; quo minus a nobis moleſte videndi tui deſiderium perferatur. Quod ut libentius facias; hoc te genere officii etiam provocabo. Aſulanos enim meos habebis cum his literis. qui quidem quamquam libri, amicorum meorum aſſiduis poſtulationibus, ac prope etiam impulſu, exire jam in vulgus, atque haberi cœperint; ad te tamen veniunt non minus, ut eos emendes, ſi qua tibi non probabuntur; quam ſi, quod mallem, placuerint, ut probes. Vale. Idibus Aprilis. M. D. V. Venetiis.

JOANNIS PIERII VALERIANI EPISTOLA AD CLARISSIMUM ACTIUM SYNCERUM IN HIEROGLYPHICORUM LIBRUM XX.

Tibi vero, SYNCERE ACTI cariſſime, *Phœnicem*, & *Pelecanum*, quique in ipſam hiſtoriæ ſeriem quibuſdam veluti laqueis detenti ſe ſe invicem implicuerunt, ſociatique in hunc locum aptiſſime convenerunt, *Noctuam*, *Cornicem*, & *Paſſerem*, dedicare conſilium fuit. Ac *Phœnicem* quidem ea de cauſſa, quod veluti ille admirabili quadam inſignis pulchritudine, viſu rariſſimus, poſt longiſſima temporis intervalla conſpicitur: ita

Latinæ linguæ nitor, & eloquentiæ cultus, ornatuſque per tria ferme *Phœnicis* ſæcula deſiderati, ætate demum noſtra, beneficio, opera, & labore plurimum tuo ſuſcitati, ſpectandos ſe ſe theatris jam omnibus exhibuere. *Pelecanum* ob eam, qua præcipue commendaris, in amicos omnes charitatem atque beneficentiam, ut nemo unus hodie magis amico amicus, quam Syncerus Actius eſſe prædicetur. *Noctuam*, quæ tuarum indicium ſit lucubrationum, quas, Minerva haud quaquam invita, elegantiſſimas elaboraſti. *Cornicem*, ob diuturnitatem, quæ ſcriptis debetur tuis, non modo uno plus ſæculo, ſed perpetuo ſumma omnium commendatione victuris. *Paſſerem* ob orationis tuæ veneres, cupidineſque, qua nihil ſuavius neque jucundius excogitari poteſt. Sed enim quæ multa atque præclara de ingenii tui ſublimitate dici poſſent, ea conſulto prætereo, quia tu longe major es quam mea te capere poſſit commendatio: quis enim Soli lumen afferre, niſi fatuus quiſpiam aggrediatur? Igitur quum tuo ipſe ſis ſplendore clarus, principatum hinc in literaturæ candore tuum, ſuo ſe præſidio tuentem miſſum faciemus, quodque noſtrum eſt inſtitutum, ad animalium quæ interpretanda ſuſcepimus, ſignificationes convertemur, quæ quidem quales & cujuſmodi ſint, quamvis

tu

tu eas tum ex Græcis Latiniſque ſcriptoribus non ignoras, tum ex admirabili illa venerabilis antiquitatis Tabula ænea, quam ſimul apud Bembum inſpeximus, potes edoceri, quæ omnem Aegyptiorum hiſtoriam antiquiorem, argento atque auro delineatam oſtentat; quid tamen & nos ſuper his compererimus, ex ipſo *Phœnice* indicare incipiemus.

ALEXANDER AB ALEXANDRO GENIALIUM DIERUM LIBRO II. CAP. I.

Locus ex Propertio, ab ACTIO SYNCERO Neapolitano in convivio familiari commode emendatus.

Saturnalibus quum ego & familiares mei compluſculi, ſub idem tempus Neapoli convenīremus: quumque a forenſibus negotiis feriarum cauſſa aliquando quies foret: ad Actium Syncerum, virum ingenii cultu & facundia ſingulari, cum quo mihi pervetus conſuetudo fuit a puero, nonnumquam ventitabamus; cum eoque vel honeſtis deambulatiunculis, vel ſermonibus lepidiſſimis, id quod erat temporis, ad multam ſæpe diem conferebamus, quotidianoque ejus congreſſu & aſſiduo comitatu perfruebamur. Accipiebatque

batque nos homo ille ſuavitate inſigni, plerumque novo Epigrammate, aut Elegia, verſibus mundis & graphice factis, multo cum nitore & cultu. nonnumquam feſtiviſſimis epulis & lætiore convictu, cœnaque non vulgari nec protrita, ſed aut veteris cucurbitæ ferculo cum lactucæ thyrſo minutim cæſo, & acino uvæ paſſæ inſperſo: aut olentibus pomis, anni frigore ſervatis, & ficu ſicca Sinueſſana cum roſaceo ex Petrino ſuo, quæ ipſe appellabat *Petrinia*. Velut fuit illa die, quum mihi & pleriſque doctis viris cæna exhibita, Sannazario ex Aethiopia bonæ frugis liberto, ſcitiſſimo adoleſcenti, quem libertate & gentili cognomento donaverat, liberalibuſque diſciplinis inſtruxerat, ita ut cuivis ingenuo non impar videretur, demandavit ut Propertii Elegias a ſe pluribus in locis caſtigatas, ſummiſſim leniterque cantaret. Quod quum ille cupide faceret, verſuſque ad tibiam modulis dulciſſimis, ſcita & canora voce canere inceptaret: noſque & proferentis verba, & concentum, numeroſque admodum ſuaves ſumma cum voluptate captaremus; & jam millibus modulatis verſibus, ventum eſſet ubi Cynthiam Bajis demorantem, diu abfuiſſe conqueritur, his verbis:

Ecquid

Ecquid te mediis ceſſantem, Cynthia, Bajis,
Qua jacet Herculeis ſemita litoribus:
Et modo Theſproti mirantem ſubdita regno
Proxima Miſenis æquora nobilibus?

Actius carminibus pauſam fieri juſſit, & ad me converſus; Quid tu, inquit, qui orbis ſitum tam diu legendo perſcrutaris, Miſenum aut Bajas cum Theſproti regno commune habere vidiſti? Numquid in memoriam venit, Theſprotium agrum in Epiro juxta Chaones & Acarnanes, aut (ſicut Herodotus ait) Ambraciis & Leucadiis proximum longe à Cumano abeſſe? Quid enim iſto in loco hic Poeta ſenſerit, qui regno Theſproti æquora Miſeno proxima ſubdita eſſe dixit, quum tanto maris terrarumque receſſu diſcreta ſint, non equidem intelligo. Neque enim Theſprotios in Cumanum veniſſe, aut in Italiam colonias deduxiſſe, vel armis novas ſedes conquiſiſſe, umquam, quod meminerim, legi: niſi tu forte, qui meliore memoria es, aliter ſentis. Quumque me id arbitrari reſpondiſſem, quod plerique ſtudioſi ſenſere, ut Poeta loci confinio & quaſi commercio ductus, quum ex Chalcide & Eubœa profecti, multum in ora maris poſſent, lateque fines propagaſſent, illoſque Cumanum tenuiſſe, & illuc colonias deduxiſſe, auctores

tradant: ſiquidem Hypocles Cumæus, & Megaſthenes Chalcidenſis, multo emenſo mari, huc colonias deduxere, moniti oraculo, quippe quum nullam coloniam ſine conſilio Deorum Græci tranſmitterent: vel ut multi ferunt, duce Parthenope Eumeli filia, quæ ſolum Neapolitanum delegit, columbæ augurium ſequuta, in cujus rei monumentum, Apollini ſtatuam Neapolitani erexere, columba humero inſidente, quam ipſa inſpicere & adorare videbatur: Theſprotiumque agrum ab Eubœa haud multum diſtare certum ſit, quaſi ad hoc alludens Poeta, ſubdita regno Theſproti æquora Miſeno proxima affirmarit: ſcilicet quia ex Chalcide Theſprotis proxima & Cumæis profecti, agrum Miſeno finitimum, hoc eſt, ipſas Cumas tenuerunt, propterea ea loca ſubdita videri: ſolereque non ignobiles poetas loca & receſſus circumſcribere, illaque non expoſite & aperte, ſed quaſi per tegmenta & figuras obliquis orationibus denotare: idque ſenſiſſe doctos viros, itaque verſus interpretatos fuiſſe dixi. Numquam, inquit Actius, quod ego ſcio, tam hiſpida & agreſti aure Propertius fuit, ut quum Chalcidem aut Cumæos dicere contenderet, Theſprotium agrum quaſi finitimum illorum loco nuncuparit, quum præſertim nulla ſocietas aut communio cum The-

Theſprotiis agro Cumano fuerit: conſtetque, ſi omnes ſinus, promontoria, litora, inſulas, & urbes maritimas, ac maria vaſta, & terræ infuſa ex omni antiquitate percenſere velis, Theſprotios magno litorum flexu & multiplici ſinu, longe a Chalcide Euboeæ & Cumæis abeſſe: nec ita finitimos, ut forſan arbitraris. Neque ego hujus Poetæ præſtantis ingenii vim, hos nitidiſſimos & mundiſſimos verſus optime editos, tam abſtruſo & recondito ſignificatu verborum conculcaſſe putarim. Etenim ſi Chalcidenſes & Heretrienſes ex Euboea, claſſe huc abvectos Cumas condidiſſe, & pulcherrimam Campaniæ oram, ac loca Miſeno proxima tenuiſſe fama fert, ſicut Japygiam, Phaliſcos, Nolam, & Abellam tenuere, cur loca Miſeno finitima potius Theſprotiis quam Chalcidenſibus, quam Heretrienſibus ſubdita dixerit, equidem ignoro: quum & hi veri incolæ ſint & longe aptius convenientiuſque fuit, iſtos, quam illos, cum quibus nullum erat commercium, nominaſſe. Verum, inquit Acrius, ſi verſus iſtos bene penſitare & verba ac ſenſus aure attenta rimari volumus, non *Theſproti*, ut communis error habet, ſed *Prochytæ* a Poeta ſcriptum fuiſſe facile contenderim. Idque ita eſſe, in quodvis pignus vocarim, non aliter ſcriptum carmen ab eo editum-

editumve fuiſſe. Sed hic error ita aliquibus inſedit penitus, ut divelli haud facile queat. Quod tamen ita eſſe, inclinat animus probabili argumento. Quum Prochytam & Pithecuſas a continente æſtu marino evulſas, quandoque circumfluum mare inſulas feciſſe, liquido conſtet, ſicut Capreas, Leucoſiam, Sirenes, & Oenotrias: ſeu quod multi tradunt, Inarimen montem fuiſſe, qui motu terræ diſcluſus a continente, Prochytam fecit inſulam, anguſto freto interfluente, quæ Græcis ab effuſione dicta eſt: ipſamque & Pithecuſas diſcluſas montis partes, proximas Cumanorum finibus tamquam moles objectas ante agrum Cumanum & Miſenum exſiſtere, antiqua monumenta annalium prodidere: quod & nunc videre licet. Subdita ergo Prochytæ regno Miſeni proxima æquora Poetam dixiſſe crediderim, quum ipſa litora facili trajectu apta & cohærentia ſint, quippe quum ante ipſam parvo freto diſtincta jaceant: propterea ſubdita videri potius, quam Theſprotios, cum quibus nullum commercium fuit, extimos & remotiſſimos intellexiſſe. Inſulas quoque regna nuncupari, Virgilii teſtimonio probatum eſt VII. Aeneidos, dum inquit: *Fertur Teleboum Capreas dum regna teneret.* Huiuſque erroris illud quoque ſpecimen eſt, quod

quod alio in loco communi opinione, pudendo errore receptum erat, navitam hunc Poetam fuiſſe: quod quidem ita fuit in confeſſo, ut in ejus vitæ commentariis plerique id pro certo poſteris tradere non dubitarint, ut altero verſiculo conſtare videbatur: *Et quamvis navita dives eram:* quo imperitius dici profecto nihil potuit, quum neque hoc uſquam gentium tradatur, ut elegantiſſimus Poeta & honeſtiſſimus, vitæ genus poetarum ſtudiis piaculare & portentoſum, nautæ munus concupiverit. Et portenti ac prodigii ſimile eſt, hæc commenta in tanti ingenii viro opinari. Sed quod a vero minime abeſt, mendum etiam in hoc verſiculo facile, inquit, oſtendimus: ſiquidem ubi legebatur perperam: *Quamvis navita dives eram: non ita dives eram*, dicendum fuit. Hujus quoque rei haud improbabile documentum videri, quod Jovianus Pontanus vir multæ eruditionis, antiquiſſimo firmabat teſtimonio, Propertii Elegias patrum noſtrorum ætate, & ſe adoleſcentulo primum in lucem prodiiſſe, quum antea inſcitia temporum incompertæ forent & incognitæ: opuſque obliteratum & longiſſimo ævo abſumtum, corroſis & labentibus literis in cella vinaria ſub doliis inventum apparuiſſe, & quum libelli vetuſtate, verbis & nominibus abſumtis longo ſitu & ſenio, quod

quod in diuturna obſcuritate latuerant, veram lectionem aſſequi nequirent, effectum ut mendoſi inde codices prodirent: paullatimque diſcuti errores, & corrigi cœpti ſunt: nec tamen effici quiſſe, ut poſteris omnino integri inoffenſique darentur. Ad hunc modum Actius Syncerus noſter, ſcite admodum apud compluſculos qui aderamus, ſermocinabatur: itaque mendaces libellos deprehendebat, erroreſque dijudicabat, ac perpenſo judicio vitia rimabatur.

D. ERASMUS ROTERODAMUS DIALOGO, QUI INSCRIBITUR CICERONIANUS.

No. Pontano ſucceſſit Actius Syncerus, qui Partum Virginis Matris mire felici carmine deſcripſit, cui ſupra modum applauſum eſt a Romano Theatro. *Bu.* Teſtantur hoc abunde LEONIS, & CLEMENTIS Brevia (ſic enim hodie vocant) tum Aegidii Cardinalis addita Præfatio, ne cæteros commemorem: nec ſine cauſſa tantopere placuit. Mihi certe magna cum animi voluptate perlectum eſt opus utrumque. Nam & Eclogas ſcripſit Piſcatorias. Quis autem talem Indolem in Juvene Patricio non exoſculetur? Hoc nomine præferendus eſt Pontano, quod rem

ſacram

Digitized by Google

ſacram tractare non piguit, quod nec dormitanter eam, nec inamœne tractavit. Sed meo quidem ſuffragio plus laudis erat laturus, ſi materiam ſacram tractaſſet aliquanto ſacratius.

L. GREGORIUS GYRALDUS DIALOGO I. DE POETIS SUORUM TEMPORUM.

A Pontano nonnulli profluxere, tum in Poetica, tum in Arte dicendi celebres. Unde & Pontani Academia nunc vulgo, ut Trojanus equus, dicitur, in qua nunc ſeneſcit, ni potius floret, ACTIUS SYNCERUS SANNAZARIUS, cujus ingenii exquiſita quædam monumenta legi, & in primis Piſcatorias Eclogas, nonnullaſque Elegias, & Epigrammata; in quibus quædam ſunt omni laude digna. alia præterea ejus, præter vernacula non vidi, & quoſdam Virginei Partus, ut ipſe appellat, Heroicos: in quibus, ut ſic dicam, *ſtatarius* Poeta videri poteſt. Non enim verborum volubilitate fertur, ſed limatius quoddam ſcribendi genus conſectatur, & lima in dies atterit, ut de illo non ineleganter dictum illud Apellis de Protogene Pontanus uſurpare ſolitus eſſet: *Eum manum de tabula tollere neſcire.* Præter diligentiam, curamque ACTII, acerrimum quoque ejus judicium, & numerorum

rorum ſcientiam in poetica facultate cognoſcimus, quare ejus reliqua, quæ condidit ſummopere deſideramus, quæ longius ille jam ætate provectus ſupprimit. Quare non ſatis mirari poſſum, virum quemdam alioqui eruditum deſiderare in Pontano, & ſi Diis placet in Sannazario .... elocutionem, hoc eſt barbaram. Sed hic cum ſua cenſura qua homines Italos perſtringit, non diutius permanebit.

LODOVICO ARIOSTO NEL CANTO XLVI. DEL SUO FURIOSO STANZA 17.

Veggio i ſublimi, e ſopr' umani ingegni
Di ſangue, e d'amor giunti, il Pico, e il Pio.
Colui che con lor viene, e da' più degni
Ha tanto onor, mai più non conobb' io.
Ma ſe me ne fur dati veri ſegni,
E' l' uom che di veder tanto deſio,
Giacobo Sannazar, ch' a le Camene
Laſciar fa i monti, & abitar l' arene.

PAULLUS JOVIUS IN ELOGIIS VIRORUM LITERIS ILLUSTRIUM.

Jacobus Sannazarius equeſtris ordinis Poeta, Neapoli natus atque educatus, quum præclarum fecundi atque felicis ingenii ſpecimen daret,

daret, repudiato avito gentilitioque nomine, Actius Syncerus appellari voluit, adhortante Pontano, qui Joviani cognomen, amicorum imitatione deſumſerat. Sed origo vetuſtæ ſtirpis e Sancto Nazario, Laumellini agri oppido, inter Padum & Ticinum non ignobili, unde majores advenerant, non obſcure petebatur. Floruit amicitia Federici Regis, ſeneſcente Pontani gratia: qui Aragonum nomen vehementer offenderat, quum veluti perſonæ oblitus, victorem Carolum invidioſa vel intempeſtiva oratione publice laudaſſet. Permanſit in ea belli procella in officio Actius, redeuntique Ferdinando Juniori armatus inter fideles cives operam præſtitit: unde ei conſpicuus in aula gratiæ locus. Sed infeſtius demum urgente Fortuna, quum Federicus regno pelleretnr, conſtanti ſtudio atque integra fide eum exſulem in ulteriorem Galliam ſecutus eſt: qua gratiſſimi animi teſtificatione ſingularem laudem promeruiſſe, vel ejus inimici judicabant. Scripſit, tamquam ambidexter, Etruſca ſimul atque Latina carmina, pari lepore ſaleque, arridentibus utrimque Muſis, quum multo felle odii ſubamarus præpilata jacula jambis intorqueret: aut amorum ſuorum dulcedine reſolutus tenerrime laſciviret. Gravi autem & ſacro Poemate De Partu Virgi-

 nis,

nis, viginti annorum lima perpolito, ſummum decus fruſtra exſpectaſſe videri potuit: quum illæ quæ juveni exciderant Piſcatoriæ Eclogæ, publico exceptæ plauſu reliquorum Operum famam oppreſſerint: ita ut eam publici tamquam iniqui judicii querelam aperto cum pudore, nec tamen ſine tacita voluptate devoraret. Vixit annos ſeptuaginta duos, peramœno, virentique ſemper ingenio, accuratoque & plane juvenili cultu inter amatorias oblectationes: numquam non feſtivus & hilaris. Ex dolore autem indignantis animi ſupremum concepit morbum, quod Philibertus Aurantius Dux Cæſaris Mergillinæ villæ ſuæ delicias, temere exciſa turre deformaſſet. ea ad Pauſilypi radices conſpicitur. Sed Aurantio demum acie interſecto, quum hora fatalis adveniret, audito ejus interitu ſe ſe in cubitum erigens: Excedam, inquit, e vita hoc meo non inani voto lætus, poſtquam babarus Muſarum hoſtis, ultore Marte, immanis injuriæ pœnas perſolvit. Sepultus eſt juxta villam Mergillinam in templo Deiparæ Virgini ab ſe dedicato. Marmoreo autem tumulo Bembus hoc carmen inſcripſit:

DA

Digitized by Google

DA. SACRO. CINERI. FLORES. HIC. ILLE. MARONI
SYNCERUS. MUSA. PROXIMUS. UT TUMULO.

ROMULUS AMASÆUS DE LATINÆ LINGUÆ USU RETINENDO SCHOLA II. pag. 139.

Quod ſi Poetarum, in hoc quaſi Latini nominis cenſu habenda ratio eſt: quis in Actii Sannazarii hominis prudentiſſimi ac doctiſſimi elimatiſſimis verſibus (nihil nunc de carminis dignitate, ac gravitate; nihil de rerum diſpenſatione, nihil de numero, & compoſitione, nihil de ornamentis loquor) ſed quis in ejus verſibus verbum unum, aut ſententiam unam offendat, quæ non e medio Latinitatis fonte hauſta videatur?

JOVITA RAPICIUS LIBRO V. DE NUMERO ORATORIO.

At enim, dicat aliquis, deſuetudinem ipſam hujus rhythmi, & diuturnam apud multos rei hujus ignorantiam, deſperationem afferre poſſe. At mehercule Pontani Urania, & Horti Heſperidum: Fracaſtorii Syphilis, & Synceri de Virginis Partu libri, & pauca

 Andreæ

Digitized by Google

Andreæ Naugerii, pauca item Cottæ poemata facile declarant, non eſſe deſperandum, quin intermiſſa, & diu deſueta in conſuetudinem revocari aliquando poſſint. quum enim poematum recte ſcribendorum ratio diu latuiſſet; & malos veſificatores Latini plurimos, Poetam nullum haberent, hi quaſi de Cælo demiſſi ſunt, qui deſitæ, & prope obſoletæ artis obſervatione, pertinaci bonorum imitandorum ſtudio, multaque, & jugi exercitatione tantum profecerunt, ut cum antiquis Poetis conferri jure poſſint. Itaque horum poemata, ut primum perſpecta *ſunt*, quaſi quædam Phidiæ ſigna, *ſtatim ab* omnibus ita ſunt probata, ut artem poeticam, quam prius quaſi ſopitam, ac jam prope exſtinſtam, lugebamus, eam nunc tantorum, & tam excellentium virorum ingenio, & arte ſuſcitatam gaudeamus. &c.

M. ANTONIUS FLAMINIUS CARMINUM LIBRO III. ELEGIA DE SE PROFICISCENTE NEAPOLIM.

Pauſilypi colles, & candida Mergillina,
Et myrteta ſacris conſita litoribus,
Si mihi poſt tantos terræque mariſque labores
Contigerit veſtræ limina adire Deæ,
Limina, quæ Vates ſpecula fundavit in alta

Acrius

Digitized by Google

Actius Eoïs clarus, & Heſperiis,
His ego pileolum figam, & calcaria, & enſem,
Et quæcumque vagus arma viator habet.

BERNARDINUS PARTHENIUS DE POETICA IMITATIONE LIBRO II. INDUCENS TRIPHONEM CABRIELLIUM CUM MANUTIO LOQUENTEM, JUDICIUMQUE DE POETIS FERENTEM.

Sed unde initium duci vis? A Sannazario, inquit Manutius. De quo quid, obſecro, ſentis? Equidem, inquit, mirificum ſemper hunc exiſtimavi, ſive gravitatem, ſive verborum ſonum, aut eorum delectum ſpectarem. Magnificentiam vero, ſpiritusque ſublimitatem numquam ſatis ab ullo ingenio extolli poſſe putavi. Numquam præterea in ejus ſcripta incidebam, quin Virgilii ipſius imaginem viderer intueri. Tunc mecum ipſe cogitabam, ſi idem argumentum ſibi Poeta ſummus propoſuiſſet, neque magnificentius, neque ſplendidius tractaturum fuiſſe. Diſpoſitione autem illa, ac decoro, ſententiarumque dignitate, tum numero nihil fingi, aut excogitari abſolutius poſſe ſtatuebam. De quo abjungere & illud liceat, inter illum, ac veteres Poetas nihil, quum a

Digitized by Google

ſæculo, atque ætate diſceſſerimus, intereſſe. Elaborati ac perpoliti verſus, præcipueque limati. Quamobrem Pontanus, ex cujus Academia una cum tot excellentiſſimis ingeniis fluxit, de eo idem dicere ſolitus erat, quod de Protogene Apelles. Nempe, quod numquam manum de tabula tolleret, quum nimiam illius artificis diligentiam accuſaret. Magno fuit judicio, ſcientiaque numerorum ita excelluit, ut exactam eorum legem ſolus tenere videretur.

IDEM IN ORATIONE PRO LINGUA LATINA.

Sed circumſtant Poetarum nobiliſſimi cœtus, quos in tanto numero ne totum diem illis recenſendis conteramus, in mentem veniat ſaltem Jacobus Sannazarius, quem divinitus in Divinis verſatum, nemo non intelligit antiquitatem vario ſcribendi genere provocaſſe.

Q. MARIUS CORRADUS URITANUS EPISTOLA AD FULVIUM CONSTANTIUM, QUÆ EXSTAT pag. 525. LIBRORUM DE LINGUA LATINA EJUSDEM CORRADI.

Paullo ſuperiore ætate duo fuerunt lumina

Digitized by Google

na hujus urbis, (*Neapolis*) Latinique ſermonis, & eloquentiæ, ACTIUS SYNCERUS, & Jovianus Pontanus. Quid hos fuiſſe putas quum viverent, in tanto hominum, & civium reliquorum ſplendore, nobilitate, potentia? Crede mihi, a bonis paucisque hominibus aliquo numero habiti, a cæteris, vel non cogniti erant omnino, vel fortaſſe etiam ridebantur. Nunc vero duos tantum hæc urbs videtur illa ætate cives habuiſſe, quos infinita etiam poſteritas hominum, externarum quoque gentium ſit admiratura. Ubi ſunt enim qui tum principes civitatis putabantur? Ubi Reges etiam illi, quorum fama, amplitudo, & gloria, duobus privatis hominibus par eſſe non potuit?

JULIUS CÆSAR SCALIGER POETICES LIB. VI. QUI ET HYPERCRITICUS, SANNAZARII SCRIPTA PERPENDENS.

Reliqui duo ſunt, ACTIUS SYNCERUS SANNAZARIUS, & Hieronymus Fracaſtorius. Quorum uterque, quum præter illa quatuor a nobis toties decantata (*nervum ſcilicet*, *numeros*, *candorem*, *venuſtatem*) etiam caſtigatiſſima fluat vena, atque moderatiſſima, non poteſt committi, quin aut alter, aut ambo,

Digitized by Google

pari æqualique gloria nomen ſuum tueantur. De Syncero igitur prius.

Qua tempeſtate melioris vitæ officia Bononiæ auſpicatus ſum, habui ſtudiorum ſocium Pacium Aquilium Civem Romanum, qui antea militiæ quoque fuerat contubernalis. E Calabria igitur commeatus gratia Neapolim quum veniſſet, decedens inde, ſecum attulit Eclogam Sannazarii, qui titulus eſt, *Lycon*, ac præter eam ex *Chriſteïde* (ſic enim appellabat) aliquot carmina ſane quam luculenta. Quorum mihi nunc quum in mentem venit, non poſſum non didiciſſe ex judicio tanti viri, qui Opus divinum illud ſuum mutato conſilio poſtea non *Chriſteïdem*, ſed de *Partu Virginis*, inſcriptum maluit. Quare vero prioris inſcriptionis titulum repudiarit, cognoſcere ſatis in promtu eſt. Etenim vitam actaque Chriſti quum in eo neutiquam narret, ſed natalia tantum canat, ſimpliciſſime profecto Latinis verbis expreſſit Operam ſuam. Inſuave fuiſſet, *Parthenotocia*, & *Theotocia........ poſt multa:* Ecloga vero Galatea longe optima eſt. Eeam ante etiam, quam ederetur, manu noſtra deſcriptam habuimus. Non igitur operam perdidi. Quod enim nunc legitur v. 5. *Æquora colluſtrant flammis*, ita ſcriptum fuit: *Æquora rimantur flammis:* ut intelligas magni Viri judicium.

cium. Item v. 33. . . . . *plures Neſis mihi ſervat echinos:* legebatur . . . . *totidem virides mihi Neſis echinos*

Servat adhuc. Quæ ſequebantur, in memoria non habeo, Reſtant veſtigia tamen judicii caſtigati, quum redegit ad pauciora &c.

IL CARDINAL SERIPANDO IN UNA SUA LETTERA SCRITTA A SCIPIONE AMMIRATO INSERITA TRA LE LETTERE MEMORABILI IMPRESSE DAL MANUZIO LIB. IV. a c. 89.

Io mi ſono doluto, e dorrò ſempre, che avendo voi un Poema tale, quale è il Parto della Vergine del voſtto Sincero, ove niente manca, che poſſa deſiderarſi da un' artificioſiſſimo Poeta, ove non v' è coſa, che poſſa contaminare i buoni e civili coſtumi, ove ſolo trà i Poeti ſi trova la verità della Religione, ove il verſo hà tutti quei numeri, che hanno avuto i più perfetti Poeti antichi, da lui prima auvertiti, e poi dal Pontano ancor voſtro ſcritti, ove le fizioni ſono dolciſſime, ove finalmente è tutto il voſtro Dedalione (1) cioè l'Officio del vero Poeta, mi ſono doluto, e dorrò ſempre,

 che

(1) Queſto è un Dialogo dell' Ammirato trattante del Poeta.

Digitized by Google

che ſi legga da' Maeſtri della Gioventù, e che ſi veda nelle mani de' voſtri giovani altro Poeta.

SIXTUS SENENSIS BIBLIOTHECÆ SANCTÆ LIB. IV.

Jacobus Sannazarius, Patricius Neapolitanus, qui & Actius Syncerus Parthenopæus, vir illuſtrandam Sacroſanctam Chriſtianorum Poeſim feliciſſimo ſidere natus, ſcripſit in ſecundum Lucæ capitulum de Partu Virginis libros heroicis carminibus, ita Virgilianum candorem, ſublimitatemque præferentibus, ut Virgilium ipſum te legere, audireque exiſtimes. Operis initium eſt: *Virginei Partus magnoque æquæva Parenti.* Claruit anno Domini 1530.

ANTONIUS POSSEVINUS MANTUANUS SOCIETATIS JESU, BIBLIOTHECÆ TOM. 2. LIB. XVII. QUI EST DE POESI, ET PICTURA, EDITIONIS VENETÆ pag. 509.

A Sannazario quidem pauciſſimis demtis (quæ voces illas Ethnicorum Poetarum ſapiunt) divinum habemus Poema, ut merito Beliſarius Aquaviva Neritinorum Dux eidem ſcribens dixerit; *cum orationis ſplendo-*

re

re contendere brevitatem: cum rotunditate ornatum: cum fluxu carminum pulchritudinem: atque ita demum omnia numeris, & ſententiarum gravitate commendata videri, ut ad cujuſvis ſcriptoris antiquiſſimi, candidiſſimique laudem accedant.

ROBERTUS CARDINALIS BELLARMINUS LIBRO DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS AD ANNUM 1500.

Jacobus Sannazarius eodem tempore ſcripſit egregium Carmen de Partu Virginis.

FRANCISCUS SCHOTTUS, ANDREÆ VIRI DOCTISSIMI FRATER, ITINERARII ITALIÆ LIB. III.

Nec procul inde a Pauſilyppo Actii Synceri Sannazarii Poetæ, Virgilii æmuli, domus viſitur, quæ ex teſtamento in Cœnobium vertit, Templumque B. Virgini dicatum. Eſt ibi marmoreum ſepulcrum, affabre ſculptum. Hinc Orpheus ſeu Apollo, illinc Sibylla ſive Muſa e marmore candenti: cum hoc Petri Bembi Cardinalis Epigrammate;

Digitized by Google

DA. SACRO. CINERI. FLORES. HIC. ILLE. MARONI
SYNCERUS. MUSA. PROXIMUS. UT. TUMULO
VIXIT. ANNIS. LXXII. OBIIT. ANNO. CIↃ IↃ. XXX.

LUDOVICUS DE LA CERDA SOC. JESU IN VII. ÆNEIDOS.

(Sannazarius) poetica laude floruit præ mortalibus ſui ævi? Quid ſi Neapoli majorem gloriam attulit Sannazarius, quam *Statius Papinius*? Non erit *iniquus cenſor* qui hoc cenſeat.

BOISSARDUS IN ICONIBUS.

(Sannazarius) Neapoli natus, Patre equeſtris ordinis viro, claro inter ſuos & luculentarum facultatum. Hic Actius, prius vocabatur Jacobus Sannazarius, quod nomen gentilitium mutavit jam adultior. Is propter doctrinam, facundiam inſignem, morumque facilitatem Ferrando Arragonum Regi factus eſt amicus, & inter cariores aulicos, & familiares receptus, cujus amicitiam ſingulari fide, & conſtantia coluit quamdiu vixit. Expulſum enim Neapoli Re-

gem

gem in Galliam uſque exſulem ſecutus eſt: unde reverſus ab eo multis honoribus & beneficiis affectus eſt. At inter aulica munia feriaſque occupationes, non deſiit bonas ſequi Muſas, & doctiſſimis lucubrationibus augere, & promovere Rempublicam literariam: potiſſimum illo inſigni Poemate de Partu Virginis; in quo de perfectione Poeſeos videtur cum antiquis decertare. Compoſuit & Lamentationem de Morte Chriſti, & Eclogas aliquot, & Epigrammatum perfectiſſimorum librum.

OLAUS BORRICHIUS DE POETIS pag. 105.

Actius Syncerus Sannazarius Neapolitanus initio ſæculi XVI. clarus, Poeſin Latinam ad illud faſtigium evexit ſplendore ingenii, imitatione optimi cujuſque Veterum, apta fictionum Poeticarum inventione, & acumine, ut paucis admodum ex eo tempore altius eniti conceſſum ſit. Clauditur tumulo ad Pauſilypum, vicinus cineri Virgiliano, ut qui arte pares & ſtudiis, etiam monumentis conjungantur. Docet vel Epos illud illuſtre, quod de Partu Virginis libris tribus complexus eſt, nihil fere illius verſibus inveniri caſtigatius .... ad ſummam digna omnia Sannazarii, quæ Poeſeos Candidatis

Digitized by Google

didatis attente legantur, ita ubique in quocumque argumento regnat: cultæ ejus Eclogæ, faciles & numeroſi Elegi, arguta pigrammata & libera.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS DE POETIS LATINIS CAPITE VII. pag. 257. EDITIONIS NOVISSIMÆ.

Nec multo poſt Pontani obitum grande merito nomen fuit ACTII SYNCERI SANNAZARII:

Inprimis vero id ſibi peperit libris tribus de Partu Virginis: ob quos luculentum LEONIS X. elogium meruit anno cIↄ Iↄ XXI. iterumque a CLEMENTE VII. an. cIↄ Iↄ XXVI. quo ipſo & Romæ in lucem prodiere cum Lamentatione de Morte Chriſti, & Piſcatoriis Eclogis.

Uti vero a Petrarca initium eſt Poeſeos renaſcentis: ita temporibus SANNAZARII eadem jam videtur perveniſſe ad vigorem. Illum conſecuti præſtantium Poetarum alii: & quidem nonnulli pares, aliqui ſuppares.

Uti Hieronymus Vida, Balthaſar Caſtilionæus, & alii multi, qui avorum, patrum, ac noſtra fuerint, vel ſint ætate &c.

SCA-

SCALIGERANA PRIMA pag. 131.

Sannazarius terſus Poeta, & optimæ inventionis, lectione digniſſimus.

GIOVAN-MARIO DE' CRESCIMBENI, CUSTODE D'ARCADIA, NEL LIB. VII. DELLA PAR. II. DEL VOL. II. DE' SUOI COMENTARJ INTORNO ALL' ISTORIA DELLA VOLGAR POESIA, A CARTE 393.

Trà gl' infiniti Scrittori, che celebrano l'Opere del Sannazaro, ci piace qui riferirne uno, che molto aggiuſtatamente dà giudizio sì delle Latine, come delle Volgari; ed è egli il P. Alberto le Roy Agoſtiniano, il quale ne' Comentari a Pietro Scolirio (1) ſcrive così: *Splendidiſſimum juxta pedem Pauſilypi exſtat ædificium, ſeu Villa ACTII SYNCERI SANNAZARII, quam Mergillinam vocant, ubi ille cum amicis doctis verſari, & ruſticarì quandoque ſolebat. Scripſit Etruſca, & Latina Carmina, pari lepore utrobique, & ſale, ſacro Poemate de Partu Virginis, & Piſcatoriis*

Eclogis

(1) Serm. famil. Lib. 3. pag. 37.

Eclogis apud poſteros immortalis. Virum natalium, animique nobilitate illuſtrem commendat Paullus Jovius, apud quem exſtat Epitaphium, quod marmoreo tumulo inſcripſit Bembus: &c.

DILE-

DILECTO FILIO, ACTIO SYNCERO SANNAZARIO LEO PAPA X.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quum forte de claris ingeniis ætatis noſtræ apud nos verba fierent, affuere qui quum te, tum Opus tuum de Partu Virginis divinis prope laudibus cum admiratione attollerent, atque prædicarent. Quæ res exſpectata quidem diu nobis (nihil enim non excultum, non elaboratum, non ſingulari tuo ingenio dignum proficiſci a te poſſe arbitramur) verum eo nunc carior & jucundior viſa eſt, tum quod quæ futura exſpectabamus, accepimus jam facta eſſe, & quæ ſuperent omnem exſpectationem, tum quod & ſi nullo non tempore fuiſſent acceptiſſima, hac præcipue tempeſtate erunt longe gratiora. qua quidem, quo doctiores videantur, Eccleſiam ſtilo iniquo petant, qui exactiſſima eruditione commen-

 dent;

dent, non deſiderentur. Dici non poteſt, quum hæc audiremus, quantum voluptatis acceperimus, & quum ipſi legemus, accepturi ſimus: quod perſuaſi ſimus, divina factum providentia, ut divina Sponſa tot impiis oppugnatoribus, laceratoribuſque laceſſita, talem, tantumque nacta ſit propugnatorem, & quum illi impia facundia abuſi frangant in rem ſacram genuinum, tu unus Opus ediderís, quo rem ſacram omnibus (ut dici ſolet) nervis attollendam, excolendamque procuraveris ſancto conſilio; eventu feliciore, quum dictitent, qui legere, ſi rem quæramus, nihil niſi CHRISTUM atque ejus Sponſam ſonare: ſi pietatem, undique religionis enitere ſtudium: ſi judicium, nihil ungue ſignandum relinquere: ſi figuras artiſque conatus, veterum vatum nulli cedere, multos anteire. gratulamur itaque tibi, quod tantum unus præſtes, quantum antea nemo: Eccleſiæ, quod quum vexetur lancineturque ab aliis, a te uno in Cælum afferatur: noſtro ſæculo, quod fiet tui carminis luce celeberrimum: nobis denique ipſis, quibus imminente hinc Goliade armato, hinc Saule a furiis agitato, affuerit pius David illum funda a temeritate, hunc lyra a furore compeſcens. Hortamur itaque te, jam Opus edas, ut qui dolent, quum illa legunt, quæ adverſus pietatem venena ficti

Chri-

Chriſtiani evomuere, ad tua conferant ſe ſe, quæ veluti præſens antidotum ſint oppoſituri. Tu ita tibi perſuadeas volumus, nos te & tua omnia perinde ac noſtra complexuros eſſe, nec nos, nec hanc Sanctam Sedem umquam tui vel affectus vel operæ immemores futuros. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris Die VI. Auguſti. M.D.XXI. Pontificatus noſtri anno nono.

BEMBUS.

Per Favonium De mandato.

Digitized by Google

DILECTO FILIO ACTIO SYNCERO SANNAZARIO CLEMENS PAPA VII.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Accepimus Librum gratiſſimo munere, quem tu ad nos de DEI, & DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI rebus ſcriptum miſiſti, cujus argumentum præclarum, atque nobile quum in te parem oſtendat animi pietatem, atque ingenii gloriam, ſitque in eo nomen quoque noſtrum ad memoriam eorum qui lecturi ſunt, qui quidem innumerabiles futuri ſunt in longa poſteritate, immortalitati quaſi commendatum, muneris tui magnitudinem hoc magis ſentimus, quod quomodo parem referamus gratiam, habere nos non arbitramur. Si enim immortalitas optata, & grata eſt omnibus, qui præſertim animo vegetiore atque erectiore ſint, permagnæ ſunt illius partes nobis a te tributæ. Quamquam enim ea eſt appetenda maxime, illi-

illique elaborandum præcipue, quæ poſt diſceſſum ex hac vita, in illa altera vita felici & ſempiterna nos cum DEO ipſo collocat, tamen ne hæc quidem non libenter adſciſcenda, quæ producit ad poſteros noſtri nominis perpetuitatem. pro qua, qui illam cæleſtem & divinam immortalitatem non plane cognoverunt, maximis ſæpe tamen contentionibus, & acerbiſſimis diſcriminibus vitam, & caput ſuum objecere quod profecto non feciſſent, niſi a natura ipſa admoniti, ſummum quoddam bonum exſiſtere conjectati fuiſſent, cujus in imagine & ſimulacro tam multas partes experirentur eſſe delectationis, & gloriæ. Eſt enim profecto hæc famæ & laudis ad commemorationem hominum celebritas, imago illius veræ immortalitatis, quæ eximio dono Omnipotentis DEI, *uni Chriſtiano generi, per* DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM *propoſita eſt, ad quam potiſſimum aſpirare debemus, hanc vero ita caram, jucund[illegible]ue ducere, ſi proborum & prudentium te[illegible]onium nobis deferatur, quod quidem in te nobis egregie contigit. Non enim ingenio ſolum tuo honorati, illuſtratique ſumus, ſed (quod nobis etiam gratius eſt) judicio comprobati, & ſi enim ingenii gloria concedis nemini, vel omnibus potius præſtas, qui in hoc ſcribendi genere cum laude verſati ſunt, tamen quum ip-*

ſo ſcriptionis argumento oſtendas, qua ſis pietate, ſapientia, religione præditus, jucundius etiam accèpimus teſtimonium optimi, & religioſiſſimi viri, quam ſtudium doctiſſimi. Quapropter macte virtute tu quidem, id enim es conſecutus, quo nullum majus homini bonum in hac vita exſiſtere poſſe videatur. maximorum enim donorum, quibus te affecerat DEUS, gratia illi (quod mortali homini licuit) relata, illud jam ſummum, & incomparabile veræ immortalitatis donum es promeritus, cui deinde jam gratia nulla eſſe par poteſt. qui talentum acceptum multiplicatis mercedibus, eidem Domino reddidiſti a quo acceperas. Ex quo quum fructum quoque non mediocrem tui Libri dicatione, ad nominis noſtri laudem, ac memoriam redundare volueris, tantam tibi habemus gratiam, quantam capere grati, & memoris Pontificis tanto devincta officio mens poteſt, ſicut & re ipſa tibi oſtendere parati ſumus, & ut experiare etiam adhortamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris Die V. Auguſti. M.D.XXV. Pontificatus noſtri anno tertio.

JAC. SADOLETUS.

ÆGI

Digitized by Google

ÆGIDIUS TIT. S. MATTHÆI S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS ACTIO SYNCERO SANNAZARIO S.

DIVINUM de Partu Virginis Poema mihi tuo nomine redditum quum legiſſem, velut attonitus ac lucis impatiens, ſtatim ad te neſcio quid, ſed quale ab iis, qui lolio (ut ajunt) victitant, proficiſci poteſt. Neque enim de eo poſſe arbitror quemquam judicare, præter eum, qui ad eruditionem tuam proxime accedat, quique (quod fieri vix poſſet) tui ſit quam maxime ſimilis. Verum quum abſurda quædam & ἄμουσα ſcripſerim, meæ tamen literæ (quæ tua eſt humanitas) undique expetitæ, lectæ, exſcriptæ iſtic a pleriſque omnibus ſunt. Quumque (ut au-

diebam) earum literarum exemplum in tuorum fere omnium civium manibus eſſet, ecce a te mihi literæ redduntur. demiſſa Cælo Ancylia mihi viſa ſunt, nullum enim ornandi me locum prætermittis. Nam, dum mea probas, Neapoli cum admiratione legor, & item Romæ: dum reſcribis, quo munere beaſti me, SYNCERE, diis hominibuſque invidentibus! Sed ut ad Poema redeam, divina quidem illa omnia, verum hactenus ita omni ornatu caruerunt, ut humanis inferiora, nunc a te ita omnium Muſarum muneribus exculta, ut divinis (ſi dicere fas ſit) vel potiora eſſe videantur. Nam quum a præſcripta linea digrederis velut liberum dicendi genus nactus, ita ingenii vires explicas, ut antiquorum nemini ſit tibi concedendum. rurſus quum ea narras, unde ne tranſverſum quidem unguem, quod ajunt, quæque majores noſtri divinarum rerum ſcriptores Latinis literis ornari haud poſſe arbitrabantur, ita oratione illuſtras, ut omnium argumenta, quum Græcorum, tum Latinorum Poetarum, longo poſt ſe intervallo relinquant. Quid enim, immortalis DEUS, (ut ordiar ab initio) invocatione elegantius? quid conceptu altius? quid Cælo, terra, inferis rei novitate obſtupeſcentibus mirabilius? quid læto Simeone jucundius? quid infantum internecione ſævius? quid DEO moriente horribilius?

ribilius? quid ab Orco redeunte gratius? quid ſpolia referente beatius? quid agente in Cælo triumphum te canente felicius? Adde alterius libri Muſas certatim divina carmina modulantes, adde pictum Orbem, adde Specum. De Partu vero quid ipſe loquar? quum ea de re deinceps vel tacendum, vel tuis dumtaxat verbis loquendum ſit. Prætereo qua oratione Heros ille tuus e ſomno excitus, divinaque adflatus aura DEUM natum adoret. Nec referam e tertio illuſtrata Puerperia, non Divorum cantus, non carmina, non paſtorum vaticinia, non felicis fluvii oracula, non urnam, non columbæ alas argenteas, non denique Protei vatis miracula recenſebo.

-- -- -- -- Non ſi mihi ferrea centum
Ora ſonent, totidemque ærato e gutture linguæ,
Carminis Actiaci laudes percurrere poſſem.

Verum quum tu ſolum pietate, non humanarum laudum cupiditate accenſus, tantum ſtudii, laboris, diligentiæ ad ſcribendum contuleris, ea tibi ſumma laus cenſeatur, quæ uno omnium ore prædicabitur, tantum eſſe laudum tuarum cumulum, ut ne ipſi quidem eloquentiæ, qua mirabiliter excellis, locus ad te laudandum relinquatur. Nam de laboris premio,

Digitized by Google

ad nos, id eſt mortales, nihil attinet cogitare. Quid enim tibi tribuere homines poſſent, & ſi omnia ſimul congeſſerint, quo tuum meritum expleretur? DEUS ille DEUS, cujus numine adflatus, tam doctum, tam ſanctum, tam pium Carmen ceciniſti, te digno munere remunerabitur. Non quidem Elyſiorum aut piorum campis, inſuliſve fortunatorum, quas Lino, Orpheo, Muſæo, ceteriſque Deorum filiis ſedes antiquitas falſo ſtatuit, ſed Cælo, digna quidem tantarum vigiliarum mercede. Reliquum eſt, ut tibi gratias agam, quod Auguſtini *perſonam inſerueris, quæ reliquis tam apte, tantaque harmonia cohæret, quanta Philoſophi ajunt in cælo ſidera. proinde recte ad te pertinet Homericum illud:*

ὁ δ᾽ ὄλβιος ὅντινα μοῦσαι φίλωνται.
γλυκερὴ οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή.

PETRUS

PETRUS GRAVINA.

NON ſine providentia deligunt ſibi Immortales quandoque ex mortalibus nonnullos, quorum opera, ad venerandam Divinam dignitatem, decentius utantur. hinc noſtra Chriſtiana Veritas, tot Sanctorum Virorum, ſanctarumque Virginum teſtimonia, ac miniſteria in ſui gloriam agnoſcit. an fortuito igitur eveniſſe exiſtimabimus, ut temporibus noſtris, naſcentis divini cæleſtiſque Operis de Partu Virginis imprimendi, ac promulgandi curam, VIRGO ipſa DEIPARA, quaſi ex deſtinatu, primariæ feminæ Caſſandræ Marcheſiæ, nobilitate, facundia, pudicitia inſigni demandaverit: qua quidem alumna tantum ſibi placet docta Neapolis, ut cum Gratiis Gratiam, cum Muſis Muſam eſſe affirmet. Hac itaque veluti quadam honeſtiſſima obſtetrice curante, divinus hic novi carminis partus veterem noſtram ſalutem, ac lucem, tamquam renaſcentem nobis exſpectantibus repræſentavit.

AD

AD ANTONIUM CARLONEM Alliſarum Principem, &c. IN SANNAZARII POEMATA

PAULI MANUTII PRÆFATIO.

UT eſt præclarum, ornatiſſime Princeps, in arte Poetica excellere: ſic ea cognoſcere, quibus ad illam laudem perveniatur, maximum quiddam, ac difficillimum eſt. Fallitur enim, ſi quis abſoluti Poetæ partes in eo poſitas arbitratur, ut, cum metiendi carminis rationem optime perceperit, cum elegantiſſimarum vocum ſupellectilem quaſi quandam ſibi compararit, addo etiam cum materiam animo comprehenſam ordine quodam atque artificio diſtinxerit, hiſce rebus tanquam egregie munitus ad ſcribendum ſe conferat. Graviora ſunt, quæ requiruntur,

&

& ex abditis plurimarum artium ac doctrinarum fontibus haurienda; nam, cum ejus conſilium, qui hoc in genere elaborat, vel in primis id ſpectare debeat, ut voluptati verſuum utilitate ſententiarum admiſcenda, nihilo minus lectorem moneat, quam oblectet, monita vero illa plerumque neceſſaria ſint, ut in vitiis ſummam turpidinem ineſſe, in virtutibus ſummam gloriam, oſtendatur: quo modo hoc ſine Philoſophiæ cognitione prudenter ac perite poterit efficere? Jam, ſi res exigat, ut aut de cœli ſtellarumque ratione, aut de regionum terreſtrium ac maritimarum ſitu dicendum ſit: certe hos locos non potuerit, niſi qui Aſtrologiam & Geographium attigerit, commode tractare. Itaque, ſi quis hujus facultatis ſtudium eo complexus animo eſt, ut aliquando, quæ literis mandare ſtuduerit, ea ſe ſperet, veluti pictorem egregium, omnibus artis coloribus illuſtraturum, is omnium fere diſciplinarum ſcientiam, quæ ad bene beateque vivendum pertinent, ne prorſus ignoret, neceſſe eſt. Quod ſi ad aſſequendum Poetæ nomen ubertatem illam ingenii à natura datam ſatis eſſe putat, atque hac una inſtructus facile audet canoros illos quidem, rerum tamen inanes verſus vel domi pangere, vel in triviis ad populi aures effundere; ſtatim ab intelligentibus explodetur,

Digitized by Google

tur, neque ſolum imprudens aut parum verecundus, ſed etiam plane ſtultus, ac temerarius habebitur. Quo minus eſt mirandum, ſi ut hac arte præſtarent, quam pauciſſimis contigit, cum in omni præterea liberalium doctrinarum genere plurimi ſemper floruerint. Sed egregiorum Poetarum multo etiam majorem hac noſtra tempeſtate, quam priſcis temporibus penuriam eſſe conſtat: ſive quod ſæculi fœlicitas illa fuit; ſive, quod equidem magis exiſtimo, quia non iiſdem quibus olim, præmiis ad virtutem nunc homines excitantur. Eorum autem, quos in hoc genere præſtantes cognovimus ſine controverſia primum locum obtinuit vir eximius & omni laude cumulatus Jacobus Sannazarius: cujus ingenii monumenta non vetuſtas, non oblivio delebit ulla: ut ex tot Regum triumphis haud paulo clarior, quam ex unius hominis doctrina, atque ingenio, Parthenope ſit futura. Hoc autem, Princeps Egregie, tui muneris fere totum eſt: qui cum ad ſummam generis nobilitatem etiam optimarum diſciplinarum ſcientiam adjunxeris; tamen hæc per ſe, niſi accederet ſtudium de poſteris bene merendi, quaſi minima judicans, quæcunque à doctis viris mandata literis, digna, quæ inter manus verſentur exiſtimas, in apertum ut referantur, maximopere contendis.

Digitized by Google

tendis. Quo nomine ipſi profecto Sannazarii manes tibi non vulgares gratias habent, cum eos libros, quos ille moriens tuæ fidei commendarat, pervulgandos diligentiſſime curas. Qui verò ingenuarum artium ſtudiis dediti ſunt, ii ſe tibi tantum debere profitentur, quantum proſolvi nullo modo poſſit. Itaque à me, qui eodem in ære ſum, petere videntur, univerſorum cauſam ut ſuſcipiam, tibique propter hoc officium, quid omnes de te & ſentiant & loquantur, aliqua ratione ſignificem. Ego, licet ipſa te recte factorum conſcientia contentum eſſe, nihil prætere requirere, exploratum habeam; tamen ut eorum honeſtiſſimo deſiderio ne deſim, de me libenter in eam partem, in quam etiam mea ſponte propendebam, & ad oſtendendum nôn eorum modo animum, ſed etiam obſervantiam & pietatem in te meam, hæc ipſa Sannazarii poemata, quæ noſtris typis edenda curaſti, nomini tuo dicata ad te mitto. Leges hic omnia, quæcunque ab eo Latine ſcripta nunc exſtant; primum autem erit divinum illud, quod ipſe de partu Virginis inſcripſit, opuſculum: deinde Chriſti lamentatio: mox Eclogæ quinque quas tamen decem ſcripſerat; ſed, è Gallia reverſus, has tantum, quas emiſimus & fragmentum illud, quod poſt Salices *collocavimus, invenit, reliquis*

liquis aut furto ſurreptis, aut per incuriam ſuorum, quibus eas diſcedens crediderat, amiſſis. Sequuntur Elegiarum libri tres, Epigrammatum totidem, quæ omnia tuo inſcripta nomini apparebunt, ut ejus benevolentiæ, quam Sannazario & vivo & mortuo præſtitiſti, hunc ſaltem fructum percipias.

Venetiis: 1535.

ERU-

Digitized by Google

ERUDITO LECTORI

S.

QUod regnorum rerumque publicarum fatum eſt, idem quoque artium ac ſcientiarum eſſe ſolere, nemo, ut opinor, ignorat. Res Græcorum cum florerent maxime, floruerunt quoque præclariſſima illa ingenia, quorum partim monumenta uberrimo cum fructu hodie quoque volvimus, partim nominis memoriam, non ſine acerbo jacturæ dolorisque ſenſu, proni veneramur. Acciſis, attritiſque Græcorum opibus, cum altius quotidie caput extolleret Romana potentia, una cum imperii viribus crevit artium ingenuarum cultus, Eloquentiæ præſertim, atque Poetices. Parique adeo paſſu cum proſpera armorum fortuna procedere viſus eſt Muſarum honor. Sub Auguſto autem Cæſare, cum ad ſummum felicitatis ſuæ faſtigium per-

Oo veniſſet

* Hæc Præfatio Broukhuſiana præfixa eſt editioni Wetſtenianæ.

Digitized by Google

veniſſet immenſa illa imperii Romani majeſtas, ad ſummum quoque gloriæ ſuæ culmen evecta eſt Romana Eloquentia. Jam etiam declinaſſe videri poteſt ætate Tiberii: ſenſim autem paulatimque prolabi cæpiſſe cum labente paulatim imperio, donec poſt Theodoſii tempora plane in ſenium vergeret. Secutis à barbaro Septentrione immanium gentium crebris irruptionibus, expirarunt tandem miſerabiles illæ Latinarum elegantiarum reliquiæ. Spiſſæ inde tenebræ fuerunt, & mera fœdaque barbaries aliquot ſæcula occupavit. neque ſpes ulla erat reſuſcitandi extinctas literas. Poeſios tamen umbra quædam tenuis ac valde debilis penes Monachos cernebatur. quorum verſus, magno molimine inſanoque artificio ad pravum ſæculi guſtum contorti, pro exquiſitiſſimis Muſarum lautitiis habebantur. primus ex denſiſſimis illis ignorantiæ atque inſcitiæ tenebris os cœlo attollere auſus eſt Franciſcus Petrarcha, vir ſine controverſia ævi ſui eruditiſſimus. Hic poſtquam iter ad antiquas elegantias aperuiſſet, ſecuti ſunt alii atque alii, quorum gnava induſtria deterſus paulatim eſt fœtor ille clauſtralis, atque immunda loquendi ſtribiligo. Capta deinde ab immaniſſimis Turcis imperii ſede Conſtantinopoli, Græci iterum artes ſuas ſcientiaſque intulerunt agreſti Latio. Nec
defuit

deſuit honeſtiſſimo conatui felix ſucceſſus, adnitentibus, præter omnes alios, Principibus Mediceis. Florebant ea tempeſtate Neapoli res Aragoniorum, & potens opulentumque regnum Muſis redeuntibus tanquam peculio ſuo cenſebatur. primus illic Antonius Panhormita, vir, ut ea ferebant tempora, eruditus ac diſerti oris, ſignum ſuſtuliſſe videri poteſt ad bene ſperandum de ſtudiis artium ingenuarum. Traditus ab eo in Regiam clientelam Joannes Jovianus Pontanus, mira feliciſſimi ingenii dexteritate, uberique profluentis facundiæ copia, haud parvum momentum adtulit ad creſcentem gloriam liberalium ſtudiorum. Etenim non contentus propriæ virtutis induſtria privata, Academiam domi ſuæ erexerat, in quam ſtatis diebus convenirent quotquot eſſent in urbe homines literati, præſertim vero Poeſios Romanæ ſtudioſi. Quæ ſi nihil habuiſſet aliud unde commendaretur, (habuit autem ingenia ejus ætatis longe nobiliſſima) æterno beneficio omnem devinxit poſteritatem, quod ex ea nobis prodierit dulciſſima illa, atque orbi erudito decantatiſſima Jacobi Sannazarii Muſa. Cujus viri limatiſſimis carminibus nihil poſt ſæculum Auguſtæum emendatius prodiiſſe ſi quis dixerit, næ ille profecto haud iniquo judicarit Apolline. Neque vero opus eſt ad ejus rei veritatem

Digitized by Google

evincendam literatorum virorum conquiſitis teſtimoniis, cum tam crebræ ac toties innovatæ laudatiſſimi libri editiones, id quod bonæ merces ſolent, nuſquam indiguerint ulla hedera. illæ autem, neſcio quo fato, aut negligentius à typographis ſunt habitæ, aut nonnulla ſui parte mutilæ prodierant. nimirum non ubique expediebat, quicquid olim Sannazarius multa cum libertate ſcripſiſſet, in publicum exponere, & erant tribuni qui intercederent. Cum vero interſit reipublicæ literariæ has Muſarum delicias, & incorruptas & irreſectas apponi, haud abs re fuit quod virorum literatorum *utili* conſilio hanc noviſſimam omnium, atque omnium puriſſimam editionem adornaverimus. Vides hic omnia Sannazarii opera Latine ſcripta, atque ea quidem illa religione qua olim prodire juſſa ſunt à duobus viris illuſtriſſimis, Antonio Garlonio, Alliſarum Principe, ac Petro Gravina, Poeta & ipſo nobiliſſimo. Sunt autem in iis non pauca, quæ, quod propius res quaſdam privatas tam virorum principum, quam aliorum tangunt, intelligi à quovis nequeant. quod in elegiis & epigrammatibus fere occurrit. His vero non ſatis perſpectis, acumen omne ipſamque adeo totius ſcriptionis venerem interire neceſſe erat. Cui rei ut occurreretur ac-

ceſſe-

Digitized by Google

ceſſerunt ab erudita manu notæ, quæ, ut confidere fas eſt, & rerum & perſonarum non inutili cognitione elegantiſſima nobiliſſimi Poetæ ſcripta ſic ſatis explicabunt. Quis ille fuerit, cui hunc laborem debeas, cum latere voluerit, meum non eſt propalare. Tu lege, qui Muſis faves, & fruere.

ELOGIUM JACOBI SANNAZARII

A Capacio ſcriptum.

VIvunt in elegantiſſimi Senis vultu Veneres,& dum colludentibus Nymphis Muſæ Lauream nectunt, Apes in oris favo mella liquant. Ambidextrum quoque Jovius diceret, Latinos, atque Italos verſus exarantem. Sed ſiniſtra in Latina oratione, dextra in Itala uſum accuſabis. Nec ſua tamen id culpa factum. Doctis viris illa placuit, hæc vulgo, qui à reconditis rebus abhorret. Opus illud præclarum, & aureum *De Partu Virginis*, quod viginti & unius annorum laboribus edidit, cujus cauſa feliciſſima genitura ad Chriſtianorum poeſim illuſtrandam natum nominat Sixtus Senenſis, & Maronem Chriſtianum alii, quod Prudentios, Sedulioſque vicerit, Leonis X. litteris expetitum, Clementis VII. laudibus ornatum, Aegidii Cardinalis epiſtola ſummo honore affectum, pie, culte luculenter ſcriptum, Divinis arcanis imbutum, contemptui habuere;

Denique non omnes eadem mirantur, amantque.

Rude ingenium, ad vilia atque inania deflectit. Placuere quæ per indoctorum manus libere pote-

poterant vagari; placuere & ingenuis viris, ſed quibus otium cordi eſt, quoſque Arcadum paſtorum luſus, umbrarumque ad fluviorum ripas, frondiumque ſuſurros tegmina oblectant,

Ut puerorum ætas improvida ludificetur.

Admirabilis in iis eſt Sannazarius, & jucundus novo carminum rithmo; eaque novitate Pontanum ſuperavit, quem ullo pacto dicendi copia, & diſciplina potuit conſequi. At quandò ſe conſequuturum Sannazarium Pontanus ſperaſſet in lectiſſimis Eclogis Piſcatoriis, quibus antiquos omnes ſtylo, atque candore antecelluit? Sed Pontani fluenta potavit. Quis neget? Sed latices uberiores reddidit. Et vitam ipſam Sannazario Pontanus acceptam referat. Summa in eo pietas, qui ſopita, ac neglecta poſt obitum ejus ſcripta Franciſci Aelii, & Petri Summontii conſilio in lucem revocavit, rem literariam omnem revocaturus, ſi inter codices variorum auctorum, quos ex Heduorum finibus, & Turonibus aduexerat, alios quos conquiſierat, adnumeraſſet. Sed Ethnicorum aliqua ſuis epigrammatibus immiſcuit. Conticeſce Grammaticule, cujus in ore Sannazarii laudes contabeſcerent. Poteratne Chriſtianus Eques, qui de Verbo, & Virgine tam pie ſcripſerat, Romano Pontifici tanta cum reverentia ſua ſcripta ſubjecerat, devotiſſimè Divinis Numi-

nibus templum conſecrarat, à Fide aberrare? Quod multa poetico more ſcripſerit, quid tum? Celebret ſuos Statios antiqua Neapolis; ſuos nunc demum laudet Sannazarios, quibus Muſarum domicilia, tumuli gloria, lauri enatæ teſtimonio; Petri Bembi floridiſſimis carminibus, maxima cum Neapolitanorum dignitate cernuntur. Ex mamore nitidiſſimo ejus ſepulcrum conſpicitur in Mergellinæ villæ templo, in quo ad vivam ejus effigiem à Joanne Monturſolo ex Servitarum familia monacho, Taddæ ſocio, in Carraræ montibus ſculptam, inter illuſtria Italiæ monumenta veneraberis. Nobilitatem, doctrinamque & virum Regibus charum in demortui Pontani locum ſubrogatum, annos natum duos & ſeptuaginta contegit, obiit anno 1533.

Pinti.

Hac pulvis Jacobe tuus claudetur in urna,
Muſcoſum hic Tethis donec olebit opus,
Huc Gallis veniet vateſque egreſſus Iberis
Tractibus, & Muſas tollet ad aſtra tuas.
Hic SANNAZARIVS manet, inquiet ille, virentis
Hic prope Pauſilypi littora culta ſinus.
Littora divinæ exultantia numine Matris,
Hic pia ab hoc tanto condita vate domus.
Nympharum huc ſoboles lætiſſima Mergellines,
Quæ tibi ſunt Publi, ſerta decora ferat.

Digitized by Google

NOTÆ
AD
SANNAZARIUM:

Oo 5

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI VLAMINGII
NOTÆ.

Ad p. 1. v. 7. PODALYRIUS] Alluſio ad gentilitium Clementis nomen, erat enim ex familia Medicea.

P. 2. v. 18. EOOS REGES] Magos intelligit qui ad Chriſtum adorandum venere. notiſſimam fabellam ſequitur, quum hos Arſacdis oræ Reges facit. Eleg. lib. 3. El. 2. v. 252. ex horum uno, cui nomen Baldaſſari, illuſtrem Balſiorum ſive Bauciorum gentem (*del Balzo*) ſuam traxiſſe originem, ipſa gens auctor eſt, in barbaro Epitaphio quod apud Campanilem exſtat *delle inſegne de' Nobili p.* 121.

Arma gerens ſtellæ, qua cum Rex Chriſtus Olympi,
Virginis in uterum late deſcenderet almæ,
Et peccata patrum redimens oriretur ab alvo,
Advenere loco ſtella præbente Ducatum,
Alta decora nimis, Regum diademata trina,
Tertius ex illis, Baldaſſar nomine dictus,
Principium generis tanti fuit, inclyta cujus
Progenies, Carolo Regno veniente ſuperbo,
Barbariem regni domuit.

P. 2. v. 27. MERGILLINE] *Eſt Mergilline prope Neapolim ad Pauſylipi radices, qua promontorium mari alluitur; nec procul a littore, & a via qua Puteolos ducit, in qua & pulcherrimam ſibi villam, & ornatiſſimam Mariæ Genetrici ædem poſuit Syncerus.* Anth. Minturnus de Poeta p. 7. hæc ædes ad hunc uſque diem vocatur *Madonna del Parto.* non libet hic congerere quæ de Villa Mergilline apud omnes ferè leguntur qui Neapolitani regni deſcriptionem moliti ſunt. Videatur Vulpius in vita Sannazarii, & quæ ipſe Actius in ipſius laudem cecinit, in primis autem Capacium in antiquitatibus Puteolanis.

P. 73. CASSANDRÆ MARCHESIÆ] Forma, eruditione, & generis vetuſta nobilitate mulier hæc præſtantiſſima, a Sannazario jam

Digitized by Google

jam ſene adamata, Parentes habuit Paulum Marcheſium, Juriſconſultum celeberrimum, Regi Ferdinando Primo a conſiliis, & Ludovicam Coſſam, eorundem proles unica. Vid. *Campanile dell' arme, overo Inſegne de' Nobili.* & Vulpium in vita Sannazariana. a Capacio hujuſmodi elogio fuit ornata.

CASSANDRA MARCHESIA.

Quæ charites cum Caſſandra luſerint, Poeticis Leporibus explicavit Jacobus Sannazarius, cujus ex ore dulciora verba cum elicerentur libabant veluti apes Cupidines, fingebantque compoſitæ Orationis favos. Melle tamen ſuavior fluebat Oratio cum Caſſandra loqueretur, quam dum ſibi decimam vates Muſam propoſuit, caſtiſſime deperiit. qua propter eo laudabilior facta eſt, quod tanti viri amore cultæ inviderent, quæ a ſummis viris cupiebant amari, eoque pulchrior, quod in ea puritatem cum dignitate nitentem, non coloris ſuavitatem, qui ad Libidinem excitaret, veræ pulcritudinis ſectator adamavit. In omnibus quidem laudanda, tunc tamen maxime, cum exiſtimationi conſulens, innuptis nuptiis, quas cum *Alphonſo* Caſtriota, Atripaldæ Marchione, Ferrandinenſium ducis *filio*, paraverat, eluſa, neque novas experiri laudabile exiſtimans, ne denuo alienæ fidei periculum faceret, ſapientiæ locum Neapoli, quem ſtudiis addixerat Oliverius Carrafa, reliquæ ſibi vitæ delegit, atque Cœnobio inſtituto, divino cultui ſe ipſam dicavit, idque Clariſſimum prudentiæ atque animi magnitudinis indicium relinquere voluit. non ſervatæ fidei pœnas luit infidus conjux a Franciſco Gallorum Rege interemptus.

P. 87. v. 2. RURA OLIM PROAVIS FACTA SUPERBA MEIS] Sannazarii nimirum avus Jacobus, Petrinum & bonam Falerni agri partem a Ladiſlao Rege dono acceperat, his omnibus poſtmodum exutus a Joanna Regina. v. F. Ælium Marcheſium in gente Sannazariana & Vulpium in vita Actii Synceri, ipſum Sannazarium in Arcadia.

P. 88. v. 9. PAGANÆ] Hæc elegia ſcripta videtur quum Nuceriæ Paganorum degeret, ubi cum matre adoleſcens vixit & Arcadiam exorſus eſt. V. Vulpium in vita. de Nuceria Paganorum L. Alberti *nella deſcrittione d'Italia.*

P. 92. v. 27. SUDIBUS CERTARE COLURNIS] *Lanciar del Palo* luſus Ruſticorum & Paſtorum in Italia; in quo Victor eſt, qui

Digitized by Google

qui ſudem columnam fortiter jaculando, alterius jactum intervallo ſuperat aliquo. Graphice hunc luſum depinxit ipſe Actius in Arcadia.

P. 90. De Joanne Pardo nulla omnino, poſt Broukhuſiana, notitia ad me pervenit, niſi quod a Criſpo in vita Sannazarii diſcam ejus carmen, quod ad hujus editionis paginam 278. reperitur

Acti, cui ſimplex peperit, &c.

Ab ipſo Criſpo ex MS. Fulvii Urſini primum publici Juris eſſe factum; nam quæ de Jo. Pardo Gallæco ap Nic. Anthonium in Bibl. Hiſpana extant, minime ad hunc credo pertinere.

P. 99. JACOBUM PICENUM] Egregie hanc elegiam illuſtrat Nicolaus Parthenius Gianettaſius Hiſtoriæ Neapolitanæ Tom. 3. p. 56.

Erat tum [1475] *Neapoli Jacobus Picenus Franciſcanus; vir ob egregias virtutes ac ſanctimoniam tota Italia Celeberrimus, ad hunc plurimi confluxerunt, ac vehementer rogarunt, ut preces ad Deum pro Regis* [*Ferdinandi I.*] *ſalute funderet. Jacobus cunctis reſpondit, bono animo eſſent, futurum ut ex eo morbo Rex convaleſceret, & quanquam indies febris ingraveſceret, ac ſe pejus ægrotus haberet ipſe. nihilominus non omittebat cunctos hortari, ne animos deſponderent; certoque crederent, eam luem lethalem non eſſe. Tandem eo febris pervenit, ut vocem decumbenti adimeret, brevique interiturum medici arbitrarentur. Tum Jacobus ad inviſendum ægrotum progreſſus, vixque decumbentis cubiculum Regis intravit, cum ſtatim ille veluti e ſomno excitatus in ſe rediit ac ſecuto mox die inſperato convaluit.*

Patre ex eo morbo divinitus liberato, ſtatim filius acri febri eſt tentatus; cumque in dies gravior lues fieret, nec quicquam medicorum arte obtineretur, Alphonſus Jacobum arceſſivit, ut divinam ſibi opem afferret. Jacobus in Capuanum caſtrum ubi Alphonſus habitabat proceſſit, ægrumque inviſit, qui ut venientem ad ſe ſanctum virum proſpexit, enixe rogavit uti ſibi ſanitatem a divis impetraret. Jacobus Ducis dextera apprehenſa: Ne timeas, dux, inquit, brevi convaleſces. Atque hac dextera, quam ego nunc teneo, Turcas ex hoc regno victrix ejiciet. Proceres, qui plurimi ad ægrum convenerant, tum Jacobum rogaverunt, num revera ipſe ſibi perſuaderet, venturos in Italiam Barbaros? quibus Jacobus: ita vero, inquit. Nec aliter quam

ſanctus

Digitized by Google

ſanctus hic vir prædixerat, evenit ut inferius narrabimus. Alphonſus non multo poſt ſalutem ex integro recepit.

P. 105. ad Elegiam IX.

Quum, quod maxime dolendum eſt, vita Jo. Joviani Pontani quam Summontius olim promiſit, aut interciderit, aut non fuerit abſoluta, nunquam ſaltem prodierit; præter illa quæ Elegantiſſimus Janus Broukhuſius de maximo viro pro more erudite congeſſit non volui non hic adjicere vitam quam ex Pontani operibus ipſiusmet fere verbis collegi. audi lector ipſum de ſe & rebus ſuis diſſerentem ut tanti hominis maſculam admireris facundiam, & morum innocentiam ſuſpicias. ſurgit ipſe & ſilentio facto, in ſacello, quod ſibi ſuiſque Neapoli ſepulturæ gratia erexit, ad amicos, more quotidiano ad eum confluentes, verba faciens, inquit.

Ego vero ingenue quo vobiſcum agam meaque pro conſuetudine, & vos ipſi vitam, mores, ſtudia, actiones jam noviſtis meas. nunc demum anteactæ vitæ capio, laborumque præteritorum, quos plurimos ac maximos inter agendum ſubii, fructum, etiam ſuaviſſimum. In tranquilliſſimo enim otio conſtitutus, Cœlitum ipſe mihi videor ſortitus vitam; nam ſeptuagenarius jam, valido corpore, bonis externis quantum ſatis eſt, modeſtiæ præſertim meæ, ſuffultus; prædiorum enim Fortunarumque avitarum, totiuſque paternæ rei uſum atque poſſeſſionem ſorori meæ olim permiſi, contentus bonis iis, quæ Neapoli atque in Campania, labore, induſtria & ex uxoria hæreditate comparavi, nunc animum quotidie exerceo, præterquam cum, nec tamen quotidie, villam Antinianam inviſo & hortos, gladioque expurgo arbuſculos. Mente autem ſic fruor ut ſolam hanc meam eſſe ducam, ſoli huic inhæream, eam unam exerceam, ac colam, quotidie aliquid ætate hac, ſtudiiſque meis dignum contemplatis. Cogitationes ipſas meas aut ſcriptis mandans, aut cum amicis eas conferens. Philoſophamur & quidem cum paucis, ac nunc domeſtica in porticu, nunc ſanulo in hoc, deambulationeque, quod ſi per Religionem liceret, libenter id quidem feciſſemus, ne Lycæum tamen appellaremus tantī viri memoria nos deterruit, quodque & ſi nequaquam in Accademia, in celeberrima tamen urbis hujus parte, noſtris eſt ſumptibus poſitum & dedicatum. Meaque hæc exercitatio, curaque quam ſuaviſſima contemplandis divinis atque humanis rebus tantum eſt intenta, ni vobis fortaſſe ſecus videatur, quod huic ſacello adornando ſum intentior. Sed concedatis hæc Adrianæ uxori, quam vivam merito amavi plurimum, & mortuam monumentis his proſequor.

Digitized by Google

proſequor. Iſque, ut dixi, fructus eſt & quidem bene ſuavis eorum omnium quæ & Juvenis olim egi, & nunc ſenex ago, ipſiuſque anteactæ vitæ recordatione magis magiſque incendor, tum ad res cognitu dignas, quæque ſapientiam conſtituunt, majori quodam ſtudio perquirendas, tum ad ſuaviſſimos illos fructus, qui inde proveniunt perfruendos. namque, ut ſcitis, adoleſcentulus patria ceſſi, imo pene puer, propter civiles diſſenſiones; magna rei domeſticæ Jactura facta, ob adverſariorum potentiam & avitas ſimultates. namque, horreſco referens, aviam meam Leonardam rariſſimi exempli matronam, non ſine multis lacrymis audiebam referentem, cum inter digladiantes familias inimicitiæ ſummis exercerentur odiis, captum quempiam factione ex altera, eumque e veſtigio conciſum in minutiſſima etiam fruſta, moxque exemptum illi jecur in prunis candentiſſimiſque carbonibus ab factionis ipſius principibus toſtum, perque bucellas minutim diſſectum inter cognatos ad id invitatos in jentaculum diſtributum. quæ aut luporum tam exanhelata rabies, aut ſævientis pro erepta prole Tigridis hanc ipſam ſuperaverit? allata etiam poſt deguſtationem tam execrabilem pocula, non ſine collecti cruoris aſpergine. Congratulationes habitæ inter ſe, riſus, joci, leporeſque cibum ipſum condientes, denique & Diis ipſis propinatum, tanta vindictæ fautoribus. quid hic exclamem nihil habeo, ni forte immaniora his, & ab natura hominis alieniora ſubjunxerim. Majores mei, pulſi patria, domeſticas ob ſeditiones munitionem ſibi conſtiuerant, in agro ac ſolo proprio, turrimque ibi ex lapide ædificaverant, qua munita, uxores, liberos, remque familiarem omnem ibidem tuebantur. Indeque adverſarios & ſuis, & clientum atque amicorum opibus infenſius laceſſebant, forte accidit, quod tunc res ſic ferebant, ut ſociis ab hoſtibus ſuis graviter oppreſſis viri ſuppetias ferrent, paucis præſidiariis cum mulieribus ac parvis liberis relictis, qui munitionibus ac turri præſidio eſſent. Hoc comperto adverſarii ſummis conatibus munitiones repente aggreſſi eas per vim capiunt, ac propugnatoribus cæſis turrim aggrediuntur. Proavia ibi mea, duobus cum parvis liberis ſe tuebatur. Accedunt Germani fratres, factionis alterius Principes, hortantur deditionem uti faciat. illa deditionem pollicetur, incolumibus tamen ac ſalvis infantulis; negatur a fratribus conditio, res a gladiis ac ſagittis ad incendium venit. ibi infelix matrona, quanquam ſupra ſexum fortiſſimo pectore, in abditiorem ſeſe locum includens, cum utroque filiolo, fumo ac flammis enecta exuritur, caruitque fraternam ob impietatem, factioniſque immanes animos, ſepulchro: quorum ego puer cineres, ſi qui reliqui eſſe poterant, collectos Chriſtiana matre (quæ annos nata quatuor & viginti virum amiſit, quem mortuum tan-

ta fide, deſiderioque proſecuta eſt, ut rariſſimum aliis præbuerit exemplum, & obedientiæ in vivos, & deſiderii in amiſſos conjuges) id procurante, per eos qui tunc aderant clientes in Sanctum ferendos ac collocandos curavi. quamvis autem domeſticum hoc factum tacendum fortaſſe ſatius fuiſſe videatur, fateri tamen liceat, ut Aurienta, proavia mea, nihil muliebri in ſexu ætas illa fortius, atque in liberos ſuos indulgentius vidit: ita nihil ejus fratribus fuiſſe execrabilius, aut humana ab natura diverſius, quin in ſanguinem ſuum ipſum nihil prorſus perniciosius, magiſque truculentum ac nefarium. hiſce ſimilibuſque exemplis territus cum Neapolim veniſſem gravi morbo correptus, ita quidem a Julio Forte Meſſanenſi, qui Alphonſi Regis cenſui rationibuſque præpoſitus erat adiutus ac ſublevatus ſum, ut quod vivimus, quod hæc dicimus, maxima ex parte ad illum referamus. Deinde ad Alphonſum me Regem in Hetruriam contuli adverſus Florentinos bellum gerentem, & cum illo haud multo poſt Neapolim in qua Literis ita dedi operam, ut annos natus vix quatuor & viginti, etiam inter ſenes, eoſque, qui in literis conſenuerant, judicarer excellere. Alphonſo inde mortuo cum a Ferdinando ejus filio arceſſerer, gravi bello implicitum eum plures annos graviſſimis cum laboribus, atque ærumnis maximis ſum ſecutus. inde Alphonſum etiam filium jubente patre, juventutis ejus inſtitutor. ſcitis omnes, quem apud Ferdinandum Regem locum tenuerim, quæque apud illum mea & auctoritas fuerit & gratia, is igitur quum gravibus quibuſdam me, quæ tunc agebantur, rebus præpoſuiſſet, idque ego ferri a filio permoleſte animadverterem, nec recuſare onus ulla id ratione valerem, dicere haud ſum veritus, onus illud mequanquam male libenter, fidenti tamen animo ſuſcepturum, nec deterriturum cogitationes meas, aut filii contumelioſum animum, aut ſuam patris ipſius in filium indulgentiam: habiturum enim me adverſus utrumque, quanquam acerrimos accuſatores, maximum tamen patronum. Quod recte dictum vehementer admiratus, ſcire e me cum pertenderet, quinam is patronus eſſet: Paupertatem, tum inquam, o Rex; ea me adverſus accuſationes & tuebitur veſtras & liberum abſolutumque in judicio ſiſtet. Cum his Regibus ita vixi ut eorum cauſa pericula etiam non mediocria adierim. inter quæ tamen diutius verſatus, non pauca etiam ſcripſi, quodque vel cum primis fuit difficile, attritis ac pene ad internecionem perductis Ferdinandi rebus, bis inter illum & Innocentium Octavum Pontificem Maximum exortum & conflatum bellum compoſui. Ferrarienſi vero in bello quod acerrime illatum a Venetis fuerat, eum me geſſi, ut mea potiſſimum opera, meiſque conſiliis in ipſo belli ardore ſecuta pax fuerit, cum Italiæ totius quiete & otio. ex eoque in rerum admi-

adminiſtrationibus & Ferdinandi & Alphonſi, ita domi militiaque me ipſum geſſi, ut primum locum in deliberandis, & conſultandis rebus, capiendiſque conſiliis complures annos tenuerim, ea cum integritate & fide, ut meis de adminiſtrationibus, neque tunc ſit queſtus neque hodie queratur ullus; quin palam multi, clam etiam omnes, & damnant tempora & fortunam accuſant, quod Caroli Octavi Gallorum Regis adventus, qui Regnum hoc Neapolitanum occupavit, quamvis annum vix illud tenuerit, ab regiis me ac regni adminiſtrandis rebus, omnino diſtraxerit, qua profecto res, quieti & otio huic meo, mentique perfruendæ cauſam attulit. Eſtque Deo optimo gratias ex hoc ut agam. Nam, quod vos ipſi ſcitis, ter ſub Ferdinando negotiis cedere cum tentaſſem, quod mihi ab illo nullo modo fuit conceſſum, hoſtilis vis, Divino quodam beneficio mihi otium peperit, publiciſque a negotiis ceſſationem, in qua, ut dixi, fruor anteacta vita, nihilo tamen adminiſtrationibus ex ipſis locupletior factus, mentem autem ipſam ſic exercens & colens, ut ex procellis illis maxime turbidis, in portum quietiſſimum pariter ac ſecuriſſimum ſim delatus, quo in otio & calitibus ipſis mihi frui videor, & in ea tranquillitate vivere, ut & nunc demum & mihi ipſi, non regibus videar omnino vivere.

Qui plura de Pontano inquirere deſiderat, adeat Toppi Bibliothecam Neapolitanam & inprimis *l'Addizione del Nicodemo.* Capacium in Elog. p. 374. quibus addi poſſunt Broukhuſianæ citationes, quibus Magyri Eponymologicum hunc in modum auxit.

Jovianus Pontanus.

Auctor gravis Camerarius Cent. 1. Med. cap. 8. atque ita ſæpiſſime. v. Jac. Pontani Bellar. Attic. p. 198. *Henry Etienne Apolog. pour Herodote* p. 82. 284. Sabellicus Lib. de L. Lat. reparatione. *Vir Clariſſimus Jovianus Pontanus, homo minime futilis, & quem fabulas pro hiſtoria, de re ſuo tempore maxime omnibus conſpicua, ſcribere puduiſſet, &c.* J. Pier. Valerianus l. 50. Hierogl. c. 10. V. Politianus Lib. 2. Ep. 8. Herm. Barbarus ib. p. 452. Eraſmus in Ciceroniano p. 271. 272. *Miſſon Voyage d'Italie* T. 1. p. 276. Barthius ad Lib. X. Theb. ſtatii. v. 487. Luculentiſſimum ei elogium facit Buchnerus T. 2. Orat. p. 358. v. Ferrarius Prolus. 8. p. 70. Fracaſtorius 11. Siphyl. 38. ſeq. Riccius Lib. 1. de Imit. p. 28. L. 2. p. 45. Pierius p. 1. Poem. p. 4. 22. 33. *della Valle* T. 2. p. 280. Gravina Opuſc. p. 153. Georg. Anſelmus VI. Epigr. 33. Marul-

Digitized by Google

lus 1. Epigr. 32. Jovius Elog. Doctor. p. 60. ſeq. Volaterranus Paralip. p. 1462. *Vigneul Merville T. 3. des Melanges p.* 184. 338. ſq. 386. 399. 431. 497. 602. 603. J. C. ſcaliger L. 1. Poet. c. 5. Mabillon. Itiner. Ital. p. 112. Voſſius de Hiſtor. Latinis L. 3. c. 8. p. 549. Reineſii Epiſt. ad Rupertum.

Obiit anno ætatis 77. anno 1501. hujuſmodi Epitaphium, quod ſibi ipſe poſuit, præter alia memoriæ uxoris & filiorum inſcripta, ad hunc uſque diem extat in ſacello quod Divo Jacobo ſacrum voluit, & ſibi ſuiſque ſepulcrum. vid. Monum. Illuſt. Virorum p. 81.

VIVUS DOMUM HANC MIHI
PARAVI, IN QUA QUIESCEREM
MORTUUS, NOLI OBSECRO IN-
JURIAM MORTUO FACERE, VI-
VENS QUAM FECERIM NEMINI
SUM ETENIM JOANNES JOVI-
ANUS PONTANUS, QUEM AMA-
VERUNT BONÆ MUSÆ, SUS-
PEXERUNT VIRI PROBI, HO-
NESTAVERUNT REGES DNI
SCIS JAM QUIS SIM
AUT QUI POTIUS FUERIM
EGO VERO TE HOSPES NOS-
CERE IN TENEBRIS
NEQUEO SED TEIP-
SUM UT NOSCAS
ROGO, VALE.

Summontius promiſit ejuſdem annotationes in Catullum ſed promiſſis non ſtetit.

P. 116. Ad. El. Lib. 1. El. 11.

Quum ex editione Sannazariana, quæ Venet. ap. Bern. Stephonium anno 1531. in 24. prodiit & quæ caſu mihi periit, Gabrielis Altilii epiſtolam nactus ſim, quæ de hac ipſa Elegia ad Chariteum ſcripta fuit, pergratum fore lectori arbitror ſi integra hic legatur.

Gabriel

Digitized by Google

Gabriel Altilius, Epiſcopus Polycaſtrenſis ac Ill. Principis Campani ab Epiſtolis Chariteo amico chariſſimo, S. D.

Legiſti ut ego arbitror Βρομουσιουδων κακογογιον, en, dum laceſſere non deſinunt, concitarunt lenitatem illam Synceri noſtri, manſuetiſſimumque animum, ſcilicet male facta ut noſcerent ſua; & ſane quis non Lampos iſtos Iſmenios, ac novos Lucilios abominetur, oderit, ſtomachetur, qui, tanquam Appuli Aranei e cavis venenatos porrigunt aculeos, ſummiſſiſque barbatulis quibuſdam, ipſi quidem latent atque diſſimulant, & tamen ita diſſimulant ut noſcitari cupiant; laudemque ex tam petulanti & inepto maledicendi genere improbius aucupentur ac mendicent. Sed ſic eſt, mi Charitee,

Naturam expellas furca tamen uſque recurrit.

peſſima ingenia ſeſe undiquaque ſuo indicio, quaſi mures (ut ille dixit) produnt, ſed captent, quam poſſunt laudem, modo ne ullam capiant, ac potius ridiculi ſint. atqui dixeris tantumne Academiæ noſtræ vacat, ut de his ſermo ſit, &, ut olim Plato ad Dionyſium, an non ſatis erat ſuo ipſos veneno confici, & alienis bonis invidentes intabeſcere Timones iſtos? Recte id quidem, ſed noſti vulgi mores, ſæpe taciturnitatem in conſcientiam vertunt. nunc ad Actium redeo, mitto ad te cum tantopere efflagites, quæ ille in hos Cyclopas (ſic enim illos appellat) videns nuper reſponderit, carmen me hercule exactum, ſimplex, candidum, quodque non minus priſcam illam venuſtatem elegantiamque, quam optimos & integerrimos auctoris mores, nitidiſſimamque animi ſinceritatem, præ ſe ferat. Dii boni quam recte Philoſophorum facile princeps Ariſtoteles, qui ſordidos Poetas ab ingenuis hoc differre putat, quod illi maledicant ſemper, hi vero & Deorum & Heroum laudes canant, atque, ut haud Actium noſtrum inter poſteriores ponas, vide obſecro dum contumelias retorquet, quam verecunde agit, jam erubeſcere ipſum carmen dixeris, & invito domino parere; at cum laudat, quam plenus, quam lætus, quam teres, atque, ut Horatii verbis utar, rotundus; nam, per Deos, quid ſimilius quid accommodatius dici potuit, quam illud de Corvino noſtro? dum novellæ arboris ſurgenti ramulo comparat, quid cum livore inſultat? nonne & illum deprimit, & a ſua

ipſe modeſtia non diſcedit? ſi quidem non hauſiſſe, ſed noviſſe tantum ſe Caſtalias undas affirmat. at vero quum perorare vult, quam novæ, quam lenes, & jucundæ acclamationes, quam etiam appoſitæ & opportunæ, modo Deos patrios appellando, modo Parthenopen ſuam contaminari querendo, quæ ſi apte & ſuo tempore fiant, ſcis quantum lucis orationi, & inprimis carmini afferre ſoleant, poſtremo cum ſe apud Muſas expurgat, veniamque ut dent ſi quid offenderit petit, quis adverſariorum improbitatem, impudentiamque non explodat? quis vero ingenuitatem verecundiamque non amet & ſummis in cælum laudibus ferat? ſed quid ego hæc? tu melius iſta deprehendes, nihil non abſolutum, & quod non ex omnibus ſuis partibus conſtet, invenies, niſi unum illud fortaſſe non probabis, in quo illum facile & jure coargui patiar, tantum enim Altilio tribuit, quantum ſibi ille nec agnoſcit, nec poſtulat. de his hactenus; tu interim lyram intende, ut cum pluſculum otii fuerit, te canente illa audiamus, nam ſi accentus tuus acceſſerit, ne Muſis quidem ipſis (pace quidem illarum dixerim) invidebimus. veniſſem, ad te, ſed ſcis in Apuliam cum Principe meo feſtinanti, mihi quam iſta, ut ita dicam, tumultuaria expeditio gravis ſit, Togato præſertim & prima Tirocinii rudimenta capeſcenti. vale & me clariſſimorum Collegarum tuorum cætui commenda. vale iterum, ac tertio. Neapoli pridie idus Quintilis.

P. 121. Corvinus] Maximus Corvinus, Neapolitanus vir eruditiſſimus, Epiſcopus Iſerniæ anno 1510. & Nuncius Apoſtolicus ad Remp. Venetam. v. *Il. Toppi Bib. Nap. p.* 212.

P. 121. Albinus.] De Albino nihil mihi compertum eſt, niſi Magnum a Toppio vocari & Duci Campano a ſecretis fuiſſe. v. ejuſdem Bibl. Neap. ubi hæc leges. *Fabio Albino della Caſtelluccia* [*Nepote del grande Albino ſecretario del duca di Calabria*] *huomo di molte Lettere & erudizione.*

P. 125. Majus] Liber Maji perperam in notis inſcribitur *de priſcorum verborum ſignificatione.* titulus eſt *de proprietate verborum.* De Majo v. *Toppi & Nicodemo nella Bib. Nap.* & in primis Bælium in Dictionario, ubi de interpretatione ſomniorum, ut ſolet, erudite & argute diſputat.

P. 124 Chariteus] Scripſit Carmina Latina & Etruſca. Etruſcorum editio prodiit ſub titulo *opere del Cariteo.* Latinorum quod

Digitized by Google

quod equidem ſciam, nihil ad nos pervenit, niſi ille ad Actium Syncerum Hendecaſyllabus, quem ſcriptum ultimis in paginis Editionis Aldinæ Juvenalis & Perſii primus edidit Criſpus in vita Sannazariana:

Hos libros Juvenalis atque Perſi, &c.

Qui extat hujus editionis. P. 275.

Verum nomen *Carideo*, levi mutatione tranſiit in Chariteum, Barcinone fuit oriundus, Regi Ferdinando primo ab Actis. Rex etiam Ferdinandus ſecundus, quum Neapolim anno 1495. 2. Julii intraret, equitabat medius inter Peſcariæ Marchionem & Chariteum. Libellum ejus Inſcriptum ***Endimione alla Luna*** innuit J. J. Pontanus Bajar. L. 1.

Felix Endymion ſuopte ſomno, &c.

v. *La Monnoye, Menag. T.* 4. 303. *Nicodemo. p.* 58. & quæ ipſe notavi infra ad Epigr. XI. Lib. I. *Camillo Tutini delli Seggi di Nap.* p. 225.

P. 124. & 125. ÆLIUS] Franciſcus Ælius Marcheſius ex antiquiſſima & Nobiliſſima Marcheſiorum familia, linea Salernitana, Franciſchellum nomen a parentibus acceptum in Franciſcum Ælium, more Academiæ Neapolitanæ, mutavit, multa ſcripſit, ex quibus nihil extat præter Librum de Neapolitanis familiis, quem Hier. Carboni inſcripſit, doctum & elegantem. ſed quibuſdam viſum nimis mordacem, editum a Carolo Borello Neap. 1653. hoc titulo,

Vindex Neapolitanæ Nobilitatis Caroli Borelli Cleric. Regul. Minor. Animadverſio in Franciſci Ælii Marcheſii Librum de Neapolitanis familiis.

Uxorem habuit genere Malateſtam, ex Ariminenſibus Regulis, quo matrimonio aliquot filiis auctus fuit, ſed patri multum diſſimilibus, & filiabus duabus, quarum una nupta fuit cum Joanne della Pagliara, Nobile Salernitano, altera monacham ſe fecit.

V. Nicodemum Bibl. Neap. p. 137. & Campanilen *Inſ. de Nobili. p.* 291.

Digitized by Google

Scala] v. Bælium. Vitam Vitaliani Borromæi, quam ſcripſit Scala, edidit Chriſtoph. Bartholinus.

P. 126. Carbo] viri præſtantiſſimi, qui peſte correptus diem obiit ſupremum, ejuſmodi extat notitia in Nicodemi Paralipomenis ad Bibliothecam Toppi Neapolitanam.

Franciſcus Ælius Marcheſius, in Libro de familiis Neapolitanis, huic Carboni dedicato, ſcribit de Carbonum familia.

Carbones tui, poſt Vitigetis, Gothorum Regis, Romanam cladem Surrentum Barbarorum ſævitiam fugientes ſe recepere: ibique per ea ſæcula, quibus Italia omnis Barbarorum inſultibus patuit, incolatum fecere. Carolo vero I. Suevorum reliquias proſternente, & eccleſiam Romanam ad priſtinam dignitatem reſtituente, pace per omnem Italiam parta, Carbones Surrentinæ Civitatis parvitatem ut viri generoſi dedignantes, Neapolim acceſſere; ubi a Carolo Rege ſatis benigne accepti, & belli & pacis muneribus clari evaſere. Succedentibus deinde temporibus & Regibus, Atripaldam, Petram Pulcinam, & Montem Calvum poſſedere, brevi tamen tempore: nam Joanna I. Regina (neſcio qua de cauſa) illos & his oppidis, & cæteris bonis ſpoliavit. Caroli III. deinde tempore Jacobus tuus Atavus Padulum, quod adhuc tenetis, obtinuit. Non parum etiam ornamento veſtræ familiæ fuit Cardinalis ille ampliſſimus, qui in gentilitio ſacello in Neapolitana Cathedrali ſepultus eſt. Audi etiam Borellum hæc eodem de Carbone diſſerentem.

At quia pulchrior, & vere etiam comptior per doctrinam Nobilitas, quæ non modo ab illa colorem ducit, ſed ſanguinem ac robur. majori familiæ decori fuiſſe exiſtimandus eſt Hieronymus: is, cui hoc opus Ælius nuncupavit; is, inquam, qui ob multiplicem eruditionem a ſui ævi ſcriptoribus nimiopere commendatur: qui Statio ac Sannazario in pangendis verſibus comparatur, nec hilum quidem a Pontani fœcunditate diſtare viſus eſt, quem a Feudis Baronem, quem a nobilitate præclariſſimum, a doctrina inſtructiſſimum, a Poeſi peritiſſimum, juriſque conſultiſſimum plerique deprædicant, delitiarum oſorem, conſilio alacrem, manu ſtrenuum, optimo cuique acceptiſſimum: ſed quoniam unuſquiſque celebritatem nominis ab ingenii monumentis potius, quam ab alienis laudibus tranſmittere cupit ad poſteros, non ab re viſum fuerit, quam ille ad Auguſtinum Niphum ſcripſit adjicere hic elegiam, ut liqueat omnibus, quantam literatorum virorum copiam, quantum Poetarum ſegetem Parthenope noſtra complecteretur & aleret.

Niphe laborantes poſtquam decurrimus annos,
 Propoſita & celeri meta ſubacta rota:

Liber

Digitized by Google

Liber ago in terris vitam, ſine turbine rerum;
Sollicitant animum vota nec ulla meum.
Res erat arcta domi, cenſu tamen auctus honeſto;
Deſpicio Attalicas imperioſus opes.
Nam, licet & toto Mars ſæviat impius orbe,
Atque hominum multa cæde cruentet humum.
Concurratque ferox Gallus, concurrat Hiberus,
Et Latium forti pectore in arma ruat.
Me tamen impavidum feriet fortuna, ſit illa
Sævior & noſtris ingenioſa malis.
Armorum auditus ſonitus, clangorque tubarum
Non mentem ſtudiis eripuere ſuis.
Nunc ego Muſarum choreis ſum proximus, & nunc
Latius Aonio labra fluore natant.
Namque videre juvat, duplici tua tempora fronde,
Et Phæbi & Martis Dux Aquavive premi.
Tuque etiam Melphi Princeps, decus addite Muſis,
Accedis gemino cinctus honore caput.
Atque una comes ipſe ſacras Geſualdus ad undas
Concinit, & poſita cuſpide, plectra movet.
Me rapis interdum recinens, Syncere, ſub umbra;
Myſtica virginei ſacra puerperii.
Et pecus & ſylvas, piſcoſi & numina ponti,
Et quæ littoribus fert Sinueſſa ſuis.
Sæpe animum flectit dulci Cabanilius ore,
Dum canit & doctas evocat amne Deas.
Ipſe forum exornans & conſultiſſimus æqui,
Poſt tot ſollicitis reddita jura reis,
Capycius mea tecta ſubit, poſitoque rigore,
Differit, & grato multa lepore refert.
Quin etiam noſtras viſit pater Ælius ædes,
Quem ſequitur ſacri candida turba chori.
Et qui Sebethum patrio modo prætulit Arno
Puccius, Etruſci fama decuſque ſoli.
Quem, culti eloqui tanta eſt facundia, credas
Poſſe movere homines, poſſe movere Deos.
Nec minus exhilarat noſtros Gravina receſſus,
Eloquio & doctis, quos movet arte, jocis.
Præcipue mihi dum Paſſæni narrat alumni
Fertile tam multis dotibus ingenium.
Ovicula aſſidue mecum eſt, cui ſacra Maronis
Muſa favens molli tempora fronde tegit.
Vopiſcus Graja inſignis Latiaque Minerva,

Aſſidet & pleno pectore fundit opes.
Quos inter noſtras demulcet Aniſius aures,
Pindaricos varia dum canit arte modos.
Inviſit cultos Siripandus ſedulus hortos,
Ingenii repetens tot monimenta ſui.
Doctaque Parrhaſii ſcripta, & memoranda per ævum,
O fidum ſanctæ pectus amicitiæ!
Quem non alterius Siripandi fulmina terrent,
Cum tonat, & cæli numina læſa dolent.
Ille tamen pietate gravis, vitaque verendus,
Excolit hos ſancta relligione lares.
Nobiſcumque una fallit Summontius horas,
Carmina dum tractat Grammaticoſque ſales.
Atque etiam paribus ſtudiis & pectore culto
Dignatur noſtras Pöus uterque domos.
Nam quis Aprani, quis te placidiſſime Sangri,
Ignorat curas demere ſæpe meas.
Quorum ego virtutis vel adhuc exoſculor alta
Semina, per numeros quanta futura ſuos.
Nec te, Philocale, excipiam, cui munere ſancto
Aonium lepido profluit ore melos.
Et ſive Avalidas celebras, ſeu ſcribis amores,
Nos facit attonitos illud & illud opus.
Hæc bona ſunt; verum ſenſus animumque fatigat,
Quod non Fernandi principis ore fruor:
Cui manibus nova ſerta ſuis pia Muſa paravit,
Et Phœbus numeros, quos canat, ipſe dedit.
Hunc ſacro Aonides enutrivere ſub antro,
Et puerum molli continuere ſinu,
Hunc Venus & Mavors concordi mente tuentur,
Hic bello, pace hæc, hic pater, illa parens.
Salve magnorum exemplum ſpecimenque virorum,
O decus & veræ nobilitatis amor.

Hanc, quam merito inſignem elegiam vocat Broukhuſius, certe debebat conferri cum Sannazariana.

P. 138. Puderice. Franciſcus Pudericus Errici F. vixit tempore Sannazarii & Pontani, & ex eo liquet virum fuiſſe doctiſſimum quod Actius Syncerus opus ſuum de Partu Virginis ejus judicio ſubjecerit. Illum adeo delicatas aures habuiſſe teſtatur Criſpus, in vita Sannazarii, ut ſæpe poſt decem recitatos verſus

Digitized by Google

verſus ejuſdem ſenſus, vix unum Actii probaret, ſanguine nobilis, ætate provectiori, caſu cæcus, haud natura.

Pontanus librum quartum de rebus Cæleſtibus huic dedicavi Lib. 1. Tumulorum eidem parentavit. Ut ingenium viri illuſtris propius noſcamus non pigebit hic exſcribere Petri Summontii epiſtolam, quæ extat ad calcem Pontani de Rebus Cæleſtibus

Petrus Summontius Franciſco Puderico, Viro Patricio Sal.

Habes Puderice tota, ut ille ait, quod mente petiſti; nec eſt cur me ad edenda Pontanica hac hortere amplius; quid hortere dixi immo vero cogas, impellas, quodque pace tua dixerim, obtundas. Jam mihi adire te poſthac liberius licebit, jucundiſſimaque conſuetudine iſta frui. Nec mihi metuenda eſt amplius ſeveritas tua, noſtrique, ut ita dixerim, Catonis increpatio, per quem mihi non licebat eſſe negligentem, quicquid me toties ignavum ac deſidem vocabas, quaſi per me ſtetiſſet, quo minus quam primum opera hac omnia in lucem prodierint. Quam quidem a rem neſciam, ut verum fatear, pluſne mea in Pontanum pietas an autoritas me impulerit tua: en ad optatam diu jam pervenimus frugem, tuaque tanndem ſatisfactum eſt voluntati? Cæterum affirmare hoc ipſe jure poſſum, egregiam te Joviano noſtro hac in re operam navaſſe, dum non modo & me & alios ad hac ipſa tam aſſidue excitas, verum etiam dum pecuniam, quæ ſolvenda librariis erat, tam diligenter hinc atque illinc perquiris ut ſi cui Pontanus poſt obitum debet, tibi omnino in primis debeat. Quoniam vero hoc onere levatus ſum, aſſiduis etiam Actii Syticeri me ſubtrahàm calcaribus, ut Pontani vitam, quam ille diu efflagitat, quam primum emittam. Habes igitur Joviani Pontani libros omnes, partim mea, partim aliorum opera, editos &c.

Idem Petrus Summontius Franciſco Puderico Actium Pontani dedicavit, ubi inter alia hæc legas

Perſuaſit mihi auctoritas tua, Franciſce Puderice, ut Pontani Actium ſecunda hac excuſſione potiſſimum ederem &c.--- nam præterquam quod Actii Synceri loquens perſona, a quo opus hoc denominatur, non parum te pro veteri amiticia delectabit, tuæ quoque hic tibi ſunt partes, nec res ipſa tota, de qua agitur non

Digitized by Google

non inprimis ad te pertinet: cum poetica concinnitatis, cujus maxime ferax eſt Pontana Academia, ſemper ipſe & ſtudioſus obſervator fueris, & cenſor acerrimus; vix quæ ſummis (ut ita dixerim) naribus, adeo omni de carmine exacte judices, ut merito te omnes emunctæ naris hominem, ut ait Horatius, appellent. Par in hiſtoriis cenſura eſt tua, quarum tenaciſſimam in te videmus memoriam, & gravitatem ſimul in te tantam, modo refellendis fabuloſis, modo veris comprobandis comparandiſque ſcriptoribus ipſis, nemo eſt noſtrum qui non admiretur.

Il. Nicodemo Addiz. al Toppi.

P. 138. v. 31 Jamque Panhormitæ &c.] Si quis ampliorem notitiam earum rerum, quæ ad Panhormitam pertinent, ſibi comparare cupit, adeat Mongitoris Bibliothecam Siculam, quæ quia non omnium manibus teritur, integrum articulum hic legi volui.

Antonius Bononia, paſſim Antonius Panormita dictus, ex nobiliſſima *Beccadelli* familia ortus, quam Panormi Bononiam dicimus, ex quo è Bononienſi urbe originem traxit: antonomaſtice Panormita vocatus à Patria Panormo, ubi natus: quod innumeri teſtantur auctores. Perperam Petrus Angelus Spera de nobil. Prof. Gramm. lib. 3. pag. 135. Pandulfus Collenutius in hiſt. Neapol. lib. 6. pag. 270. Morerius in dict. to. 1. pag. 281. & Coronelli in Biblioth. to. 3. n. 4674. Bononiæ exortum dixere: origine enim Bononienſem, ortu Panormitanum fatentur omnes: & profecto ſi ejuſdem Panormitæ Epiſtolas percurriſſent, in quibus Panormum Patriam ſuam pluries vocat, lapſum declinaſſent. Originis vero cauſa inter Bononienſes non immeritò recenſetur à Joanne Antonio Bumaldo, ſeu verius, Ovidio Montalbano in Biblioth. Bonon. pag. 21. Fuit Antonius inter ævi ſui literatos celeberrimus, immo facilè Princeps. Natus an. 1395. patre Henrico Bononio, qui pluries Panormum Prætoris munere rexit; ex Balthaſſare Bononia in deſcript. famil. Bonon. pag. 3. & Chronol. Prætorum Panorm. apud Vincentium Auriam in Chronol. Proreg. Siciliæ pag. 256. A teneris annis literis admotus Panormi Germanum quendam audivit, cujus meminit Pontanus de fortuna lib. 1. cap. 26. pag. 832. Bononiam

Digitized by Google

noniam exinde ſe contulit, ibique, ob præſtantiſſimam ingenii indolem, doctrinæ celeriter inſtructiſſimus, Juris utriuſque laurea inſignitus eſt At ingenii vaſtitatem unius facultatis limitibus continere haud paſſus, ad alias animum contulit: hinc multiplici doctrina excultus floruit; ac Theologus, Orator, Hiſtoricus, & Poeta effulſit clariſſimus. In amœnioribus literis mirabiliter profecit, ac ſtudiorum amore extimulatus præcipuas Italiæ Urbes excurrit, præſertim Papiam, Placentiam, Bononiam, Patavium, aliaſque literis inſignes luſtravit, & literatorum benevolentiam ſibi conciliavit, ut ex ejus oratione ad Alphonſum Regem in ſuarum epiſtolarum calce p. 123. patet. Celeberrimo ſibi nomine adepto, ob egregiam literarum præſtantiam, ingeniique elegantiam, omnium calculo, literati orbis ornamentum proclamatus eſt: Poeticum nactus ingenium, Muſarum venuſtates, non modo ſuo tempore defloreſcentes, verum etiam mortuas, iterum enatas ac expolitas, priſtino ſplendori reſtituit: ad cujus ſtyli æmulationem poemata ſua exornarunt Pontanus, ac Sannazarius: ideoque Pontanus de ſermone lib. 6. pag. 247. ait: *obliteratam ne dum langueſcentem in Italia Poeticam, reſtituit in antiquam pene formam.* & in lib. amorum pag. 3278. ita Antonium alloquitur: *Antoni decus elegantiarum, atque idem pater omnium leporum.* Gyraldus de Poetis noſtrorum temporum dial. 1. p. 385. ſcribit: *Quidam excellentes viri elegantiæ Parentem appellant:* ita & Barth. Fatius de reb. geſtis Alphonſi lib. 3. pag. 102. qui de eo tradit: *Hic præter eximiam doctrinam, excellenti ingenio præditus, & carmine, & in libro ſoluta oratione, quod eſt perrarum, prope æque valuit, in ſuadendo, & diſſuadendo perfacundus habitus: judicio prope acerrimus; atque in primis facetus, jacentem tempeſtate noſtra elegiam excitavit.* Philippus Maria Vicecomes, Mediolanenſium Dux, in epiſtola ad Antonium, *Poetam non minus admirandum*, quam inſignem vocat. Æneas Sylvius Senenſis Antiſtes, inde Pius II. Pontifex Summus, in proem. ad Panormitæ libros, *Oratorum, & Poetarum limatiſſimum* proclamat. A doctrinæ ſplendore veneratus ſingularem promeruit æſtimationem apud Italiæ Magnates, ac viros literis inſtructiſſimos; inter quos recenſendus Sigiſ-

mundus

mundus Imp. à quo, plaudentibus bonarum artium amatoribus, fuit poetica laurea redimitus prope annum 1433. non 1446. ut perperam Toppius in Bibliothec. Neapol. pag. 24. merito à Joanne Maria Amato in not. ad Orationem 1. pro Collegii Panor. ſtudiis n. 137. pag. 124. rejectus. Philippus Mediolani Dux paternam ſui benevolentiam Antonio promittens ad ſe attraxit, nec inanem ipſius ſpem dimiſit, ſummum etenim amorem in Antonium fovit: in ſuum diſcipulum ſe ipſi tradidit: cum eo familiariter ſemper uſus eſt. Annuum octingentorum aureorum cenſum ipſi conſtituit, ut ea in urbe publicè politioribus literis Mediolanenſes adoleſcentes informaret; quod teſtantur Paulus Jovius in elogiis, Pontanus de leberalitate, Petrus Angelus Spera de nobilit. profeſſ. Grammaticæ lib. 4. pag. 203. ipſemet Panormita in epiſt. l. 1. pag. 8. Idem, Viperam Mediolanenſium Ducum inſigne gentilitium, olim à Britannis Regibus Panormitæ majoribus conceſſum, ut gentilitiis Antonii teſſeris emineret. At Duci præclariſſimo, ob bellorum ingruentium ſævitiam, interrupto ſtudiorum curſu, Antonius noſter Alphonſo Siciliæ, Neapoliſque Regi adhæſit, qui ad ſe evocaverat. Hic literatorum amantiſſimus, Panormitæ ſtudioſus mirum in modum ſemper fuit: ne dum in ſuum præceptorem conſtituit, verum etiam, & à ſecretis, & conſiliis ſuis delegit. In itineribus ſuis terra, marique emenſis, perpetuum ſui comitem voluit. In graviſſimis rebus agendis ejus eximiæ prudentiæ, doctrinæque ſententiam explorabat; immo ab eo quotidie ſapientiæ documenta ediſcere contendebat; abſoluto etenim prandio, literariis Antonii colloquiis ſummopere animum demulcebat: teſte Pontano de Convivio p. 143. Ipſum maximo amoris æſtu complexus eſt; honoribus continuo affecit, muneribus regia liberalitate honeſtavit; quod idem Panormita fatetur in epiſt. lib. 5. p. 99. 103. & alibi. Nec prætermittendum illud amoris, honoriſque argumentum, quod cum Meſſanæ, eo præceptore, Virgilii explanationem audiret, mox, Regum Hiſpanorum more, potio afferretur, Rex ipſe Antonio manu ſua miniſtrare gaudebat ſaccari condimenta, aliaque offerebat, inſervientibus primoribus Regiæ Aulæ Equitibus: ex Petro Spera cit.
lib.

Digitized by Google

lib. 3. pag. 135. Hos inter honores reponendum in primis munus Præſidis Regiæ Cameræ Summariæ, ad quod Neapoli Antonium evexit, idque perhonorifico patet diplomate, apud Nicolaum Toppium de orig. Tribunal. Civ. Neapolis par. 1. lib. 4. cap. 10. p. 180. quo etiam in Neapolitanorum civium album Antonium cooptavit. Ab eodem Alphonſo pluries Orator miſſus eſt ad Venetam Rempublicam, ex epiſtolis ſuis lib. 5. pag. 104. 115. & 120. ejuſque oratio ad Venetos de Pace habetur apud Barth. Fatium de reb. geſtis ab Alphonſo pag, 259. In harum legationum una à Senatu petiit, & obtinuit, ut è Patavina urbe brachium ſibi concederent celeberrimi Titi Livii, ut ex inſcriptione in Patavino Palatio Rationis colligitur, quam exhibent Angelus Portinarius in felicitate Patavii lib. 3. cap. 6. pag. 68. Franciſcus Scotus Itinerar. Italiæ par. 1. pag. 41. & Joan. Bap. Pacichellus in Itiner. per Europam Chriſtian. par. 4. to. 1. pag. 63. Oratoris munere functus eſt etiam ad Rempublicam Genuenſem, ut ex Oratione ad ipſam habitam patet in calce epiſtolarum ipſius Antonii pag. 124. Miſſus etiam Orator ad Florentinos, ex epiſt. cit. lib. 4. pag. 74. Ad Caëtanos, ex Oratione, teſte Facio cit. lib. 4. pag. 120. Ad Calatiam obſeſſam ex eodem lib. 7. pag. 205. Ad Borſum Ateſtinum Ferrariæ Marchionem; ac tandem ad Fridericum III. Imp. cum ſe Neapolim tranſtulit, ut ex lib. de dictis, & [illegible]ctis Alphonſi l. 4. p. 108. & epiſt. cit lib. 5. p. 115. Tanta igitur legationum frequentia ipſius eloquentiæ vim, ſingularem prudentiam, & ſupra communem omnium ordinum merita teſtatur. Ideoque optimo jure à Rege dilectus, ac beneficiis ſæpe ornatus; inter alia annuas centum uncias auri (eo tunc tempore magni ponderis ſumma) ipſi donavit, ex proventibus Regiis ſibi Panormi ſolvendas, quas voluit omnibus præferrent: facultatem etiam fecit, ut Regia inſignia, teſſeris gentilitiis ſuis ſuperimponeret: quæ omnia diplomate regia manu exarato 5. Febr. 1450. conceſſit; idemque leges apud Balth. de Bononia in deſcript. ſuæ familiæ pag. 12. Vetuſtiſſimum palatium à Saracenis extructum juxta Panormum, cui nomen Ziſa, ipſi largitus eſt, ut etiam viridaria, fluenta, & proventus eodem annexa, ex eodem Balth. cit. pag. 14. de quo etiam habe-

habetur epiſtola ejuſdem Panormitæ ad Alphonſum Regem lib. 5. pag. 108. Nec minori claruit æſtimatione apud Ferdinandum, qui Alphonſo ſucceſſit: iiſdem etenim dignitatibus, honoribuſque cohoneſtatum apud ſe voluit. Nonnulla virtutum ornamenta Antonium veneratione dignum effecere. Pontanus de ſerm. lib. 6. p. 247. ipſius modeſtiæ meminit. Idem Pontanus in dialogo, cui titulus Antonius p. 68. Panormitæ hilaritatem, & imperturbabilem animi conſtantiam, cum adverſis urgeri videbatur, mirabiliter detexit: æquo etenim animo tolerabat fortunæ injurias, & omnia ad Deum referebat. Idem de fortitudine lib. 2. cap. 8. pag. 240. generoſum Antonii fortitudinem extollit; cum enim acerbiſſimis calculi doloribus cruciaretur, diſſimulata morbi vi, nec angoris ſignum edebat; quod & affirmat Raviſius Text. in officina tit. Conſtantes. Neapoli Academiam excitavit, ex qua literis præſtantiſſimi prodiere: & ingraveſcente ſenectute hoc literatorum Lyceum variis propoſitis quæſtionibus fovebat, ac doctiſſimis exhortationibus inflammabat, ut teſtatur *Pontanus in dial.* inſcripto Antonius pag. 68. ubi *etiam feſtivam animi indolem*, & lepidiſſima ipſius eloquia commemorat, uſque ad ſenilem ætatem ſervata: de quibus in lib. Amorum pag. 3278. & Barthol. Fatius cit. pag. 192. Panormitam etiam laudat Pontanus in dial. cui nomen, Actius, & de ſermone lib. 6. pag. 193. & 241. & lib. de laudib. divinis. Antonio nuncupavit Pontanus Carmen de Mundi creatione p. 3431. & alibi ſæpius varie extollit Panormitam: quod ut bene perpendit Leonardus Nicodemus in addit. ad Biblioth. Neapol. Nicolai Toppi pag. 22. tum Panormitæ merita, tum grati animi indoles hoc exigere videbatur; dum Pontanus Antonii noſtri diſcipulus, doctrinæ præſtantiam à Panormitæ præceptis derivatam agnoſcit: id ipſum ſcribit Jo. Matthæus Toſcanus in Peplo Italiæ pag. 32. apud Nicodemum cit. pag. 131. & Henricus Wharton in append. ad hiſt. literariam Guilelmi Cave pag. 125. qui & addit quod Panormita Pontano honores procuravit; ipſe enim ut apud Alphonſum Ferdinandi Regis Filium Magiſtrum, ac à Secretis eſſet, auctor fuit: & defuncto Rege in ejuſdem Panormitæ locum ſucceſſit, teſte etiam Toppio in Bibl. Neapol. pag. 151. Panormitæ ſpectatiſſimam fidem, pruden-

Digitized by Google

prudentiam, æquitatem, commendarunt omnes, ex Bart. Fatio cit. pag. 102. Inter alia Petrus Ranzanus lib. 41. To. 8. annal. MSS. prædicare non ceſſat ipſius pietatem, ac Chriſtianæ religionis zelum. Uxorem duxit Neapoli Lauram Arceliam, quam ipſe Panormita à nobilitate, pulchritudine, ac morum elegantia laudat in epiſt. lib. 1. pag. 1. & lib. 5. pag. 108. & 115. cujus etiam Pontanus in Tumulis p. 3417. exhibet epitaphium. Hinc Neapoli familiam propagavit, quæ adhuc inter nobiles Sedis Nidi adſcripta floret, ex Mazzella in deſcript. Neap. p. 689. Octavio Beltramo in deſcript. ejuſdem p. 26. & Blaſio Altimaro de familia Caraffa l. 3 p. 404. Aliam etiam duxit uxorem nomine Philippam Ferruſſinam, cujus etiam meminit in epiſt. l. 4. ep. 5. p. 74. Tandem meritis, honoribuſque onuſtus, à Regibus, Proceribus, ac doctiſſimis viris æquè veneratus, ætate, & urinæ morbo confectus, Neapoli maximo omnium dolore vivere deſiit 6. Januarii 1471. æt. 78. & marmoreo ſepulchro ante majorem aram in Eccleſia S. Dominici, hoc additum fuit epitaphium, quod ipſemet in ſupremo morbo ſibi ſcripſerat.

Quærite Pierides alium, qui ploret amores,
Quærite qui Regum fortia facta canat.
Me Pater ille ingens hominum ſator, atque Redemptor
Evocat, & ſedes donat adire pias.

Janus Vitalis, celeberrimus Poeta, Panormitanus, aliud edidit Epitaphium in Antonii laudem, quod habes in deliciis Poetar. Italor. a Ranutio Gherlo collectis par. 2. pag. 1437. aliud Eliſius Calentius, & aliud Pontanus ſcripſit lib. 1. Tumulorum pag. 3384. Egregiis laudibus Panormitam exornant Scriptores innumeri, ac præter autores ſupra citatos, non ultimi Bart. Fatius de dictis & factis Regis Alphonſi lib. 4. pag. 120. lib. 7. pag. 205. & alibi, & lib. de humanæ vitæ felicitate. Leander Albertus deſcr. Siciliæ pag. 46. Fazellus de reb. Siculis dec. 1. lib. 8. cap. 1. f. 190. Sannazarius Arcad. proſ. 11. Baronius de Majeſt. Panor. lib. 3. cap. 3. pag. 106. & Siculæ nobil. amphit. p. 6. Honorius Dom. Caramella in Muſeo, & Michael Foſcarenus in notis p. 20. Nicolaus

Digitized by Google

laus Antonius in Biblioth. Hiſpan. to. 2. p. 364. Nicolaus Toppius in Bibl. Neap. p. 24, Petrus Opmeerus in opere Chron. pag. 416. Maurolycus hiſt. Sicil. lib. 1. pag. 32. & lib. 5. pag. 179. Paulus Jovius in Elogiis pag. 10. Raphael Volaterranus Antrop. lib. 21. Aubertus Miræus in Bibl. Eccl. cap. 499. pag. 275. Voſſius de Hiſt. Latinis lib. 3. cap. 7. pag. 592. Jo. Mariana de reb. Hiſpaniæ lib. 22. cap. 18. P. Jo. Maria Amatus in not. ad orat. 1. n. 137. p. 122. & ſeq. & alii ſexcenti, quos lubens prætermitto.

Panormitæ extant.

De dictis & factis Alphonſi Regis Aragonum libri quatuor. Commentarium in eoſdem Æneæ Sylvii, quo capitatim cum Alphonſinis contendit. Adjecta ſunt ſingulis libris Scholia per D. Jacobum Spiegelium. *Baſileæ ex officina Hervagiana* 1538. in 4. Æneas Sylvius, exinde Pontifex Max. Pii II. nomine inſignitus, prædictum edidit Commentarium cum Eccleſiæ Senenſi præeſſet, & in epiſtola ad Panormitam, ſummis laudibus ipſum celebrat. Prodiit iterum opus Panormitæ cum eodem Commentario, & Scholiis *Vitembergæ* 1585. *in* 4. *Hannoviæ* 1611. *in* 4. *Roſtochii typis Myliandrinis ſtudio Chytræi* 1590. *in* 4. ex Biblioth. Pontificia Lud. Jacobi à S. Carolo, lib. 1. p. 188. Hiſpana etiam lingua donavit Joannes de Molina Hiſpanus, & edidit *Burgis apud Joannem Junctam* 1530. *in* 4. & *Cæſarauguſtæ apud Auguſtinum Millan* 1553. *in* 4. Pro lucubratione hac Alphonſus mille aureis muneravit Antonium, ut ait Pontanus de liberalitate cap. 29. pag. 328.

Epiſtolarum libri V. Orationes duæ, (ad Ligures unam, ad Alphonſum alteram) Carmina præterea quædam, quæ ex multis ab eo ſcriptis adhuc colligi potuere. *Venetiis apud Bartholomæum Ceſanum* 1553. *in* 4.

Ad Fredericum III. Imperatorem, Antonii Panormitæ ſub Alphonſo Aragonum Rege Legati, in coronatione illius Romæ habita Oratio extat inter Scriptores Germanicarum Rerum tom. 3. *Hannoniæ impenſis claudii Marnii*,

Digitized by Google

Marnii & Heredum Jo. Andreæ Marnii, & conſort. 1611. *in fol.*

Orationes duæ ad Caëtanos, & Venetos de Pace; apud Bartolomeum Fatium de rebus geſtis Alphonſi. *Lugduni apud Hæredes Sebaſt. Gryphii* 1560. in lib. 3. à pag. 103. & lib. 9. à pag. 259.

Epiſtolæ; in libro inſcripto: Regis Ferdinandi, & aliorum Epiſtolæ ac Orationes utriuſque militiæ. *Viciæquenſi apud Joſephum Cocchium.* 1586. *in* 8. hæc non extant in ſupra dicto epiſtolarum libro. Scripſit etiam

Hermaphroditum; liber hic graviter olet, obſcœnis enim carminibus fuit concinnatus: Coſmæ de Medicis Florentiæ Duci nuncupavit, qui ea excepit extimatione, ut nonnulla exarare exemplaria demandaverit, quorum aliqua m. ss. ſervantur Florentiæ in Bibliotheca S. Laurentii: extat & m. s. apud præclariſſimum Antonium Magliabechium literati Orbis Ornamentum. * Ipſius meminit Panormita in epiſtolis lib. 2. pag. 39. lib. 3. pag, 48. & lib. 4. pag. 75. 76. & 79. Gyraldus & Fazellus cit. A nonnullis utpote laſciviori Carmine fœdatus execratur, ab aliis ob elegantiam commendatur: conſule citatos auctores, & epiſtolas, alioſque apud Nicodemum addit. ad Biblioth. Neapol. pag. 20. Scripſit præterea Panormita

De Rebus Geſtis Ferdinandi Regis. Ex Ranzano, & Fazello cit. Teſtatur Ab. Pirrus lib. 4. Sicil. Sacræ p. 180. Ambroſium Iſfar & Cotiglies nobilem Panormitanum Abbatem S. Martini, Neapoli deceſſiſſe, ac Panormitam, Alphonſi Regis nutu, cultiſſimam orationem de ipſius laudibus habuiſſe. Addit Pirrus: Inde Panormita nobilem, & antiquam ejuſdem Ambroſii progeniem verſibus expolitis conſcripſit: ipſius præclara geſta illuſtravit. Opus hoc in Cœnobio S. Martini de Scalis juxta Panormum aſſervari innuit. Scripſit & alia, quæ ad noſtram ætatem non pervenere; nempe

Qq Com-

* Etiam apud Ampliſſimum Virum Joannem de Witt Judicem & Senatorem Reip. Amſtelædamenſis.

Digitized by Google

Commentaria ad Plautum. ex epiſt. Panormitæ lib. 1. pag. 19. 22. lib. 2. pag. 54. & lib. 5. pag. 99.

In Rhodum, Poema Carmine Elegiaco, ex epiſt. lib. 2. pag. 40. opus contra Antonium Raudenſem ſcriptum, qui teſte Ranzano, & Fazello, Panormitam maledictis provocaverat

Tragœdias ex epiſt. lib. 3. p. 55.

Memorat & lib. 8. pag. 53. opuſculum quoddam jam inceptum, nondum vero abſolutum: & lib. p. 62. ait, quod edere cogitabat lucubrationem de dolore. In epiſtolis citatis, epigrammata quædam exaraſſe ait, quæ periere, ut lib. 1. pag. 22. in laudem Ambroſiæ lib. 3. pag. 50. Epitaphium Leonardi. lib. 3. pag. 53. & 54. Epigramma ad Catellam Antonii Abbatis, & lib. 3. pag. 53. Epigramma ad ſepulcrum genitoris Cambii Zambiccarii. Cum Laurentio Valla ſimultates habuit graves, ex virulentiſſima ipſius Vallæ dicacitate, qua literatorum omnium odium ſibi conciliavit, teſte Paulo Jovio in elogiis: qui ait, aculeatis ſcriptiunculis ſeſe mutuo confixiſſe: ſed utriuſque monumenta periere. Perperam Coronellus in Biblioth. tom. 3. 1318. Antonii amicum enunciavit Vallam: inimicum potius ſcribere oportebat: typographo forſan error adſcribendus; addit enim ſatyras ad invicem utrumque ſcripſiſſe injuriis refertiſſimas.

Hiſce adde Bælium in Dictionario. Toppium & Nicodemum in Bibliotheca Neapolitana. ejus ſtatua eſt in porticu Monaſterii S. Proculi Benedictinorum Bononiæ. V. Montfalcon. Diar Ital. T. I. p. 398.

Ad p. 147. Ad lib. 2. El. 6. AD LUDOVICUM MONTALTUM.

Perperam in omnibus, præter Broukhuſianam, editionibus Montalius nominatur qui vero nomine Montaltus, cujus hæc apud Mongitorem Bibl. Sic. p. 2. p. 22. notitia extat, qua commode Sannazarii Elegia explicatur.

Ludovicus Montaltus, Nobilis Syracuſanus D. Antonii Prati

Prati & Molaccæ Baronis filius: fuit & ipſe Ludovicus Baro etiam ut dicunt *delle Sciare & Collibaſſi*. Doctrina excultiſſimus & utriuſque Juris Laurea inſignitus, cauſarum patronum maxima cum laude egit: hinc ob egregiam doctrinam ad primarias juriſprudentiæ dignitates fuit merito evectus. In Sicilia fuit Magnæ Regiæ Curæ Fiſci patronus, anno 1507. Regiuſque Conſiliarius. Ad Hiſpaniam accerſitus in ſupremo Aragoniæ, & Siciliæ conſilio præfuit Regens. Neapoli Tribunalis Regiæ Vicariæ primum Regens & Decanus. Eo in munere ſedens Regnum Neapolitanum rexit, tum diſcedente Carolo de Lanoy Prorege, anno 1523. tum etiam eo decedente anno 1527. Anno 1533. Neapoli obiiſſe puto, nam uſque ad hunc annum Regentis muneri præfuit, ex Nicolao Toppio de origine Tribunalium urbis Neapolis part. 3. a p. 145. ad 149. ubi de noſtri Ludovici muneribus. ſepultus eſt in Eccleſia S. Mariæ de Populo, ubi in ſacello ipſius familiæ hoc legitur Epitaphium, quod in Neapoli ſacra Cæſar Eugenius exhibet pag. 189.

D. O. M.
Ludovicus Montaltus, genere Siculus
Eques Neapolitanus,
Ac Magni Fori Præfectus
Et Vincentia Montalta Conjuges
Hoc loci ſepulturæ ſibi,
Familiæque ſuæ P.

Ejuſdem meminit Antonius Galateus de ſitu Japygiæ his verbis

Ludovicus de Monte alto, Syracuſanus, vir acutiſſimi ingenii non ſolum legum, ſed multarum quoque rerum peritiſſimus, narravit mihi rem prodigioſam, nec dandam oblivioni: Arethuſam anno Chriſti MDV. ſexto die Decembris, penitus defeciſſe, ita ut alveus exaruerit; inde XXV. Januarii emittere cœpiſſe turbidas & turbulentas aquas, poſt aliquot dies claras, ut ſolebat & limpidas.

P. 165. in notis Col. 6. Et tamen Calaber iſte &c.

Hæc pertinent ad Nicolaum Andegavenſem, Calabriæ Ducem, cui Filia Lud. XI. natu major erat deſponſata, quam ſpe nuptiarum cum Maria Burgunda a Carolo deceptus neglexit *v. la Cronique ſcandaleuſe.* Sed & ipſum Federicum eadem ſpe a verſipelli Principe lactatum fuiſſe præterquam quod ſatis ex hac pateat elegia, hiſtoria iſtius temporis abunde teſtatur. Campanile etiam diſertis verbis *dell' Inſegne de Nobili.* p. 27. *nell' anno* 1374. *Sperando il Rè Ferdinando ottener per moglie di D. Federico ſuo ſecondo genito, la Figliuola di Carlo di Borgogna, deliberò di mandare il figliuolo in Borgogna, e per Aio e governatore gli diede Giulio Antonio Acquaviva.*

171. v. 51. Arsacis ora] Fruſtra fuit Broukhuſius, qui aliud Synceri opus inveſtigavit, continuatio eſt etenim argumenti librorum de Partu Virginis; luſus & cantus eorum ſunt paſtorum qui primi ad Chriſtum adorandum venerunt: Arſacidis oræ Reges, Magi, vulgari ex fabula Reges crediti. vid. ſupra in his Notis p. 587.

P. 175. Ac primum triplici ſeſe defendat ab hoſte

Fernandus rapido jam metuendus equo.

Ad hujus diſtichi intellectum unice facit inſignis locus J. J. Pontani lib. 1. de bello Neap.

At Marinus, * qui non juvenili levitate magis quàm execrabili in Ferdinandum odio deſciviſſet, hoſtemque ab Liguria accitum, claſſeque profectum finibus, ac tectis accepiſſet ſuis, quo pacto regem e medio tolleret, animo æſtuanter agitabat, hominum ac deorum immemor. Hoc dies noctesque verſanti ſecum, tandem per ſpeciem colloquii adoriri illum placuit. Quocirca Gregorium Coreliam multos ſibi ante annos cognitum, intimumque regis familiarem à ſe arceſſitum mitti clam ab rege poſtulat, acturus cum illo de reconciliatione, rebuſque communibus. Quem ad ſe profectum blande appellans, ac

* Marzanus Sueſſæ dux, Regi cognatione junctus, cujus nempe ſororem Eleonoram duxerat.

Digitized by Google

ac facti pœnitentiam ſimulans rogat, uti compoſitis opera ejus ſimultatibus, in Regis gratiam, priſtinumque benevolentiæ locum reſtituatur. Vetera in ſe Alphonſi beneficia commemorat, pueritiam cum Ferdinando actam, tot liberos è ſorore ſuſceptos, jura divina & humana refert, Gallorum inſolentiam deteſtatur, Joannem incuſat, nec ſe paſſurum affirmat liberos ſuos, duorum regum ſanguinem, homini barbaro, Gallicamque inſolentiam in tenui etiam re præ ſe ferenti ſerrituros. Cum his mandatis plenus ſpei, Gregorius ad Ferdinandum revertitur. Re in ſenatu agitata, exquiſitiſque ſententiis, cum Regis reſponſo ad Marinum Gregorius redit. Quo ſæpius ultro citroque miſſo, dies tandem colloquio dictus eſt, quo dirimi omnem poſſe controverſiam, ſatis magna ſpes offerebatur. Abeſt Theano circiter mille ac ſexcentos paſſus, ſecundum viam militarem, vetus ſacellum, à cujus fronte, qua meridiem ſpectat, campus patet pene nudus arboribus. Hic ad colloquium delectus eſt locus. Ferdinandus explorato itinere, ac præſidiis diſpoſitis, prior ad Turricellam (id loco nomen eſt) venit, ac partitus copias, peditatuque viarum anguſtias, & loca ſuperiora occupans, ne quid à tergo parum tutum relinqueret, equites in plano pluribus locis diſtribuit, ac præſidiis firmat; hinc ad locum pedetentim progreditur, Gregorium ac Joannem Vigintimillium comites ſecum ducens, non tam conſilio, quam neceſſitate adductus. Nam cum Gregorium Marinus dirimendæ controverſiæ medium adeſſe vellet, Rex Joannem propter rerum geſtarum famam, prudentiæque opinionem, alterum deligere coactus eſt, quando duobus cum non amplius comitibus in colloquium utrinque veniendum convenerat. Et Joannes quidem propter ætatem pugnæ parum idoneus, Gregorius vero imbecillo corpore, ac dextro brachio pene inutilis erat: quod Marinus futurum proſpexerat. Poſtquam igitur ventum ad locum eſt, Joannes ac Gregorius una cum Deiphobo Anguillaria, & Jacobutio Montagano delectis à Marino comitibus, quibus cum conſilia communicaſſet, quique facinoris eſſent conſcii, ad viam haud procul à ſacello remanſere. Illi in campum uterque armatus, uterque equo inſidens, circiter nonaginta paſſus ab via ſo-

li, communibus de rebus diſceptaturi proceſſerant. Rex aliquanto editiorem in campo locum cum cepiſſet, unde circum omnia luſtrare oculis late poterat, à Marino eſt monitus humiliorem in locum equum ut demitteret, ne à Gallis, qui Theani arcem tenebant, deſpectari poſſent. Quod dictum regis animum vehementer pupugit, ſuſpicati inſidias paratas, ſeque fraude peti. Quam ſuſpitionem Marini oratio mirum in modum confirmabat, cum ita eſſet exorſus, uti omnem ſemper in regem ab ſe culpam rejiceret, nullam vero ipſe regis excuſationem, aut cauſam acciperet. His altercantibus, cum aliquantum temporis extractum eſſet, Deiphobus (ſic enim convenerat) ad Joannem, Gregoriumque converſus, vultu quammaxime compoſito, quando, inquit, Marinus, quod felix ac fauſtum ſit, res ex animi ſententia cum rege ſuas compoſuit, an ipſe quoque meas compoſiturus, regem ſupplex adire ultra morabor? adactoque ſtatim equo, ſolus in regem ferebatur. Venientem conſpicatus Rex animadvertit quo propior fiebat magiſque magiſque ſe verſus a dextera declinare, apparebatque hoſtili eum ingreſſu ferri. Et jam eo progreſſus erat, ut Rex quem ſtrictum ille, quoad poterat, pugionem occultabat, conſpiceret: quo conſpecto cum Deiphobus tantum non in regis equi habenas illatus eſſet, Ferdinandus confeſtim ſtricto enſe, atque animo quam confirmatiſſimo in illum primum, mox in Marinum equum concitat, ac nunc hunc, nunc illum, nunc utrumque ſimul comminus petens, ambos in fugam vertit. Cum interim Jacobutius Joannem, Gregoriumque armatus ipſe pugnæ inutileis facile continet. Quod equites conſpicati, qui in ſpeculis diſpoſiti erant, ſublatis clamoribus præſto fuere. Illi ad ſuos quammaxime citatis equis delati, re infecta non tam triſtes abeunt, quam Regis fortitudinem admirati ſuſpiciunt. Ferdinandus incolumis à ſuis exceptus, ingentis animi plenus in caſtra revertitur. Illud deorum potius, quàm hominum conſilio factum videtur, ne rogantis Regis, cum primum in via obviam facti ſunt, uti galeæ fibulam Deiphobus ei ſubſtringeret, gladio jugulum aperuerit. Poſtero die Rex, aliquotque inſequentibus diebus, productis copiis, populabundus in agrum Sicidinum proficiſcitur,
coacta-

Digitized by Google

coactaque e propinquis oppidis ſatis magna agreſtium manu, quacunque it ferro cuncta vaſtat. Inde in Stellatem progreſſus, ad balneas uſque Sinueſſanas, quæcunque in agris erant corrumpit: parcitur tamen ædificiis, ignique temperatum eſt: eripi enim hoſti victum, non exuri ædificia, quæ longa paraviſſet pax, volebat. Forte accidit, ut cum prætervectus equo locum Rex eſſet, ubi cum Marino congreſſus fuerat, pugionem humi repertum eques ad eum ferret, qui Deiphobo inter congrediendum exciderat: erat autem veneno intinctus, tabidiſque medicamentis delibutus: quo quamvis leviter ictus cum eſſet catulus, ſtatim veneno exedente concidit. Hæc res magnam in primis Marino invidiam conflavit. Videri enim ſupra hominum improbitatem facinus indignum & atrox, Regem, cujus nomen apud mortales ſanctum eſſet, fraude ac veneno ab illo circumventum. Non fidem apud eum, non neceſſitudinem, non quod in regis nomen volens, libenſque juraſſet, non Deum metum locum habuiſſe ullum, ſpretam, contemptam, peſſum eodem facto datam famam, pietatem, gratitudinem, religionem, nihil illum in Deo, nihil in hominibus credere adverſum ſcelera eſſe repoſitum. Hæc gravioraque adverſus Marinum ab amicis, inimiciſque æque jactabantur.

Hanc Hiſtoriam Fredericus Ferdinandi F. in Palatio Hortenſi (*Poggio Reale*) pingi fecit, Italo Sannazarii carmine, Regis juſſu, tabulam illuſtrante. *Il. Campanile. Inſ. de' Nobili p.* 266. *tutto queſto fatto fu poſcia dipinto nelle camere del Giardino, chiamato Poggio Reale, per ordine di Federigo d'Aragona, figliuolo del medeſimo Ferdinando: eſſendo finalmente andato un giorno a diporto il Rè col Sannazzaro, fu richieſto il Poëta dal Rè, che doveſſe honorare quella pittura con qualche ſua compoſitione, & egli vi formò ſonetto di tenore che ſiegue.*

Vedi, invitto ſignor, come riſplende
In cor Real virtù con ſaper miſta:
Vedi colui, che ſol ſi fiero in viſta
Da tre nemici armati hor ſi defende.
Sotto brieve pittura qui s'intende,
Com' offeſa ragion più forza acquiſta;

E come l'empia frode irata, e triſta,
Con vergogna ſe ſteſſa al fin riprende.
O quanta invidia, e meraviglia havranno
Al ſecol noſtro di ſi rara gloria
Glialtri, che dopo noi qui naſceranno.
E forſe alcun ſarà, che per memoria
Di ſi bel fatto, e di ſi crudo inganno,
Al mondo il farà noto in chiara Hiſtoria.

P. 186. ad Epig. XI. De partu Niſææ Charitei Conjugis.

Hæc Niſæa vero nomine fuit Petronylla, conjux Charitei, de quo elegantiſſimo viro ſupra quædam p. 597. Aeg. Menagii error, quo Principem hanc fecerat, jam ante me detexit eruditiſſimus B. *de la Monnoye* in Menagianis ab illo auctis. audi ipſum Chariteum apud Pontanum in Aegidio. *an fortaſſe arbitraris Petronyllæ uxori inditum nomen a Petrone, ac verveca ſectario? (ſic enim quidam e priſcis illis eum vocavere) quod videlicet gregem mihi filiarum uxor comparaverit, quæ illam ſequantur, & ad rem divinam, atque in templa, & ad inviſendas per urbem puerperas, ad celebrandas item nuptias, ac feſtos dies.*

Idem Pontanus florenti carmine virum & uxorem celebravit, Eridan. p. 119.

de Niſæa & Chariteo

Ora Terentiolæ myrram flant, pectora Nardum
Dulcidiæ, flacten labra Licori tua.
Colligit hæc Niſæa ſimul, conſpergit & aura
Ambroſiæ, quam flat crinibus ipſa ſuis.
Pyxide mox parva viridi circumdata myrrho
Dedicat, & ponit, Cypria diva, tibi;
Optat & ut pariter cum coniuge tranſigat annos,
Quod Niſæa cupit, quod Chariteus avet.

P. 188. ad Epigr. XIV. De Alexandro & Cæſare Borgiis videndus omnino A. M. Gratianus de Caſibus Illuſtrium Virorum,

rum, ubi multa Sannazarium illuſtrantia occurrunt.

P. 195. Platina] Secundum quæ in Menagianis a B. de la Monnoye emendatis & auctis proferuntur, libri de Honeſta voluptate ſcripti fuerunt, antequam juſſu Sixti Quarti Pontificum Hiſtoriam inchoaverat Platina. Baptiſtæ prænomen Platinæ fuiſſe, nomen *Saccho* vel de *Sacchis* gentilitium. Platinam ita dictum a Platina, vulgo *Piadena* vico agri Cremonenſis, ubi natus eſt, certiſſimis argumentis evicit Petrus Lambecius in notis ad ejuſdem Platinæ Hiſtoriam urbis Mantuæ Theſ. Ant. Ital. T. 8. quem vide.

P. 207. In notis. talem fucum col. b.] neque mirum id ægre tuliſſe Joſ. Scaligerum quum ſe videret a Mureto riſui publico expoſitum. obſecro quid aliud voluere illa Mureti verba, quæ in editione Orationum Romana anni 1575. extant p. 56. poſt Poëmatia?

Cum veteris Comici Græci Philemonis nobilem ſententiam a Plutarcho & a Stobæo acceptam animi cauſa exprimere tentaſſem, & dicendi genere & numero veterum Tragicorum ſimillimo; placuit etiam experiri numquid eandem comice explicare poſſem. viſum eſt utrumque non infeliciter ſucceſſiſſe. per jocum igitur prioribus verſibus Actii, poſterioribus Trabeæ nomen adſcripſi, ut experirer aliorum judicia, & viderem numquis in eis ineſſet vetuſtatis ſapor. Nemo repertus eſt qui non ea pro veteribus acceperit. Unus etiam & eruditione minime vulgari, & judicio acerrimo præditus, repertus eſt, qui ea a me accepta pro veteribus publicaret. Ne quis igitur amplius fallatur, & rem totam detegendam & carmina ipſa hic ſubjicienda duxi.

Afflicta Actio.

Nam ſi lamentis allevaretur dolor,
Longoque fletu minueretur miſeria,
Tum turpe lacrymis indulgere non foret,
Fractaque voce Divum obteſtari fidem,
Tabifica donec pectore exceſſet lues,
Nunc hæc neque hilum de dolore detrahunt,

Digitized by Google

Potiuſque cumulum miſeris adjiciunt mali,
Et indecoram mentis mollitiam arguunt.

Afficta Trabea.

Here, ſi querellis, ejulatu, fletibus,
Medicina fieret miſeriis mortalium,
Auro parandæ lacrumæ contra forent;
Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,
Quam nænia præficæ ad excitandos mortuos.
Res turbidæ conſilium, non fletum, expetunt.
Ut imbre tellus, ſic riganda mens mero:
Ut illa fruges, hæc bona conſilia efferat.

Titulus Scaligeriani diſtichi ex editione Scriveriana p. 24.

In Rumetum qui ſuos verſus pro antiquis ſuppoſuerat

In ipſo diſticho Rumetus alludit ad *nomen Mureti* & grave illud delictum, propter quod Toloſæ in diſcrimen vitæ adductum fama ferebat v. *Menag. antibaillet & Menagiana B. de la Monnoye* T. 4. p. 60.

208. HARMOSYNE.

Per Harmoſynen potuit intellexiſſe Carmoſinam Bonifaciam a Sincero pene puero adamatam. Hermoſynes puellæ Neapolitanæ Epitaphium extat apud Pontanum lib. 2. Tumulorum.

210. DE JUCUNDO ARCHITECTO] Veronenſis hic fuit ordinis Prædicatorum de quo videndus Onuf. Panvinius. Ant. Veron. L. 6. p. 167. *omnium bonarum artium veterem novamque bibliothecam* vocat Scaliger Exerc. 104. Lect. 3. — *Jucundus Architectus, vir religioni initiatus, omnis antiquitatis peritiſſimus.* Budæus de Aſſe. L. 3. p. 401. *Jucundus Veronenſis, profeſſione Architectus, ſed antiquariorum diligentiſſimus, nuper Catonem, in quo cum multa verba emendavit, tum &c.* Idem ibid. L. 5. p. 603. etiam in Vitruvio non inutiliter deſudavit. *v. il Tolomei L.* 3. *Lett.* 28. p. 206. b. ſeq. Collegit & inſcriptionum veterum farraginem. v. Petrum Sabinum apud Sabel-

licum

Digitized by Google

licum Epiſt. I. hæc ex Magyro Broukhuſiano deſcripſi. quibus adde quæ Vaſarius parte tertia vitarum Pictorum, Sculptorum & Architectorum multa cum eruditione, ut ſolet omnia, de Jucundo Literis mandavit, neque credo cum B. de la Monnoye, qui Menagiana auxit, Jucundum unquam fuiſſe Franciſcanum, ſed & iſti nequaquam poſſim adſtipulari, qui ſummopere Scaligeris injurius omnibus modis eorundem fidem ſubleſtam facere geſtit, & Jucundum nequaquam ſtudiis J. C. Scaligeri præfuiſſe, argumentis nullius momenti contendit.

P. 227. De Andrea Matthæo Aquivivo. Magnus ille vir fuit Dux Adriæ, Princeps Terami & Marchio Bituntinus, uxorem duxit Sabellam Piccolomineam Arragoniam, filiam Ducis Amalphitani, Ferdinandi primi neptem. ex hac natos ſuſcepit Joannem Franciſcum Marchionem Bituntinum, Joannem Anthonium Comitem di *Gioia*: Joannem Vincentium Cardinalem Titulo Sancti Silveſtri & Martini in montibus. Secundis nuptiis ſibi junxit Catharinam *della Ratta* Comitem Caſertæ & ſanctæ Agathæ, Viduam Cæſaris Arragonii Ferdinandi I. filii. Magnus Seneſcalcus a Rege Ferdinando fuit creatus, & equitibus Sancti Michaelis a Lud. XII. adſcriptus. V. *Campanile Inſ. de' Nobili.* p. 30. qui breviter ejus vitam enarrat. adde Toppi Bibl. Neap. & Nicodemi paralipomena.

P. 229. In Tumulum Amaranthæ. Carmoſinæ Bonifaciæ, quam ſub Amaranthæ nomine in Arcadia celebrat.

P. 230. Ad Ferrandum Regem] hujus Monumento ſepulcrali hoc diſtichon inſcriptum Neapoli legitur

Ferrandus ſenior, qui condidit aurea ſæcla,
Mortuus Auſoniæ ſemper in ore manet.

v. Les delices d'Italie T. 2.

P. 230. De Summontii Pietate.

Petrus Summontius, Neapolitanus, homo eruditiſſimus, Eloquentia, & ingenii amænitate inſignis, Virgilium & Ciceronem publice interpretatus eſt: inter ejus auditores erat etiam Fredericus Rex. v. Bibl. Neap. Toppi & paralipomena Nicodemi.

P. 233.

Digitized by Google

P. 232. De Peto Compatre.

Pontanus in Aegidio p. 156. Nec vero hilaritatem in Sene tam fortaſſe mirabimini (quamquam & ſenectus ipſa per ſe triſtior eſt, & ego meopte ingenio minus ſum jocis deditus ac feſtivitati) quam ut arbitror commendabitis, quod mortuo nuper Petro Compatre, qui cum annos circiter ſexaginta amiciſſime vixi, conjunctiſſimis vitæ ſtudiis ac laboribus, & læter illum humanis his miſeriis potius, quam moleſtiis liberatum jam eſſe, & me, propediem iter idem ingreſſurum fruiturumque eadem libertate & otio cæleſti illo quidem & ſempiterno.

Neque hæc amicitia cum morte Compatris exſtincta eſt, Pontanus etenim hujus amiciſſimi viri æternam memoriam extare voluit, qui corpus defuncti in ſacellum Neapoli ſibi ſuiſque ſepulturæ gratia erectum inferri juſſit, & hac inſcriptione cohoneſtavit, quæ præſertim quod depravata a Broukhuſio p. 119. adducitur, eodem quo hoc ipſo die ibi legitur ordine hic exhibere haud pigebit.

QVID AGAM REQVIRIS? TABESCO. SCIRE QVIS SIM CVPIS? FVI. VITÆ QVÆ FVERINT CONDIMENTA ROGAS? LABOR. DOLOR. AEGRITVDO. LVCTVS. SERVIRE SVPERBIS. DOMINIS. IVGVM FERRE SVPERSTITIONIS. QVOS CAROS HABEAS SEPELIRE. PATRIÆ VIDERE EXCIDIVM. NAM VXORIAS MOLESTIAS NVNQVAM SENSI.

PETRO COMPATRI VIRO OFFICIOCISSIMO PONTANUS POSVIT CONSTANTEM OB AMICITIAM. ANN. LIII.

MCCCCCI. XV. KAL. DEC.

Hoc monumentum & reliqua Sacelli Pontanorum videri poſſunt

ſunt in Monumentis Illuſtrium Virorum non ſemel editis. Huc optime quadrant illa hujus Hendecaſyllibi

Mox quamvis cineri tuo decentem
Pontanus tumulum pararit, ac te
Cognatas veneretur inter umbras, &c.

P. 237. In Riccium] Broukhuſianis adde alia Broukhuſiana ex ejus Magyro. Seb. Corradus Quæſtura p. 448. de ſuo apparatu ipſe loquitur L. 2. de Imit. p. 32. 6. de aliis ſcriptis L. 2. p. 47. ſq. v. Flaminius L. V. Carm. 23. p. 312. Gravina Opuſc. p. 140. 152.

P. 238. De Lucio Grammatista] Minime dubitabis hic agi de Lucio Joanne Scoppa Neapolitano, ſi modo contuleris Toppi Bibliothecam & Paralipomena Nicodemi, ubi literas invenies Actii Sinceri plenas indignationis in Scoppam.

P. 242. Ad Epigr. XXXVIII. Adde notis: Bituntinus erat Marchio Andreas Matthæus Aquivivus v. ſupra ad hujus libri epig. 2.

P. 246. Ad Epigr. XLIII. Divo Nazario] dedicatio ſacelli, quod Actius Syncerus D. Nazario prope Mergellinem erexit.

Ib. Neritinorum ducem] de Duce Neritinorum Beliſario Aquivivo hæc habe, quæ apud Campanilen Italice leguntur, poſt enumerata quæ militiæ fortiter geſſerat

Neque minor fratre fuit in literarum ſtudiis, ſcripſit enim de Principum liberis educandis, de Venatione, de aucupio, de re Militari, de ſingulari certamine, de præſtantia Chriſtianæ Religionis, in Pſalmos, & alia opera. Leoni X. Adriano VI. & Clementi VII. Maximis Pontiff. Chariſſimus, ab omnibus viris literarum gloria inclytis, amatus & honoratus. Galateus in Argonauticis ſub Jaſonis perſona Beliſarium Aquivivam depingit, a Gravina his verſibus laudatum

Qui populis dare jura ſuis non deſtitit unquam,
Qui patriæ toties præfuit ore potens.
Nec minus æratas ductando in prælia turmas,
Fortiter auſterum Martis obivit opus.
Palladis amplexus numen veniente ſenecta,
Ipſe docet quales convenit eſſe duces.

Neapoli

Neapoli ab obſidione Lutreci liberata, peſteabſumptus eſt, in Neritinorum oppidi templo, Sancto Antonio dedicato, cum hoc Epitaphio ſepultus.

Belliſario Aquivivo, Neritinorum Duci, Domi foriſque præſtantiſſimo, & Suevæ Sanſeverinæ conjugi perpetuum monumentum P.

J. M. Toſcanus in Peplo Italiæ

ANDREAS MATTHÆUS & BELLISARIUS
AQUIVIVII FRATRES

Quam non Marte minus Muſæ ſint principe dignæ
  Gentis Aquivivæ gloria bina docet.
Frater uterque ſuis cumularunt ſceptra tropæis,
  Ornavit Libris frater uterque ſuis.
Nunc calamo eſt gravis, enſe manus nunc, rite colore
  Tingitur hic rubro, tingitur ille nigro.
Claſſica nunc animos ſtimulant, nunc barbita mulcent:
  Quodque caput caſſis, mox ſua ſerta tegunt.
Duplex ergo tuum gemini decus Adria fratres
  Nobilitantque ſago, nobilitantque toga.

Andreas Matthæus, Dux Adrianenſium, & Belliſarius Neritinorum, ex nobiliſſima Aquivivia familia orti, literis non minus, quam armis claruere. Primus de equeſtri opere librum compoſuit, alter de Venatione, de Aucupio per Accipitres: item de re militari & de ſingulari certamine, de principum educatione, & demum de gubernanda re familiari, luculenter ſcripſit: quæ omnia opera Neapoli typis publicata ſunt.

Anthonius Galateus de ſitu Japygiæ

Has thermas [vici D. Mariæ ad Balneum] Belliſarius Aquævivus, vir magni animi inſtaurare cogitat. & alibi

Hic [Neriti] Aquævivus tuus imo & meus Belliſarius, magni Aquævivi frater, dominatur.

P. 247. IN TUMULUM COTTÆ] De Cotta, J. M. Toſcanus in peplo Italiæ.

Cottam ad ſidera dum meis vocare
Pararem numeris nec invenuſtis,

Quidam

Digitized by Google

Quidam de trivio ſcholæ magiſter,
Conſuetus miſeras juuenculorum
Nates ſcindere ſſibilante flagro,
Me ſupercilio truci notavit.
Ecquid Cotta tuus leporis (inquit)
Quod non ſurpuerit prius Catullo
Præfert? furta putas honore digna?
Illi contra ego pauca: ſic habeto,
Hircoſiſſime carnifex juventæ,
Primum in non modica Catullianos
Poni laude, dein ſuum Catullum
Cottam ſic imitariter, Catulli
Proclive ut minus æmulum æmulari
Sit ipſum quam imitariter Catullum.

Cotta ad Alieniacum pontem in agro Veronenſi natus eſt. qui concivis ſui Catuli ſtylum ita expreſſit amatoriis verſiculis, ut, Scaligeri ac Flaminii judicio, quem imitabatur ſuperaſſe judicetur: obiit plane juvenis. ejus poematia ſæpius ſunt typis excuſa.

Nuper etiam Patavii 1718. in 8. cum Fracaſtorio, curante Jo. Ant. Vulpio. de Cotta videndus *Il Guazzo nelle Croniche.* & B. de la Monnoye dans ſes Notes ſur Baillet. T. 4. p. 22. Il étoit de Legnago ſur l'Adige.

P. 248. Ad Epigr. XLVIII. de hoc Pontifice v. Bælius in lexico.

P. 252. In Leonem X. Pont. Max.

Cauſa iræ, quam in Leonem X. concepit Syncerus, fuit ſolutio matrimonii quod Alphonſus Caſtriota cum Caſſandra Marcheſia contraxerat. Videantur Vulpius & Criſpus in vita Sannazariana.

P. 268. —— —— hunc tamen alto
Chriſte vides cælo (pro dolor) & pateris.

Confer acerbiſſimum in Adrianum Fr. Berniæ carmen titulum gerens

CAPI-

CAPITOLO CONTRA PAPA ADRIANO.

Ubi inter cætera amariſſimi fellis plena, hæc leges, quibus Sannazarium imitatus videtur

O Chriſto, o Santi, ſi che voi vedete,
Dove ſi han meſſo quaranta poltroni,
E ſtate in cielo e ſi ve ne ridete?

Nella editione di 1545. *p.* 23. *& nella editione Fiorentina del Laſca, parte prima* p. 46.

P. 270. v. 4. Scotius] quis hic ſit Scotius profecto ignoro. forte innuit Gaſparem Scotium qui anno 1503. 23. Maji Electus nomine populi una cum quinque Electis e nobilitate jusjurandum fidelitatis præſtitit Ferdinando Catholico *v. Camillo Tutini delli Seggi di Nap. p.* 219. Acumini epigrammatis illud Broukhuſianum non abſimile eſt, quod in Poematum Editione reperitur ad p. 334.

AD GULIELMUM III. MAGNÆ *BRITANNIÆ* REGEM.

Major Alexandro princeps, & Cæſare major,
  Ara parum fauſtis unica temporibus;
Quum tua tot Clarii celebrent miracula Cygni,
  Laſſet & ingenuas Fama benigna manus;
Quid gemini faciunt ad Martia ſacra latrones?
  Quid pro te Cacus alter & alter agent?
Debueras certe, Rex invictiſſime, poni
  Non niſi Lyſippo, non niſi Praxiteli.
Debueras ſacri clareſcere voce Maronis:
  Te ſibi materiam vellet & ipſe Maro.
Nunc tua deteritur operoſis gloria nugis,
  Et premit infelix nomina tanta labor.
Sordet in inſcriptis majeſtas Regia tignis,
  Inſulſoque tumet barbara Muſa ſono.
Cur non, quum monſtris conſtet tibi fama ſubactis,
  Proſcribis terris * hæc duo monſtra tuis?

* Romanum de Hooge & Godefridum Bidloo, nebulones notiſſimos.

P. 271.

P. 271. Ep. VII. Ad Porciam Branciam, et Isabellam Sororem.

Bernardinus, ex Illuſtri Branciorum gente, Miles ſtrenuus, uxorem duxit Eleonoram del Tufo, ex qua Porciam & Iſabellam filias ſuſcepit, duobus nobiliſſimis viris, ex familia Brancaccia, poſtmodum nuptas: matris & natarum pulcritudinem hoc Epigrammate celebravit Sannazarius, teſte Campanili p. 84.

P. 272. ad Ep. IX. Ad Patriam, antequam iret in exilium.

Hoc carmen, quod in quibuſdam editionibus deſideratur, editum fuit in Pontani Aegidio p. 165. ubi poſtquam de Synceri voluntario exilio nec ſine merita laude locutus eſt, Pontanus inquit: *tu quid ad hæc Petre Summonti?* Pe. *Me vero ſollicitat ejus imbecillitas, cum ſæpicule quidem laboret de ſtomacho; Sed ipſa forte peregrinatio, cælique varietas at terrarum robur illi adjunget, quod fore nondum deſpero. Quod vero ad animum ejus, ac conſilium ſpectare poteſt, vehementer me hortantur verſiculi ejus, quos diſcedens ipſe in puppi conſtitutus, quaſi Nereidibus audientibus, ac locorum Nymphis, decantavit: quorum ipſorum recitationem non temere recreamentum arbitror, quaſi quoddam quæſtionum haud multo ante explicatarum, nec parvum quoque momentum allaturum abſentiæ ejus deſiderio moderando. ſunt autem verſiculi hujuſmodi.*

Parthenope &c.

Hos ille abiens, confirmato admodum animo, vultuque quam maxime hilari pronuntiabat, quem nos ut amicum, ut Regem ſequentem ſuum, & bonis proſequamur ominibus, & Deos illi propitiabiles bene precemur.

289. adde Poſſevinum in bibl. ſelecta, Gaddium T. I. de Auctoribus non Eccleſiaſticis & Bælium in dictionario; Toppium & Nicodemum in Bibl. Neapolitana.

Alex. ab Alexandro Dier. genial. cap. I. L. 5.

Ad Gabrielem Altilium, virum modeſtiſſimum, doctiſſimumque, cum quo mihi a prima adoleſcentia familiaritas fuit, quod iſtum ad Pontificatum evectus fuerat, nos & aliquot bonarum artium ſtudioſi juvenes, ſummo loco nati, Neapoli congratulatum veneramus, ad quem ut venimus, excepti ab eo comiter & benigne fuimus. Cumque complexi hominem in primis ædibus, poſt mutuam ſalutationem, laetis precationibus ei gratularemur, eumque honorem ſibi a Diis fortunari, & quod nobis diu in optatis fuerat, id nunc magnæ voluptati eſſe, ac bene locatum in homine morum honeſtate & omni doctrina conſpicuo; ſperareque illud ſibi & urbi noſtræ ornamento ceſſurum profiteremur, &c.

P. 290. De Hiſce infortunatis nuptiis & morte J. Galeacii per patruum veneno properata. v. Gratianum de caſibus Illuſtrium Virorum.

P. 304. Teſtimoniis de Gabriele Altilio hæc adde.

Ex Baſilii Zanchii Eleg. I. Lib. VI. Poem.

In Gabrielem Altilium.

Has inter junctis ſpatiantur paſſibus ambo;
  Calliope & magni nominis Altilius:
Altilius, quo non Phœbo jucundior alter,
  Altilius ſacro lotus in amne pater.
Huic modo prima chori citharam ſuſpendit eburnam,
  Addit & Orpheæ fila canora lyræ.
Queis thalamos Iſabella tuos, Aragonia Virgo,
  Pindarico reſonet queis gravis ore Deos.
Melpomene inſignem victrici fronde coronam

Nunc

Nunc parat, & vernâ lutea ſerta roſâ.
Nunc plectro inſignit laetum, teſtudine & aurea,
Ut reſonat dulci dulcia furta ſono. &c.
Dum canit, Auſoniæ reſpondent carmina valles,
Et nemora intonſis ſpiſſa cacuminibus.
O nimium felix tanto ſcriptore puella,
Felix quam longum charta loquetur anus. &c.

Latomus.

Audiit Altilius deſertis transfuga Muſis,
In quarum tabulis nobile nomen erat.
Sed quid peccavit, ſi demereatur, ut olim
Carminibus Phœbum, nunc pietate Deum?

P. 323. Teſtimonia de fratribus Amaltheis hiſce augeri poſſunt.

Ex Magyro Broukhuſiano

Hieronymus Amaltheus.

Pituitæ morbo robuſtiores etiam laborarunt, alii ſine periculo, alii ut deceſſerint, in quibus fuit is, cujus obitu dolendum eſt maxime, Poëtica laude inſignis Amaltheus 13. Kal. Martii. P. Manutius L. 12. Ep. 4. Eumdem a recte ſcribendi laude eximiè commendaverat idem Manutius L. I. Epiſt. 10. V. J. Nicius Erythræus P. 1. Epiſt ad diverſos p. 162. Veteribus poëtis parem vocat Delrius. comm. in Sen. Med. p. 55. in Hippol. p. 177.

Cornelius Amaltheus.

Hic, adjuvantibus Paullo Manutio, Julioque Poggiano, latine vertit Catechiſmum Concilii Tridentini. *Vigneul Merville. T. 2. des Melanges.*

Digitized by Google

Franciſcus Amaltheus.

V. Rorarius de rat. brut. p. 65.

Jo. Math. Toſcanus in peplo Italiæ.

Hieronymus Amaltheus.

Ut mentes hominum ſolaris dulcibus ægras
  Verbis, ſic herbis languida membra juvas,
Una manus cytharæ nervos, nervoſque virorum
  Sedula concordi temperat harmonia.
Quattuor ut chordæ ſunt, ut diſcrimina vocum
  Quattuor, in quibus ars Muſica tota viget,
Biſque duo hæc, nervi, numeri, candorque, lepoſque
  Vivere plus unâ carmina luce jubent:
Corpora ſic totidem ex humoribus atque *elementis*
  Conſtant, Pæoniæ eſt in quibus *artis opus.*
Quæ cum felici tractes Hieronyme cura,
  E gemina geminus vi tibi ſurgit honos,
Sed diſpar: peritura etenim qui corpora ſervas,
  Carmina perpetuo non peritura *facis.*

Amaltheus, Utinenſis medicus non vulgaris, a M. Antonio Mureto hactenus laudatur, ut eum omnium, quos ipſe quidem noverit, Italorum præſtantiſſimum affirmet eſſe Poëtam. Quod judicium ea carmina comprobant, quæ a nobis nunc primum luce donata ſunt in primo Italorum Poëtarum Volumine. Eum adhuc ſuperſtitem eſſe arbitror: qui utinam quæ plurima *lectu* digniſſima domi comprimit Poëmata, tandem aliquando edat.

Jo. Baptiſta Amaltheus.

Duplice Amalthei profluxit copia cornu,
  Ipſe pari geminam dum movet arte chelyn:

Cura

Cura ut in ambiguum Venerem deduceret anceps,
  Capta foret Thuſcis plus Latiiſve modis.
Quin apud Elyſios certat Petrarca Tibullo,
  Quiſque ſui hunc partem dum cupit eſſe chori.

Jo. Bapt. Amaltheus Forolivienſis tantam Latinis Etruſciſque ſuis Poëmatiis adhibuit ſuavitatem, ut nulli ætatis noſtræ Poëtarum ſit ſecundus. Latina ejus carmina, quotquot hinc inde in unum colligere potuimus, ipſi inter carmina Italorum Poëtarum publicavimus: Etruſca adhuc paſſim diſperſa leguntur.

Lodovico Dolce.

M. Gio. Bat. Amalthéo gióvane dottiſſimo non meno nella cognizion delle trè Lingue più nóbili che in quella delle diſcipline miglióri.

P. 494. Die SANCTI NAZARII] a quo Martyre generis ipſe originem ſeſe traxiſſe non obſcure innuit SANNAZARIUS, quando hæc canit in ode de fonte Mergillines, quæ extat Lib. Epig. 2, p. 244.

Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phœbus illuxit; pariterque dias
  Hauſimus auras.

Hac & inſigni peragenda ritu
Sacra ſolennes veniunt ad aras

NAZARI, UNDE OMNES TITULI, MEÆQUE NOMINA GENTIS,

Nazari, vaſtas cohibentis undas
Æquoris, ſævoſque domantis æſtus,
Quicquid & vani truculenta juſſit

Ira Neronis.

O decus cœli ſimul & tuorum,
Rite quem parva veneramur æde,
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:

SI MIHI PRIMOS GENERIS PARENTES,
Si mihi lucem pariter dediſti,
Huc age, & fontem tibi dedicatum
Sæpe reviſe.

& iterum. Eodem Epigr. lib. in Hymno ad D. Nazarium. p. 254.

O mihi ſemper geniale cœli
Sydus, o famæ decus omne noſtræ,
AUCTOR O IDEM MIHI GENTIS, & ſpirabilis auræ,

SE TIBI DEBET PROAVORUM ORIGO ET
Sanguinis ſi ſunt decora ulla noſtri:
Debet & praeſens genus, & futurum,
Debet & hæc lux

Sacra, quæ magnum mihi prima ſolem
Obtulit naſcenti &c.

P. 497. Novum ſibi nomen imponeret] præter Paulum Pont. Max. (de cujus ignorantia & ſævitie in eruditos & præſertim in Platinam videndus Petrus Lambecius in notis ad Platinæ hiſtoriam urbis Mantuæ) etiam Ludovicum Arioſtum hic mos nominis mutandi adverſarium habuit in ſexta Satyrarum ad Petrum Bembum.

Il nome che d'Apóſtolo ti denno,
O d'alcun minor Santo i padri, quando
Chriſtiáno d'acqua & non d'altro ti fenno,
In Cóſmico, in Pompónio vai mutando:
Altri Pietro in Pierio, altri Giovanni

In

In Jano, e in Jovián van raccorciando:
Quaſi ch' il nome il buon giudicio inganni;
E che quel meglio t'habbia à far Poeta
Che non farà lo ſtudio di molt' anni.

P. 503. Gliomerum.] Latine glomerum, hunc libellum exſtare manuſcriptum Neapoli vir Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Juſtus Fontaninus literis ſuis amiciſſimis mihi ſignificavit.

P. 511. Aldi quoque Manutii] operæ pretium mihi viſum fuit hic ſubjungere ipſam epiſtolam Aldi Manutii editioni Arcadiæ Sannazarianæ anni 1514. præfixam.

Aldus Pius Manutius Accio Syncero Sannazario, S. P. D.

Vide, mi Acci, quantum in hac mea laborioſa provincia mihi aſſumam. cum quis mittit aliquid muneri ei, cujus eſt munus, videtur temeritatis, atque arrogantiæ accuſandus. noſtra nam non aliena debemus dono mittere: præſertim ipſorum dominis. ipſe autem id faciens, videor mihi meo jure quodammodo vindicare. nam licet tu olim Arcadiam & proſa & Thuſcis numeris docte & eleganter compoſueris, & ſit illa, ut eſt, tua, tamen neſcio quomodo, ſic edita, facta eſt etiam mea: quod igitur in hoc libro meum eſt, tibi dono & dedico. atque utinam hoc idem in Urania Pontani noſtri licuiſſet, quam ille bis ad me miſit, ut imprimendam enchiridii forma curarem; ſed paucis ante diebus, quam curâ noſtrâ ederetur, exceſſit e vita, qui, puto, ſi doctiſſimum Poëma illud ſuum volare per ora hominum feliciter, & gratum omnibus vidiſſet, ut nunc volat, viſus ſibi fuiſſet ſuperare omnium fortunas. Sed redeo ad Arcadiam tuam. cum dubitarem illam unà cum Petrarchæ Poëmatiis injuſſu tuo edere, ne te, cui gratum facere ſemper velim, offenderem, Hieronymus Borgius homo tui amantiſſimus, & fide plenus, eſt nempe (ut noſti) & literis & moribus ornatiſſimus, dixit mihi, ſuper ea re dediſſe ad te li-

teras, & reſpondiſſe te, id maxime cupere, quia ſi nequeas tuis alis, at alienis voles. quod reſponſum modeſtiæ plenum eſt & verecundiæ, mi Syncere, ut tua ſunt omnia. nam Petrarcham ipſum Thuſcis numeris jam adæquaſti, Latinis autem tantum ſuperas, ut ſi quis illud dixerit, vere dixerit

Lenta Salix quantum pallenti cedit Olivæ,
Puniceis humilis quantum Saliunca Roſetis,
Tantum ille Heroo cedit tibi carmine vates.

Sed de his plura, ut ſpero, coram vel brevi; nunc Arcadiam tuam agnoſce, & me, ut ſoles, ama. Vale.

INDEX

INDEX

Auctorum, qui in Not. ad

SANNAZARIUM,

Citantur, explicantur, laudantur, notantur vel corriguntur.

A.

ACcurſius [Mariangelus] 112, a.
Acro [Helenius] 132, b.
Aegidius, *Cardin.* 567.
Aegidius, *Monachus Auguſt. & Cardin.* 119, a, b.
Aelianus. 91, b.
Aelius [Franciſcus] 113, a. 124, b.
Agathias. 155, a.
Albertus, *ſive* Alberti [Fr. Leander] 63, a, 78, b. 87, b. 96, a. 130, b. 244, a. 588. 607. *laudatus.* 131, a.
Albinus [Fabius] 596.
Albinus [Matthæus] 120, b.
Alexandro [Alexander ab] 117, a. 150, a, b 535. 626.
Altilius [Gabriel] 87, a. 118, a, b. 235, b. 594. 595. 626. *laudatus.* 117, a, b.
Altimarus [Blaſius] 607.
Amaltheus [Cornelius] 627.
Amaltheus [Franciſcus] 628.
Amaltheus [Hieronymus] 627. 628.
Amaltheus [Jo. Baptiſta] 628. 629.
Amaſæus [Romulus] 547.
Amatus [Joannes Maria] 604. 608.
Amen [Benedictus] *vero nomine Jacobus Perizonius.* 139, b.
Ammiratus [Scipio] 553
Angerianus [Hieronymus] 241, b.
Anſelmus [Georgius] 144, b. 593.
Antiquus Cruquii Interpres. 95, b. 96, a.
Antonianus [Silvius] 237, b.
Antonius [Nicolaus] 589. 608.
Appianus Alexandrinus. 151, b.
Apianus [Petrus] 119, b.
Apollodorus. 69, 6. 84. a, b.
Apulejus. 207, a.
Aquivivus [Andreas Matthæus] 120, a, b. 122. b. 227, a. 622.
Aquivivus [Beliſarius] 120. a. 621. 622.
Aquivivus [Julius] 120, a.
Archeſtratus. 195, a.
Arioſtus [Ludovicus] 190, b. 252, b. 253, a. 544. 630.
Arnobius. 164, a.
Aſconius Pedianus. 207, b.
Athenæus. 110, a. 195, b.
Auctor Brunelli. 212, b.
Auria [Vincentius] 602.
Auſonius. 110, a. 113, b.

B.

BAelius [Petrus] *Bayle.* 118, b. 120, a, b. 123, a. 596. 610. 623. 625. *notatus.* 116, a. 121, a. 123, b.
Bajuletus [Adrianus] *notatus.* 63, a.
Barbarus [Hermolaus] 66, a. 156. b. 187, b. 218, b. 593.
Baronius [Franciſcus] 607.
Barthius [Caſpar] 54, b. 63. b. 69, a. 84, b. 94. a. 139, b. 164, a. 212, b, 218, a 219, b. 593.
Bellaqueus [Remigius] *Poeta Gallus* [Belleau] 73. b.
Bellarminus [Robertus] *Cardin.* 555.
Beltramus [Octavius] 607.
Bembus [Petrus] *Cardin.* 109, b. 190, b. 237, b. 531.
Bencius [Franciſcus] 110, a.
Bentivolius [Guido] *Cardin.* 201, b.

Berlicomius [Adrianus] 310, a.
Bernia [Franciſcus] 623. 624.
Beroaldus [Philippus] 84, a.
Beza [Theodorus] 110, a. 139, b.
Blarrorivo [Petrus de] 166. a.
Boccalinus [Trajanus] 112, a. 195, b.
Bodinus [Joannes] 220, a.
Boiſſardus [Janus Jacobus] 556.
Bonifacius [Balthaſſar] 91, a.
Bononia *ſeu* de Bononia [Balthaſſar] 602. 605.
Borellus [Carolus] 597. 598.
Borrichius [Olaus] 557.
Borromæus [Vitalianus] 598.
Braſſicanus [Alexander] 84, b.
Bronkuſius [Janus] 590. 593. *leviter notatus*. 612. *reprehenſus*. 620. *laudatus*. 624.
Bruni [Leonardus] *Aretinus*. 194, a.
Buchananus [Georgius] 110, a. 201, a.
Buchnerus [Auguſtus] 106, b. 593
Bucholcerus [Abraham] 123, b.
Budæus [Guil.] 618.
Bumaldus [Jo. Antonius] *ſed vero nomine* Ovidius Montalbanus. 602.
Burchardus [Joannes] 190, a. 238, a. 212. b.
Burnetus [Ghilbertus] 163, a. 220, b.

C.

CAbanilius [Trajanus] 78, a, 120, b.
Cælius Rhodiginus [Ludovicus] 91, a. 156, a, b.
Calcagninus [Cælius] 65, a. 140, a. 237, a.
Calderinus [Domitius] 57, b, 154, a. 155, b.
Calentius [Elyſius] 119, b, 607.
Callimachus. 116, a.
Calviſius [Sethus] 123, b.
Cambdenus [Guilielmus] 63, a.
Camerarius [Ph. Joach.] 91, b. 120, a. 148, b. 593.
Campanilius (Philibertus) 588. 597. 612. 619. 621. 625.
Capaccius [Julius Cæſar] 582. 587. 588. 593.
Capellonius [Laurentius] 248, a, b. 268, b.
Caramella [Honorius Dominicus] 607.
Carbo [Hieronymus] 112, a. 597. 598. *laudatus*. 126, a, b.
Carolo [Ludovicus à Sancto] 608.
Carrio [Ludovicus] 219, a.
Caſaubonus [Iſaacus] 92, b.
Caſtalio [Joſephus] 219, a.
Cave [Guilielmus] 606.
Cerda [Ludovicus de la] 57, b. 65, a. 66, b. 74, b. 113, b. 154, a. 193, a. 556.
Ceretus [Daniel] 307. *laudatus*. 78. b.
Chærilus. 64, b.
Chalcondylas [Demetrius] 220, a.
Charitæus. 124, a. 595. 596. 597.
Chevreus [Urbanus] 182, b. 200, a.
Chronique Scandaleuſe de Louis XI. 165, b. 166, a, b. 235, b. 612.
Cicero. 70, a, b. 87, b. 96, b. 151, b. 161, 173, a. 235, b. 237, b. 268, a.
Cioſanus [Hercules] 66, a.
Claudianus. 164, a, b.
Clearchus. 64, b.
Clemens Papa VII. 564.
Cleomedes. 64, a.
Cluverius [Philippus] 54, b. 161, b.
Collenutius [Pandulphus] 602.
Colotius [Angelus] 119, b.
Columna [Victoria] *Poetria Itala*. 263, b.
Comes [Natalis] 91, a.
Cominæus [Philippus] *Auctor Gallus, de Comines*. 102, b. 165, a, b. 166, a, b.
Compater [Petrus] 119, a. 232, a. 620. *laudatus*. 119, b.
Conſtantinus Porphyrogeneta. 144. b.
Cordova [Ferdinandus de] 212, b.
Corius [Bernardinus] 134, a. 182, a. 235, b.
Coronelli (Vincentius Maria) 602. *notatus*. 610.
Corradus [Sebaſtianus] 621.
Corvinus [Maximus] 120, b. 596.
Cotta [Joannes] 247, a, b. 622. 623.
Craſſus [Lucius] 87, a.
Creſcimbeni [Jo. Marius de] 559.
Crinitus [Petrus] 122, a. 137, a. 140, a. 235, b.
Criſpus [Jo. Baptiſta] 589. 597. 600. 623.

Cunra-

INDEX.

Conradus [Caſpar] 110, a.
Curtius [Benedictus] 129, b.

D.

DAuſquius [Claudius] 131, a.
Delices d'Italie. 619.
Del Rius [Martinus] 59, b. 64, a. 65, a. 91, b. 131, a. 150, a, b. 627.
Dialogus inter Julium II. Pont. & S. Petrum, apud Wolfium. 248, b.
Diodorus Siculus. 147, b.
Dioſcorides. 156, b.
Douza F. [Janus] 120, a. 190, b. 195, a. 201, a. 217, a, b. 264, b.
Dracontius. 187, b.
Dulcis [Ludovicus] 629.

E.

ELmenhorſtius [Geverardus] 212, b.
Eraſmus [Deſiderius] 106, b. 112, a. 123, b. 124, b. 194, a, b. 239, b. 248, b. 542. 593.
Erythræus [Jo. Nicius] 57, b. 59, b. 66, a. 627.
Etienne [Henri] 212, b. 593.
Eugenius (Cæſar) 611.
Eugenius II. Pont. 187, b.
Euſebius. 264, b.
Eutropius. 151, b. 264, b.
Eutyches Grammaticus. 239, b.

F.

FAber [Jo. Albertus] 220, b.
Fabricius [Georgius] 110, a. 194, b.
Fatius, ſeu Facius [Bartholomæus] 603. 605. 606. 607. 609.
Fazellus [Thomas] 607. 609. 610.
Ferrarius [Octavius] 195, b. 201, b. 593.
Feſtus. 124, b. 162, a.
Firenzuola [Angelus] 123, a.
Flaccus [Valerius] 64, a. 94, b.
Flaminius [M. Antonius] 57, b. 144, b. 201, a. 548. 621. 623.
Florus [Lucius] 64, a. 151, a. 185, b.
Fontaninus [Juſtus] 631.
Fortunatus [Venantius] 168, b.
Foſcarenus [Michael] 607.
Fracaſtorius [Hieronymus] 107, b. 593. 623.
Francius [Petrus] 124, b.
Freinshemius [Joannes] 64, a. 155, b.
Fulgoſus [Baptiſta] 235, b.
Fuſcus [Thomas] 140, a, b.

G.

GAddius [Jacobus] 625.
Galatæus [Antonius] 611. 621. 622.
Gambara [Laurentius] 256, b.
Garlonius, Aliſarum Dominus [Antonius] 95, a. 96, a.
Gelaſii Decretum de Poetis. 270, a.
Gellius [Aulus] 263, a, b. 264, a.
Geſnerus [Conradus] 65, a. 138, a. 237, a.
Gherius [Ranutius] 607.
Glareanus [Henrius Loritus] 165, a.
Goldaſtus [Melchior] 187, b.
Grapaldus [Franc. Maria] 219, a.
Gratianus [Ant. Maria] 616. 626.
Gratius. 113, a.
Gravina [Petrus] 571. 593. 621.
Gravina [Vincentius] 621. *laudatus.* 73, a. 116, b.
Gronovius [Jacobus] 124, b. 139, b.
Grotius [Hugo] 60, b. 168, a.
Grudius [Nicolaus] 110, a.
Gruterus [Janus] 108, a. 269, b.
Guazzo [Marcus] 623.
Guntherus [Cyriacus] 239, b.
Gyraldus [Lilius Gregorius] 106, a. 111, b. 116. b. 117, a, b. 123, b. 124, a. 126, a. 137, a. 138, b. 189, b. 543. 603. 609.

H.

HAnkius [Martinus] 194, a.
Heinſius [Daniel] 239, b.
Heinſius [Nicolaus] 59, b. 69, b. 91, a. 131, a. 144, b. *laudatus.* 70, b.
Hendreich [Petrus] 168, b.
Herodotus. 164, a.
Heſſus [Eobanus] 110, a.
Homerus. 129, b. 161, b. 192. b.
Horatius. 87, b. 95, b. 130, a. 131, a. 132, b. 145, a, b. 161, b. 162, b.
Huttenus [Ulricus] 248, a.
Hyginus. 266, a.

I.

I N D E X.

I.

JAcobæus [Oligerus] 124, b.
Jacobus à Sancto Carolo [Ludovicus] 608.
Inſcriptiones. 108, a. 119, b. 594. 620. 621.
Interpres Vetus Statii. 84, a.
Jovius [Paulus] 57, b. 104, b. 105, a, b. 110, b. 111, a, b. 116, b. 117, a. 120, a, b. 123, b. 125, b. 137, a. 138, a, b. 190, b. 194, b. 208, a. 219, b. 220, a. 227, a, b. 235, b. 253, a, b. 263, a. 269. b. 270, a, b. 544. 594. 604. 608. 610. *notatus*. 104, a.
Jucundus [Joannes] *Veronenſis Architectus* 210, a, b. 618.
Julius Cæſar Imperator. 165, a.
Junius [Hadrianus] 195, b. 248, b.
Juſtinianus Imperator. 212, b.
Juſtinus. 155, b.
Juvenalis. 64, a. 219, a.

L.

LActantius Firmianus. 166, a.
Lætus [Pomponius] 148, b.
Lambecius [Petrus] 617. 630.
Lambinus [Dionyſius] 65, a. 91, b. *notatus*. 268, a.
Lamponianus [Jo. Andreas] 235. a.
Lancillotus [Jo. Paulus] 123, a, b. 201, a.
Larroquanus, *unus ex collectoribus Actorum Lipſienſium*. 220, b.
Latomus. 627.
Leidekkerus [Melchior] 139, b.
Leo Papa X. 561.
Lernutius [Janus] *notatus*. 119. a.
Lettres Italiennes. *Lettere Italiane di prédici Autori illuſtri*. 116, a.
Liber de dictis ac factis Alphonſi Regis Neapol. 605.
Lipſius [Juſtus] 64, a. 244, a.
Livius [Titus] 136, b. 151. b. 154, a. 162, b. 164, a. 211, b.
Loccenius [Joannes] 187, b.
Lodenſis [Jacobus Nicolaus] 96, b.
Longolius [Chriſtophorus] 253, b. 266, b.
Lotichius [Petrus] 168, a.
Lucanus. 155, b. 168, a, b.
Lucianus. 198.

M.

MAbillonius [Joannes] 63, a. 148, b. 154, a. 155, a, b. 182, a, b. 594.
Macedo [Franciſcus] 201, b.
Macrinus [Salmonius] 110, a.
Macrobius. 193, b.
Maſfejus (Jo. Petrus) 201, b.
Magyrus Broukuſianus. 593. 619. 621. 627.
Magliabecchius [Antonius] 124, b. 609.
Majus [Junius Junianus] 124, a. 150, a, b. 596.
Malateſta [Robertus] 134, a.
Manutius [Aldus] 235, b. 237, b. 631.
Manutius [Palus] 96, b. 136, b. 572. 627.
Marcellus. 124, b.
Marche [Olivier de la] 166, a, b.
Marcheſius [Franciſcus Ælius] 528. 588. 597. 598.
Mariana [Joannes] 608.
Marianus, *Monachus Auguſtinianus, Pontani Præceptor*. 111, b.
Martialis. 113, b. 185, b. 215, b. 219, a, b.
Marullus Tarchaniota [Michael] 87, a. 103, a, b. 104, a. 116, a. 120, a. 121, a, b. 122, a, b. 123, a, b. 125, b. 134, b. 137, a, b. 144, a. 166, b. 182, b. 198, b. 200, b. 202, b. 205, a. 218, a. 221, b. 224, a. 229, a. 230, a. 235, b. 241, a. 593. *notatus*. 110, a. 137, b.
Maurolycus [Franciſcus] 608.
Mazzella [Scipio] 607.
Medicis [Laurentius de] 122, b.
Mela [Pomponius] 91, a. 129, b. 131, a. 147, b, 169, a.
Meliſſus [Paulus] 119. a.
Menagiana. 597. 616. 618.
Menagius [Ægydius] 60, b. 168, b. 179, b. 194, b. 201, a. 218, a. 256, a. 618. *notatus*. 616.
Merville [Vignolius] 594. 627.
Merula [Georgius] 220, a.

Mi-

Digitized by Google

Miniatus [Laurentius] 108, a.
Minturnus [Antonius] 587.
Miræus [Aubertus] 608.
Miſſon [Maximilianus] 63. a. 155, a. 163, a. b. 166, a. 235, a. 593.
Molina [Joannes de] *Auctor Hiſpanus.* 608.
Moloſſus [Tranquillus] 269. b.
Monera [à] *De la monoye auctor Gallicus in lib. cui titulus Menagiana.* 597. 618. 619. 623. *laudatus.* 616.
Monfauconius [Bernardus] 63. a. 610.
Mongitor [Antoninus] 602. 610.
de Montagne. [le Sieur Michel] 182. b.
Montalbanus [Ovidius] *ſed ficto nomine* Jo. Ant. Bumaldus. 602.
Montaltus [Ludovicus] 610, 611.
Morerius [Ludovicus] *Morery*, auctor Gallicus. 602.
Moſchus. 256, a, b.
Munſterus [Sebaſtianus] 164, b.
Muretus [M. Antonius] 84, b. 110, a. 133, b. 144, a. 187, b. 207, b. 219, a. 617. 628.
Mutius [J. Aurelius] 109, b.

N.

NAnnius [Petrus] 66, b.
Naudæus Gabriel] 67, a.
Naugerius Andreas] 141, a. 237, b.
Neapolis [Carolus] 158, a.
Nemaſianus [Aurelius] 113, a, b.
Nicander. 65, a.
Nicodemus [Leonardus] 593. 596. 597. 598. 602. 606. 609. 610. 619. 621. 625.
Niphus [Auguſtinus] 126, b.
Nonnius. 124, a.
Nonnus. 144, b.
Numatianus [Rutilius] 113, b.

O.

ODoricius [Valentinus] 174, b.
Olgiatus [Hieronymus] 235. a. 251, a, b.
Opmeerus [Petrus] 608.
Oroſius [Paulus] 151, b.
Ortelius [Abraham] 131, a.
Ovidius. 63, a. 65, b. 91, a, b. 113, a. 114, b. 116, a. 131, b. 143, a. 144, a. 157, a, b. 161, a. 193, b. 198, a.

P.

PAcichellus [Jo. Baptiſta] 605.
Palearius [Aonius] 237, a.
Panormitanus, *ſive* Panormita [Antonius, *aliás* Antonius Bononia, *ſed veriùs* Antonius Beccadellus] 67, b. 105, a. 138, a, b. 139, a, b. 602. 608. *notatus.* 138, b. 139, a.
Panvinius [Onuphrius] 202, a. 209, b. 215, b. 248, b. 618.
Pardus [Joannes] 87, a. 90, a.
Parrhaſius [Janus] 59, b. 66, a.
Parthenius [Bernardinus] 549. 550.
Parthenius Giannetaſius [Nicolaus] 589.
Paſchaſius [Stephanus] 122, a.
Paſſeratius [Joannes] 75, b. 84, b. 133, b. 224, b.
Paterculus. *Vide* Velleius Paterc.
Pauſanias. 92, a.
Petrarcha [Franciſcus] 137, a. 148, a.
Petronius. 67, a.
Philargyrius [Junius] 94, b. 193, b. 164, a.
Philelphus [Franciſcus] 122, b. 138, a. 164, a. 194. b. *reprehenſus.* 164, b.
Philoſtratus. 155, b.
Piccartus [Michael] 187, a.
Picolominæus [Æneas Sylvius] *Pius II. Pontifex.* 138, a.
Picus [Joannes Franciſcus] *Mirandulæ Princeps.* 109, b. 121, a.
Pirrus [Rocchus] 609.
Pitiſchus [Samuel] 199.
Platina [Baptiſta] *at vero nomine* Baptiſta Sacchius. 617.
Plempius [Cornelius] 269, b.
Plinius. 57, a. 63, b. 65, b. 67, a. 69, a. 71, a. 72, a. 91, a. 129, a, b. 130, b. 136, b. 136, b. 164, a. 169, b. 187, b. 243, a.
Plutarchus. 151, b. 617.
Poggianus [Julius] 627.
Politianus [Angelus] 84, a. 111, b.

123

Digitized by Google

123, b. 125, a. 211, b. 218, b. 227, b. 237, a. 246, a, b. 256, b. 593. *laudatus.* 111, a.
Pontanus [Jacobus] 593.
Pontanus [Jo. Jovianus] 65, a. 66, b. 71, a, b. 72, a. 74, b. 83, a, b. 87, a. 90, a, b. 105, a. 106, a. 108, b. 109, a. 110, a, b. 111, a, b. 112. a, b. 113, a, b. 114, a. 117, a, b. 120, a, b. 124, a, b. 125, b. 126, a. 128, a. 132, a. 134, b. 138, a, b. 154, a. 165, a. 166, b. 182, a. 185, b. 187, a. 211, a. 215, b. 223, b. 230, a, b. 235, b. 264, a. 269, b. 302. 596. 597. 601. 602. 603. 604. 606. 607. 608. 612. 616. 618. 620. 625.
Porcacchius [Thomas] 63. a.
Porphyrio. 87, b.
Portinarius [Angelus] 605.
Poſſevinus [Antonius] 554. 625.
Probus [Valerius] 153, a.
Propertius. 67, a, b. 69, b. 70, a. 91, b. 115, b. 119, a. 132, a. 140, a. 144, a. 149, b. 167, b.
Ptolomæus. 164, b.
Pudericus [Erricus] 138, a.
Pudericus [Franciſcus] *Errici Filius* 138, a. 600. 601.
Putſchius [Helias] 239, b.

Q.

QUintilianus [M. Fabius] 60, a.

R.

RAderus [Mathæus] 75, b.
Ramuſius [Paulus] 134, a.
Ranzanus [Petrus] 607. 609. 610.
Rapicius [Jovita] 547.
Rapinus [Renatus] 60, b. 139, b. 158, b.
Raudenſis [Antonius] 610.
Realinus [Bernardus] 219, a.
Reineccius [Reinerus] 594.
Rhellicanus [Joannes] 165, a.
Rhenanus [Beatus] 123, b.
Riccius [Bartholomeus] 237, a. 593. 621.
Riccius [Bernardus] 237, a. 621.
Riccius [Petrus Franciſcus] 237, B.
Rittershuſius [Conradus] 168, a.
Roi [Albertus le] 559.
Rorarius. 628.
Rupertus [Chriſt. Adamus] 155. b.

S.

SAbellicus [M. Antonius Coccius] 71, b. 104, b. 134, a. 139, b. 182, b. 189, a. 194, a. 195, a. 207, b. 215, b. 219, b. 235, b. 593. 618. 619.
Sabinus [Franciſcus Floridus] 121, b. 219, a.
Sabinus [Georgius] 197, a. 220, a.
Sabinus [Petrus] 618.
Sancto Carolo [Ludovicus à] 608.
Sangrius [Joannes] 114, a.
Sanſovinus [Franciſcus] 270, a.
Sarbievius [Jacobus] 216, a, b.
Sardus [Alexander] 67, b.
Scævola [Quintus] 212, b.
Scala [Alexandra] *Alexandri Filia, Michaelis Marulli uxor, Erudita mulier.* 123, a.
Scala [Bartholomæus] 123, b. 124, b. 125, a, b. 598. *notatus.* 125, a.
Scaliger [Joſephus] 110, a. 122, a. 125, a. 137, b. 187, b. 207, b. 219, a.
Scaliger [Julius Cæſar] 58, a. 106, b. 109, b. 110, a. 116, a. 121, b. 144, a. 210, a, b. 247, b. 248, b. 289. 551. 591. 617. 618. 623.
Schottus [Andreas] 187, a.
Schottus [Franciſcus] 555. 605.
Scioppius [Caſpar] 139, b. 219, a.
Scoppa [Jo. Lucius] *alio nomine Jo. Lucius Grammatiſta.* 238, a. 621.
Scotius [Caſpar] 624.
Secundus [Joannes] 110, a. 122, a.
Seneca. 63, b. 137, a.
Seneca Tragicus. 144, b.
Septimius Florens, *Chriſtianus.* 91, a. 161, b.
Seripandus, *Cardinalis.* 553.
Servius. 57. b. 65, a. 69. b. 73, b. 74, b. 84, a, b. 91, a. 94, a. 131, a, b. 148. b. 149, b. 151, a. 154, a, b. 155, b. 157, b. 162, a, b. 174, b. 193, a. 239, b. 252, a. 264, b.

Si-

Digitized by Google

Silius Italicus. 149, a. 151, b.
Simleſus [Joſias] 120, a.
Sixtus Senenſis. 554.
Solinus. 113, b. 147, a, b.
Spera [Petrus Angelus] *notatus*. 602. 604.
Sphærulus [Franciſcus] 189, b.
Spiegelius [Jacobus] 608.
Sponius [Jacobus] 201, b.
Statius [Achilles] 187, b.
Statius [Papinius] 53, b. 54, a. 57, a. 63, b. 72, a. 94, a. 98, a. 192, a. 196, a, b.
Statii vetus Interpres. 147, a. 158, a.
Stephanus [Henricus] 212, b. 593.
Stobaeus. 617.
Strabo. 63, b. 65, a. 67, a. 68, b. 69, a, b. 70, a, b. 71, a. 95, b. 129, b. 130, b. 131, a. 136, b. 141, a. 164, b. 168, a.
Strozza [Hercules] 110, a. 189, a, b.
Suetonius. 69, a. 230, a. 248. b. 264, b.
Summontius [Petrus] 110, b. 113, a. 126, b. 230, a. 590. 594. 601. 619. *laudatus*. 109, a.
Swertius [Franciſcus] 83, b. 119, b. 120, b. 123, a. 137, a, 182, b. 194, b. 269, b.
Sylvius [Aeneas] *poſtea Pius II. Pontifex appellatus*. 603. 608.
Symmachus. 194, a, b.

T.

Tacitus [Cornelius] 64, a. 69, a. 149, a.
Taſſo [Bernardus] 57, b. 108, a. 163, b.
Tentzelius [Wilh. Erneſtus] 201, b.
Textor [Raviſius] 606.
Theocritus. 60, a.
Thomæus [Nicolaus Leonicus] 91, a. 156, b.
Thomaſius [Jacobus] 133, b.
Tolomei [Claudius] 201, b. 618.
Tollius [Jacobus] 64, a.
Tomacellus [Marinus] 110, b.
Tomaſi [Thomas] 59, a. 102, b. 104, a, b. 172, a. b. 173, b. 182, a, b. 188, a, b. 189, a. 190, a, b. 208, a. 209, a, b. 212, b. 213, b. 214, a. 215, b. 240, a. 248, b.
Toppius [Nicolaus] 593. 596. 605. 606. 608. 610. 619. 621. 625. *notatus*. 604.
Torrentius [Lævinus] 79, a, b.
Toſcanus [Joh. Matthæus] 122, a. 289. 303. 606. 622.
Tulpius [Nicolaus] 91, b.
Turnebus [Adrianus] 95, b.
Turſellinus [Horatius] 215, a.
Tutinus [Camillus] 597. 624.
Typhernates [Gregorius] 220, a.

V.

Vadianus [Joachimus] 129, b.
Valerianus [Jo. Pierius] 106, b. 120, a, b. 123, a. 126, a. 140, a, b. 220, a. 248, a. 268, b, 269, a, b. 533. 593.
Valerius [Maximus] 136, b. 151, b.
Valeſius [Hadrianus] 201, a.
Valla [Laurentius] 138, b. 610.
Valle [Petrus della] *Italus*. 54, b. 57, b. 59, b. 64, a. 65, a. 70, b. 141, a. 158, b. 593.
Valturius [Robertus] 134. b.
Vaſarius [Georgius] 619.
Varillaſius [Antonius] *Varillas, auctor Gallicus*. 133, b. *notatus*. 247, a, b. *acriter reprehenſus, ſed merito*. 220, b.
Vaterius 207. a.
Vavaſſor [Franciſcus] 201. a.
Vellejus Paterculus. 155, a.
Ughelius [Ferdinandus] 288.
Vice-Comes *Mediolani Dux* [Philippus Maria] 603.
Victorius [Petrus] 122, a.
Vida [M. Hieronymus] 109, b. 263, b.
Virgilius. 74, a, b. 113, b. 115, a, b. 131, a, b. 147, b. 154, a, b. 162, a. 192, b. 193, a. 239, a. 264, a.
Vitalis [Janus] 607.
Viterbienſis [Jo. Annius] 207, a.
Vitruvius. 84, b. 618.
Ulpianus. 111, a.
Volaterranus [Raphael] 123, a, b. 134, b. 164, b. 202, b. 209, b. 235, b. 594. 608.
Voſſius [Ger. Joannes] 112, a. 124. a, b.

Digitized by Google

a, b. 254, a. 262, a. 264, b. 265, a. 194, a, b. 195, a, b. 219, b. 264, b. 558. 594. 608.
Voſſius [Iſaacus] 219, a.
Urfæus [Honoratus] *auctor Aſtrea Gallica*. 168, b.
Uritanus [Q. Marius Corradus] 551.
Urſinus [Fulvius] 589.
Vulpius [Jo. Antonius] 491. 587. 588. 623.

W.

WEitzius [Joh.] 185, b.
Wharton [Henricus] 606.
Wolfius [Jo. Chriſt.] 119, b.

Z.

ZAnchius [Baſilius] 106, b. 117, b. 303. 626.
Zeno [Rutilius] 125, b.

INDEX.

Digitized by Google

INDEX II.

Rerum & Verborum quae hoc Volumine Continentur.

A.

ABſtemius. 361.
Acon 373. 482. —— Napen ingens. 365. —— & Leonilla. 370. —— ecloga Jo. Bapt. Amalthei. 380.
Aconis donum Turtur. 446. Anathema. 446.
Actaeon Marmoreus. 222.
Adonidis fabula. 388. 389.
Adornae puellae proſopopoea. 340.
Adrianus VI. Pont. Max. 268. 269. 623. 624.
Ariſtoteles. 349.
Aegedius Viterbienſis, poſtea Cardinalis titulo S. Mathaei. III. — ejusdem epiſtola ad Sannazarium. 567. de eodem. 514.
Aegle. 218. 231.
Aenaria. 59. 83.
Aeneas & Dido. 211.
Albinus, magnus a Toppio vocatus. 596.
Albertus, Philoſophus, interfectus. 487.
Alcippi Tumulus, Horologium pulvereum. 366.
Aleandri, Hieronymi, dedicatio carminum fratrum Amaltheorum. 319.
Alexander ab Alexandro de Actio Syncero, locum Propertii commode emendante. 531.
Alexander VI. V. Borgia.
Alfonſi I. Aragonei, Regis Neapolitani res geſtae. 129. 130.
Alfonſus II. Aragoneus, Ferdinandi filius; Dux Calabriae, Laudatus. 128. 129. 208. 206. Rex Neapolitanus Turcas Hydruntina Regione expulit. 175. 185. 589. ejus geſta. 130. 131. 132. 133.
Alfonſus, Aragoneus, vulneribus confoſſus & in gremio Lucretiae Borgiae uxoris laqueo ſuffocatus. 213.
Allifae urbs, ubinam olim ſita. 95.
Altamuranus Dux, Pyrrhus. 502.
Altilius, Gabriel, Epiſcopus Polycaſtrenſis. 118. 137. de eodem Teſtimonia 273. 627. 628. ejusdem nobile Epithalamium. 290. carmina. 117. epiſtolae. 279. 595.
Alumni pietas in nutricem defunctam. 445.
Amalphis urbs cur Magnetis a Pontano dicta. 67.
Amalthei, Hieronymi, carmina. 325. Teſtimonia. 323. 627. 628.
—— Jo. Baptiſtae, carmina. 377. Teſtimonia. 323. 628. 629.
—— Cornelii, carmina. 457. Teſtimonia. 323. 627.
—— Annibal. 364. 365.
Amaranthae Tumulus. 229. 619.
Amaſaeus, Romulus, de Sannazario. 547.
Amor fugitivus. 250.
Amyntas uxori & filio defunctis. 445.
Angelus affatur Mariam Virginem. 5.
Angelorum exercitus deſcriptio. 36.
Animi defectus Uxoris Hieronymi Amalthei. 364.
Anio, fluvius Sabinorum. 132.
Aniſius, Janus. 600.
D. Annae pictura. 249.
Annae obitus. 483.
Annibalis Tumulus. 198.
Antiphatis Regio, Formiae. 168.
Apes. 443.
Apollo religioſiſſime Cumis cultus. 154.
Apoſtolorum electio. 48.

Digitized by Google

Apranius. 600.
Aproini, Franciſci, Medici, genethliacon. 349.
Aquivivus, Andreas Matthaeus, dux Hadriae. 120. 139. 158. 227. 242. 619. 621. 622.
Aquivivus, Beliſarius, Neritinorum Dux. 246. 621. 622.
Aquivivus, Julius, Andreae Matthaei & Beliſarii pater, Vir fortiſſimus. 166.
Aquivivus, Julius, Cardinalis. 407.
Aranea. 453.
Arcadia Sannazarii. 170.
Arioſtus, Ludovicus, de Sannazario. 544.
Aſinus Pontani. 111.
Aſſanius Tyrannicida. 251.
Aſtraea ad Petrum de Roccaforti. 102.
Atramentum ſcriptorium. 199.
Aufidius. 205.
Aufidii Tumulus. 366.
Auguſtus Caeſar univerſum orbem cenſeri jubet. 19.
Aulerci, Galliae Celticae pop. 254.
Aviculae Tumulus. 422.
Aurantius, Philibertus. 524.
Aurora & Cephalus. 404.
Auſtrius, Joannes; 454. 460.

B.

ad Bachum Elegia. 144.
Bajae. 70.
de Baltio, Iſabella, Federici Aragonei uxor. 503.
Baptiſmus Chriſti. 40.
Barbadicus, Auguſtinus. 344.
Baſium ad Ninam. 183.
—— ad Amicam. 216.
Baſſus. 217.
Bauli. 148.
Beccadellus, Anth. Bononia. 138. 602 &c.
Benacus. 307.
Beetlemiticus ſpecus deſcribitur. 24.
Bellovaci. 64.
Bembi, Petri, Cardinalis, Epitaphium Actii ſinceri. 277.
—— ejuſdem Epiſtola ad Sannazarium. 538.
Bibonis Tumulus. 448.
Boccalinus, Trajanus. 525.
Boiſſardus de Sannazario. 556.
Bolognetus, Albertus, Cardinalis. 485.
Bonifacius, Robertus. 506.
Bonifacia, Carmoſina, a Sannazario amata. 499.
Borgia, Rodericus, Alexander VI. Pont. Max. 195. 208. 210. 215. 216. 238. 239. 240. 264. 265.
Borgia, Caeſar, Dux Valentinenſis. 188. 189. 190. 200. 213. 214. 215. 513.
Borgia, Lucretia. 191. 210. 218.
Borrichius, Ulr. de Sannazario. 557.
Borromaeus, Carolus, Cardinalis. 357. fratrem Lugens. 401.
Bos & Aſellus adorant Chriſtum. 27.
Braccettus, Michaël. 361.
Brancatii, Sarri, funus. 98.
Branciae, Porcia & Iſabella, ſorores. 625.
Broukhuſii, Jani, praefatio Sannazariana. 577.
Bubo. 227.
Bubulcus, Alex. VI. 191.
Burgenſis, Jani, obitus. 473.
Brutrotos, oppidum Epiri. 132.

C.

Cabanilius Trajanus. 599.
Caecilianus. 211.
Caeculus, magna acerbitas in hac voce. 250.
Caeſar N. 481.
Caeſar Borgia, V. Borgia.
Cajetae, Aeneae Nutricis proſopopoiea, & de Federico Rege vaticinium. 160.
Calais Venans. 445.
Calendae Januariae. 140. 199.
—— Maji. 181.
Camilla Scalampa, Mediolanenſis. 256.
Canticum D. Mariae Virginis. 17.
—— Simeonis. 9.
Cantio, *Canzone*, carmen Italum. 500.
Capella puerum Julium Lactans. 444.

Digitized by Google

Capacii, J. Caeſaris, elogium Sannazarii. 582.
——— elogium Caſſandrae Marcheſiae. 588.
Capreae. 69.
Capycius, Scipio. 599.
Caracciolus, Galeacius. 241.
——— Marinus. 212.
Carbo, Hieronymus, vir praeſtantiſſimus, ad Actium. 280.
ejuſdem Vita & Elegia ad Auguſtinum Niphum. 598.
Cardinalis Bellarminus de Sannazario. 555.
——— Commendonus. 331.
——— Montaltus. 480.
——— Mendotius. 362. 363.
——— S. Petri ad Vincula. 248.
——— Seripandus, de Sannazario. 553.
——— Turnonus. 337.
Carolus, Galliae Rex. 504.
Caroli Audacis, Ducis Burgundiae, ingenium, artes, & mors. 165. 166. 612.
Carolus V. in Germania pugnans. 438.
Carthaginis Ruinae. 22.
Caſa. 431.
Caſertae obitus. 485.
Caſtriota, Alfonſus. 509. 588.
Caſtrus, Julius, Caeſaris Legatus. 397.
Catonis Tumulus. 242. 250.
Catullus a Pontano emendatus. 187.
Catulli paſſer. 218.
Caudolae Tumulus. 252.
Caulon urbs. 131.
D. Celſus, comes D. Nazarii. 161.
Cenetenſis Collis. 474.
Cerberus. 8. 15.
Cereti, Danielis, Salix. 307.
Cerretia Rupes. 169.
Cervinus. 385.
Charitei Hendecaſyllabus ad Sannazarium. 275.
de Chariteo. 596. 597. 616.
Chlamydis deſcriptio qua Deum patrem indutum fingit Poëta. 30.
Chlamydis Angeli, Joannis Euangeliſta, typi, deſcripto. 24.
Chloridis Anathema. 449.
Cimmerii. 70.
Circeum promontorium. 67.
Clemens. VII. Pont. Max. 1. 587.
ejuſdem Bulla ad Sannazarium. 564.
Colloreti, Martii & Frederici Savorniani ſingulare certamen. 364.
Columna, Victoria, mulier excelſi animi, Ferdinandi Havali conjux, Poetria inſignis. 263.
Columnae. 404.
Compatris, Petri, mors defleta. 232.
de Compatre. 620. 621.
Comparatio Virginis Inſularis cum Maria Virgine. 5.
——— Partus Virginis cum rore & radiorum luce per vitrum tranſeunte. 27.
——— Phoenicis cum Maria Virgine. 28.
Conceptio Verbi Divini in utero B. Virginis. 7.
Concio Dei Patris ad ſuperos. 31.
Coridon, Ecloga, J. B. Amalthei. 383.
Cordubenſis, Conſalvus. 519.
Cornelii, Aloyſius, & Marcus Epiſcopi Patavini. 481.
Corradus, Q. Marius, de Amaltheo. 318.
——— de Sannazario. 550.
Cottae, Joannis, Poetae tumulus. 247.
Craſſus, Lucius, Sannazarii praeceptor. 87.
Credulitas, pro fide. 17.
Creſcimbeni, Jo. Marius de, de Sannazario. 559.
Crathis, fluvius Calabriae ſuperioris, cujus aqua dicebatur capillos flavos reddere, etiam alius ejuſdem nominis in Peloponneſo. 131.
Creuſae Tumulus. 440. 441.
Criſpus, Joannes Baptiſta, auctor Vitae Sannazarianae. 521.
Cumarum ruinae. 154.
Cupido, Ecloga, Corn. Amalthei. 463.
ad Cupidinem. 483.
Cygnus cum Angelo Comparatus. 6.

Cymba Naufraga. 449.
eadem Nautae rogus. 449.
Cynthia. 486.
Cypariſſus puer. 208.

D.

DAphnis, ecloga Jo. Bapt. Amalthei. 330.
——— Jambus ejusdem. 436.
Danae & Jupiter. 238.
Daunia. 133.
Davidis Regis apud Inferos vaticinium de Chriſto. 9.
Deambulatio Matutina & Veſpertina. 196.
Degenerans. 236.
Delphinus, Jacobus. 485.
Deſcriptio populi Betlehem confluentis. 24.
——— Tauri, Leonis, Aquilae, Hominis quibus ſcriptores geſtorum Chriſti ſignificantur. 14.
——— Virginis inſularis navis adventum formidantis. 5.
Detractores Maledici. 116. 594.
Dicarchis, Puteoli. 67.
Dies Genialis. 217.
Dioſcorides. 349.
Diſerti, Romani, Academici pia querela. 411.
Domus Sannazarii. 174.
Doris, ecloga Jo. Bapt. Amalthei. 393.
Druydae. 262.
Dulcius, Ludovicus. 417.
Dux, Carolus Audax. 165.

E.

ECho, 223.
Eliſabetha Mariam alloquitur. 17.
Emblema Sannazarii. 523.
Endymion & Luna. 193.
Eoi Reges, Magi, qui ad Chriſtum venerunt. 2. ex horum uno Baldaſſare gens Bauciorum (del Balzo) ſuam fertur traxiſſe originem. 587.
Epitaphium Actii Synceri. 115.
——— Jo. Jov. Pontani, ab ipſomet factum. 594.
——— Petri Compatris. 621.
Equus Regis Gallorum. 358.
Equus ob ſenium male habitus. 451.
Erasmus, Deſiderius, de Sannazario. 542.
Erilla. 437.
Ericus N. 343. 359.
Erythraeus, Jan. Nicius, de Amaltheis. 320.
Eryx, mons Siciliae, Veneri ſacer. 147.
Eſtenſis, Alexander. 480.
Euchariſtia. 329. 330.
Eunus. 271.
Euploea, inſula Campaniae. 59. 71. 83.

F.

FAbianus. 198.
Fabricii, Georgii, verſus de Sannazario. 281.
Falſa dies. 94.
Faneius, Fabritius. 488.
Farfarus. 133.
Farneſius. 484.
Farneſii, Horatii, Parmae Ducis, obitus. 429.
Fatum, vis praepotens ab influxu aſtrorum. 121.
Faunus, pinea corona inſignis. 143.
Federicus, Aragoneus, Ferdinandi filius, Siciliae & Neapolis Rex, Sannazarii Patronus. Elegia ad eum 159. Epigrammata ad eundem. 179. 183. 185. 187. 199. 270. Ejus geſta ac Laudes. 159. 180. 226. fuga in Galliam. 61. Mors. 72. liberalitas. 179. edictum. 187.
Fenaroli obitus. 424.
Ferdinandus, Hiſpaniae Rex. 507.
Ferdinandus, Aragoneus, Alphonſi M. filius, Rex Neapolitanus. 175. ejus geſta. 130.
Ferdinandus Junior, Aragoneus, Alphonſi II. filius Rex Neapolitanus, laudatus. 284. ejus venatio. 194. 195.
Ferdinandus, Aragoneus, Federici filius, Dux Calabriae, in Hiſpania exul. 68.

Fer-

INDEX II.

Ferdinandus Havalus, Peſcariae Princeps, vir fortiſſimus. 263. 600.
Ferraria Laudata. 163. 481.
Ferrarienſis, Dux Hercules. 504.
Filii Unici Tumulus. 249.
Fiduchus. 361.
Flaccus. 232.
Flamma, Gabriel, Epiſcopus Clodienſis. 358. 475.
Flaminii, Marc. Antonii, Epigramma ad Actiuum. 277. Idem de Sannazario. 549.
Fons. 443.
Fracaſtorii, Hieronymi obitus. 433.
Franconi obitus. 484.
Franciſcus, Galliae Rex. 524.
Fur Libelli Lampridii. 361.

G.

GAlatea, ecloga. 48.
Galeatius Sfortia in templo Divi Stephani interfectus. 235.
Galenus. 349.
Galeſus, fluvius M. Graeciae. 162.
Galla. 203. 371. 372.
Galliae extremae, contra Britanniam ſitae, deſcriptio. 63.
Gandiae Dux (Joannes Borgia) trucidatus & in Tyberim projectus. 209.
Garlonius, Antonius, Aliſarum Dominus. 95.
D. Gaudioſi Laudes. 258. 259.
Gazellus, Franciſcus Maria, capite truncatus. 212. 213.
Gellia. 231. 368.
Gemma Sannazarii. 192.
Gemelli, frater & ſoror, Luſci. 368.
Gemes, Bajazeris frater, ab Alexandro VI. Veneno necatus. 104
Geſta Chriſti & Cruciatus. 9.
Geſualdus, Comes. 599.
Gigantomachia. 69. 221.
Gigantomachia Haeretica. 327.
Gilianus, Vincentius. 482.
Giraldus, Lil. Gregorius, de Gabriele Altilio. 288. de Sannazario. 543.
Glaucus in Deum Marinum. 55. 61.
Glaucus amat Salicem. 307.
Glomus, *Gliomero*, Sannazarii fabula. 503.
Gradenici, Aloyſii, obitus. 487.
Graevii, Jo. Georgii, Praefatio in Carmina fratrum Amaltheorum. 413.
Gravina, Petrus. 599.
Gravinae, Petri, Epigramma de Sannazario. 278. de Partu Virginis. 571.
Griſon, Anthonius. 506.
Gualandus, Reinerius. 525.
Gubertus Noricus. 354.

H.

HArmoſyne Sannazario. dilecta. 208. 618.
Havalus, Ferdinandus. 510.
Havala, Conſtantia, mulier erudita. 503.
Heinſii, Nic. Pauſilypus. Elegia. 282.
Hercules & Ganymedes. 236.
Hercules & Jupiter. 241.
Herpylis ecloga Pharmaceutria. 73.
Hippocrates. 350.
Hippolytus Veronenſis. 478.
Homeri patria. 229.
Homerus in Latinum verſus. 250.
Horae Caeli Janitrices. 33.
Hyale, fortaſſe Joanna Arragonia, nupta Ferdinando II. Alphonſi fratris filio. 59.
Hyale. 390.
Hyblae Tumulus. 205.
Hydruntinam Regionem Turcae occupant. 141.
Hyella. 370. 380. 441. 448.
Hyellae aries. 444.
Hylas a Nymphis raptus. 420.
Hymnus Angelorum in Deum. 38.

I.

D. JAcobi Piceni Laudes. 99. 589.
Ignes nocturni Romae. 234.
Inarime. 62.
Incendium Navalis Veneti. 360.

Infantum Caedes ab Herode perpetrata. 10.
Innocentius VIII. Pont. Max. 202.
Inſulae quatuor, quatuor Diis gratae. 68.
D. Joannes exſultans in utero matris. 17.
Jölas, ecloga H. Amalthei. 334.
Jölas, Jambus J. B. Amalthei. 436.
Jölas & Galla. 371.
Jölae Tumulus. 367. 487.
Jordanis Oratio ad Deum. 40.
Jordanis Urnae deſcriptio. 39.
Joſephus & Maria Virgo parent Auguſti juſſis. 23.
——— adorat atque affatur puerum Jeſum. 29. Paſtores alloquitur. 35. ejus verba ad urbem Betlehem.
Jovii Pauli Elogium Gab. Altilii. 287.
——— Elogium Sannazarii. 544.
Iſabellae Arragoniae & Jo. Galeatii Sfortiae Epithalamium. 250.
Italiae Laudes & deſcriptio. 21.
Judicium extremum. 59.
Julius. 422.
Julius Senenſis exul. 97.
Juno invocata in Amicae natali. 152.
Juno & Ganymedes. 250.
Jupiter ridet mortalium preces. 128.
Jupiter & Cupido. 236. 262.
Juſtina, Hiero-Tragoedia Jo. Bapt. Liveriae. 488.
Juvenca. 367.
Juvenca, Lucretia Borgia. 191.

L.

LAbulla, per ejus arcuatos fornices Neapolis capta. 71.
Lacrymae Hieron. Amalthei. 369.
Ladiſlai Regis Neapolitani Tumulus. 182.
——— mors in Venere. ibid.
Laelii obitus. 484.
Laetitiae Caeleſtis deſcriptio. 33.
Laetitia paſtores alloquitur. ib.
Lambinus. 338.
Lamentatio de morte Chriſti. 47.
Lamponianus Jo. Andreas Tyrannicida. 235.
Lampridii Laus. 353.
Lanuvium. 133.
Latomi, verſus de Sannazario. 280. 281.
Laurae puellae tumulus. 186.
Laurus. 246.
Laurus, Medicus. 337.
Leo. Pont. Max. 252. 271.
Leonis Pont. Max. Bulla ad Sannazarium. 561.
Leonilla & Lydia. 369.
Leonora Princeps Ferrarienſis. 163.
Levis Caſia, pro odorata. 94.
Liber, malus. 223.
Ligeris. 64. 168.
Linternum, urbs Campaniae. 136.
Liquentia, fl. 331. 343.
Liris. fl. 87.
Locri urbs. 130.
Lotophagites, parva Africae Inſula. 129.
Lucifer. 452.
Lucina invocata *in partu Corneliae* Piccolomineae. 95.
Lucinae Virgunculae obitus. 365.
Lucius Grammatiſta. 338. 621.
Lucii Lucinii obitus. 487.
Lucretia, Uxor Satri Brancatii. 98.
Lucretia Borgia, v. Borgia.
Lucretii imitator Marullus. 138.
Lucrini Lacus mutatio. 63.
Ludovicus, Rex Galliae. 507.
Luna & Pan. 229.
Luſciniae, aviculae, obitus. 442.
Luſcinia Delphino vecta. 452.
Lyce. 439.
Lyci, Anathema. 450.
Lycidas, Ecloga. J. B. Amalthei. 377.
Lycinna. 439. 447.
Lycoris. 369.
Lyda. 206.
Lydia. 466.
Lygdamus. 265. 420.
Lyriope. 385. 386.

M.

MAcra, Fluvius Italiae. 167.
Madrutius. 382.

Mr

Digitized by Google

Majus, Junianus, ſomniorum feliciſſimus interpres. 150, 596.
Mala Punica Laudata. 156.
Malateſta, Robertus. 134.
Mallara, Joannes, Hiſpanus. 414.
Mancinus. 200.
Mane & Veſper. 196.
Mantua Laudata.
Manutii, Pauli, praefatio poëmatum Sannazarii. 572.
Manutius, Aldus Pius, dedicat Arcadiam Sannazarianam ipſi Actio. 631.
Marcellus. 438.
Marcheſia, Caſſandra mulier praeſtantiſſima. 73, 508, 587.
Maria Virgo Angelo reſpondet. 6. Dei mandatis obtemperat per Angelum oblatis. 7 proficiſcitur ad viſendam Elizabetham 16. in Patriam redit & generis humani Servatorem parit. 27.
Mariae, jam jam parturae, ad Deum Oratio. 26.
Maria Garlonia Grappina, puella formoſa. 266.
Martialis quid ſenſerit de Catulli paſſere. 194
Marullus uxorem duxit Alexandram Scalam. 123.
Maſſilia, urbs. 168.
Maſella a ſancto Magno Actii Synceri mater, virilis animi faemino. 495.
Matho. 228.
Mauſoleum in Caria. 20.
Maximilianus, Boëmiae Rex. 350.
Maximillae Tumulus. 200.
Mediolanum a pelle Lanigerae ſuis ita dictum. 164.
Medoacus. 341.
Medicaeus, Coſmus. 377.
Megeria. 57.
Melampus. 84.
Melchior, Franciſcus. 363.
Meles fluvius. 164.
Meliboea urbs. 131.
Mercurius & amor. 197.
Merula apex. 169.
Mergilline Poetae Villa. 2. 46. 57. 58. 179. 225. 587.
Mergellines fons. 42.
Meſulus & Liquentia. Ecloga Corn. Amalthei. 467. Meſulus. 334.
Metempſychoſis. 268.
Michelius, Joannes, Reip Venetae. Legatus in Britannia. 399.
Michaelius, Marcus Antonius. 511.
Minervae promontorium. 69.
Miracula Chriſti. 41.
Miſenum promontorium. 57.
Montaltus, Ludovicus, ſyracuſanus, Caroli Caeſaris ſcrinii magiſter. 147. male in omnibus editionibus Montalius. 610.
Mons Juraſſus. 164.
Mopſus, Ecloga. 62.
Morbi Comitialis deſcriptio. 41.
Morbus Gallicus. 483.
Mori candidae fabula. 141.
Morini. 64.
Morinna, mulier formoſa. 257.
Morinna Nympha. 142. in Morum. 143.
Morumilius, Camillus. 526.
Mureti, M. Ant. teſtimonium de Hieronymo Amaltheo. 218.

N.

NAis Amalthea. 331.
Narciſſus ad fontem florenſ. 448.
D. Nazarii, Martyris feſtus dies, Poëtae Natalis. 135. 245. 246. ejuſdem geſta ac Laudes. 225. 253. eidem ſacellum a Poëta exſtructum. 245. 246. ab eodem Poeta, ſeſe genus duxiſſe teſtatur. 629.
Naupactae Victoria. 402.
Neaerae Tumulus. 204.
Nearchus puer. 486.
Nebrodes, mons Siciliae. 147.
Neſis inſula. 53. a Pauſylipo amata. 70.
Niſa. 383.
Niſaeae, Chariteï conjugis partus. 186. 616.
Nobilitas, pro ipſis Nobilibus. 103.
Nola urbs, reprehenſa quod hoſpitium Pontano negaverit. 263.
Nomentum, olim urbs nunc pagus. 133.
Nymphae, in Salices. 81.

Digitized by Google

Nympharum Jordanidum deſcriptio. 39.

Nymphae ad fontem dormientis ſimulachrum marmoreum. 451

O.

OEnomaus. 165.

Olea. 369.

Olgiatus, Hieronymus, diriſſimam mortem conſtanter perferens. 235.

Ollus. 206.

Orpheus. 352. 418. 419. 461. 475.

Orpheus Reſpiciens. 223.

Ovicula. 599.

P.

PAllas & Apollo. 367.

Pallavicinus, Sfortia, Copiarum Venetarum Imperator. 480.

Pan, Mercurii filius, Lunam concupivit. 193.

Panhormita, Anth. V. Beccadellus.

Pappacoda, Balthaſſar. 506.

Pardi, Joannis, epiſtola ad Actium Syncerum. 278. 589. de Joanne Pardo. 90.

Parrhaſius. 600.

Parthenius, Bernardinus, de Sannazario. 549.

Paſtores proficiſcuntur ad viſendum puërum. 34. 35. Joſepho reſpondent. 35. Jeſum adorant & ad ejus cunas cantant. 36.

Patera. 407.

Pauſilypus Neſidem amat. 70. Vitifer. 244.

Petrinum. 87.

Petrus de Roccaforti, maximus Regis Galliarum cancellarius. 102.

Pharmaceutria Elegia Hier. Amalthei. 346.

Phoenix deſcripta & cum B. Virgine comparata. 28.

Philippus II. Hiſpaniarum Rex. 393.

Philocalus, Joannes. 600.

Phyllis, Ecloga. 53.

Phyllidis epitaphium. 57.

Piccolominea, Cornelia, conjunx Antonii Garlonii, Allifarum domini, parturiens. 55.

Picens medicus. 247.

Picentes. 169.

Picentini montes. 169.

Picenus, N. 428.

Pindarici verſus, ſapphici. 110.

Piſcatoris Anathema. 450.

Piſcator cum navicula ſubmerſus. 450.

Pithecuſae. 65.

Pitys in Pinum. 144.

Pius. IV. Pont. Max. 325. 356.

Pius V. Pont. Max. 329. 357. 476.

Platina, Barth. 195. Baptiſta, ſecundum Lambecium. 617.

Plazonus, Joannes. 362.

Podalyrius, alluſio ad Clementis Pont. nomen. 587.

Poëtarum reprehenſores Confutati. 116.

Politianus minime formoſus, Bubo, a Sannazario appellatus 227. item Pulex & Politianus. 218. de Politiano. 514.

Pontani, Joannis Joviani Hendecaſyllabus de *Altilio*, & *ejuſdem Tumulus*. 302.

—— Vita ipſiuſmet fere Verbis concinnata. 590.

—— Laus. 105. 106. 193 Cato ſui ſaeculi. 110. primus uſus elegiaco carmine in canendis Hymnis. 109.

Pons uterque. 600.

Populorum Auguſti Imperio ſubjectorum enumeratio. 19.

Porcia & Iſabella Branciae, ſorores formoſae. 271. 625.

Poſſevinus, Anthonius, de Sannazario.

Praetor Praeſes deſes.

Prochyta, inſula maris Tyrrheni. 57.

Proteus ecloga Synceri. 68.

—— Corn. Amalthei. 460.

Protei Vaticinium. 40.

Priapi imago. 145.

Puccius. 599.

Pudericus, Franciſcus. 83. 600. 601.

Puella fluvio merſa. 447.

Puellae querela de Marito peregre proficiſcente. 424.

Puer Regius formoſiſſimus. 196.

Puer Nauta undis merſus. 450.

Q.

QUintius. 197.

R.

REghinus, Franciſcus, 360.
Rhodanus. 62.
Rhombus in Sacris Magicis. 75.
Riccius. 237.
Robertelius. 364.
de Roccaforti (Petrus) Maximus Galliarum Regis Cancellarius. 102.
Rodulphius, Petrus, Epiſcopus Senogallienſis, 472. auctor Hiſtoriae Seraphicae Religionis. 478.
Roris matutini deſcriptio, ejusdemque cum partu Virginis divino comparatio. 27.
Rapicius, Jovita, de Sannazario. 547. ejuſdem obitus. 418.
Rufus. 207.

S.

SAlentini. 163.
Salices. 78.
Salix Dan. Cereti, 307.
Sangrius, Joannes. 114. 600.
Sannazarius, Jacobus, Neapoli natus. 494. Nuceriae Paganorum educatus. 169. 495. Neapolim & in benevolentiam Federici Arragonei venit. 502. Academiae Pontanae membrum nomen aſſumpſit Actii Sinceri. 497. militavit ſub Duce Alphonſo II. Aragoneo ib. ſponte in exilium abiit Federicum Regem ſecutus. 227. 507. 625. ejusdem aerumnae. itinera, mores. 172. Scripta 170. 171. Pietas in Pontani ſcripta. 117. hoſtis formidabilis. 116. Litium inſolens. 270. Neapoli mortuus. 521. Vita, ſcriptoribus Jo. Ant. Vulpio & Franciſco Aelio Marcheſio. 491. 528.
Sannazarius, Aethyops, ſervus Sannazarii, ſcitus adoleſcens. 522.
Sanſeverinus Comes. 521.
Sarnus, Amnis, 71. 79.
—— ecloga Jo. Bapt. Amalthei. 385.
Sarrus Brancatius miles fortiſſimus in praelio exſtinctus. 59.
Satyri Aucupes. 91.
Savorniani Frederici, & Marci Colloreti ſingulare certamen. 364.
Scala, homo mordacis & virulenti ingenii. 125.
Scaliger Jul. Caeſar de Gab. Altilio. 289. de Sannazario. 551.
Scaligerana, de Sannazario. 552.
Schottus, Franciſcus de, Sannazario.
Scotius, Gaſparus. 624.
Scoppa, Lucius Joannes. Ludimagiſter. 519.
Scuccha Latro. 116.
Sebethus 74 108. 140.
Sebethis in fluvium. 108.
Sedes Neapolitanae, quid. 499.
Selim. 346.
Sfortiae, Jo. Galeacii & Iſabellae Arragoniae Epithalamium. 290.
Sibyllae in manibus Mariae Virginis. 4.
Silentii nocturni deſcriptio. 25.
Silis fl. 350. ecloga, J. B. Amalthei. 387.
Silvius, Comes Purliliorum. 358.
Simeonis Canticum. 9. Sinueſſa. 67. 87.
Sirenes & earum nomina. 64. 65. harum fabulam ad hiſtoriae veritatem deducere conatus eſt Pontanus. 65.
Somnus. 373.
Stabiae. 72.
Stampa, Hermes, 353. 439.
Stella, mulier Ferrarienſis, a Pontano amata. 109.
Stridor occidentis in mari Solis. 63.
Subuncula rivus. 170.
Sudibus certare coloratis, quid. 588.
Summontius, Petrus. 600. 601. 619. 621.
Summontii pietas. 230.
Superantius, N. Patavii Praetor. 341. 349.
Superchius. Valerius, Medicus. 359.
Sybaris. 131.

I N D E X. I I.

Syrinx in Arundinem. 79.

T.

TAprobane. 399.
Tarbelli pop. galliae. 64.
Taurus, Caeſar Borgia, alluſione ad Inſignia gentis Borgiae. 189.
Tebenna. 169.
Templum D. Mariae Virgini a Poëta dicatum. 2.
Theatrum Campanum. 244.
Theleſinae crines. 243.
Thomitanus, Bernardinus. 486.
ad Torquatum. 410.
Toſcanus, J. Mathaeus, de Sannazario. 281. de Altilio. 289. 303.
Tryphonis Tumulus. 365.
Turones. 168.
Turpilius, Sextus, mortuus Sinueſſae. 67.
Turrius, Michael, EpiſcopusCenetenſis. 329. 334. 357. 474.
Turrii, Aloyſii, Tumulus. 365.
Tybur. 133.

V.

VAleriani, Jo. Pierii, Hendecaſyllabus ad Actium 276. epiſtola ad eundem 533.
Varchius, Benedictus. 362.
Varus, flumen. 168.
Vaticinia Prophetarum de Chriſto ac Maria Virgine. 18.
Vellus aureum, 325.
Venatoris Tumulus. 447.
Venerius, Dominicus. 345. 479.
——— Sebaſtianus. 402.
Venetiae Laudatae. 163. 201. 457.
Venetorum ſigna. 242. 410.
Venus & Mars. 192. & Priapus 231. & Sol. 242. & Juno. 198. & Diana. 231.
Vergilii natalis a Sannazario cultus. 515.
Verſare oves, pro paſcere. 91.
Vesbia. 218.
Veſevus mons. 72.
Vetuſtinus. 203.
Ufens crapulator. 236.
Vicecomes, Carolus, Tyrannicida. 235.
Victoria Naupactaea. 402.
Victurius, Philippus. 485.
Violantis Grappina. 257.
Vivula Aqua. 170.
Vlamingii, Petri, notae, 587.
Vopiſcus. 599.
Voſſius, Gerardus Joannes, de Sannazario. 558.
Urceus. 354.
Urnae Jordanis deſcriptio. 39.
Urſa puella. 368.
Uvae Hibernae. 185. 199.
Vulcanus & Venus. 24.
Vulturnus fl. 196.

Z.

ZAcharias, maritus Elizabethae. 18.
Zanchii, Baſilii, verſus ad Actium; 276. 277. idem de Gab. Altilio. 303. de Hieronimo, & J. B. Amaltheis. 322.
Ziſa, palatium, juxta Panormum, ab Alphonſo Anth. Panhormitae, dono datum. 605.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA TYPOGRAPHICA.

P.21. V. 174. teneris. L. tenetis.
176. adtullunt. L. adtollunt.
86. 189. erat. L. errat.
87. in Notis. Col. 1. Niſpho L. Nipho.
88. V. 9. paganae. L. Paganae.
102. in Notis Col. 2. *Valentina* L. *Valentino.*
108. in Notis Col. 2. divinus. L divinis.
112. in Notis Col. 2. deterreque avitiis: avitiis. L. deterrereque a Vitiis.
114. in Notis Col. 2. que Sangrium. L. qua Sangrium.
115. in Notis Col. 1. *reſtat amar.* L. *reſtat amor.*
116. in Notis. Col. 2. Jovum Legitus. L. 4. Elp. L. Jovium legitus L. 4. Elog.
119. in Notis Col. 1. *pulchcor.* L. *pulchrior.* Col. 2. Hadriano Juno. L. Junio.
120. in Notis Col. 1. Douzam F. L. Douzam P. Col. 2. lin. 23. Elog. L. Eleg.
125. in Notis Col. 1. *Politani.* L. Politiani.
130. V. 48. Savaeque. L. Saevaque.
137. 23. Sfortiadem. L. Sfortiadum.
140. in Notis Col. 1. Cymaelienſis. L. Cymaclienſis.
161. V. 62. noſtra noſtra. L. noſtra.
168. in Notis *Heſepetiae.* L. *Heſperiae.*
188. quae notata ſunt ad epigramma XV. revocanda ſunt ad XIV.
193. V. 1. hirſutus. L. hirſutas.
216. V. 10. filla. L. fila.
246. in Notis Col. 1. 188. L. 120.
252. in Notis Col. 1. Me Medicem. L. Medicem.
268. in Notis Col. 1. hiſtorium monumentis. L. hiſtoriarum monumentis.
340. V. 61. ſecuti. L. ſecuri.
344. AUSTINUM. L. AUGUSTINUM.
369. Lactymais. L. Lacrymis.
391. V. 34. progeſſa. L. progreſſa.
399. V. 15. gentrix. L. genitrix.
418. V. 51. Ducus. L. Durus.
422. V. 66. abſcentis. L. abſentis.
430. V. 25. puta. L. pura.
439. Tunc igitur. L. Tunc igitur.
446. Florum animae. L. Florem animae.
449. V. ultimo. ſequura. L. ſequuta.
462. V. 65. ſubimi. L. ſublimi.
464. 44. quod. L. quid.
475. V 20. Hymadryadum. L. Hamadryadum.
507. Lin. 22. ſe L. ſe.
511. Lin. 9. Montalium, L. Montaltum.
518. Lin. ult. temporss. L. temporis.
548. Lin. 6. veſſificatores L. Verſificatores.
549. Lin 6. CABRIEL L. GABRIEL.
Lin. penult. abjungere. L. adjungere.
552. Lin. 24. Eeam. L. Eam.
575. Lin. 7. proſolvi. L. perſolvi.

573 Lin.

Digitized by Google

573 Geographium. L. Geographiam.
587. Lin. 26. videatur. L. videantur.
28. Capacium. L. Capacius.
591. Lin. 24. *Conſtiuerant*. L. Conſtituerant.
595. Lin. ult. Livore. L. Livori.
599. V. 35. eloqui. L. eloquii.
612. Lin. 14. etenim. L. enim.
617. Lin. 2. poſt ſecundum, adde : ea.
620. Lin. 13 etenim. L. enim.
Lin. 16. quae. L. quam.
623. Lin. 16. Catuli, L. Catulli.
630. Lin. 22. Saevitie, Saevitia.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google